
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
12 0
29

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
55
6 K
10
ROMA

Ex dono Auctoris, dum simul Dom.cum Sylium pleuritide cu[m] febre acuta sanandum visitabamus: die 3a. Aprilis 1665. die Veneris Sancti mane.





LAELII ZACCAGNII ROMANI MEDICI AC PHILOSOPHI NOTABILIVM MEDICINAE LIBRI TRES.

PRIMI AVTEM DVO, HAC IN SECVNDA EDITIONE AVCTI, MELIVSQVE RECOGNITI.

Quorum item quiuis, de quo præcipuè loquatur, & differat, in folio sequenti denunciatur.

Conventus S. Mariae de scala Vrbis



ROMÆ, Ex Typographia Michaelis Cortellini. M. DC. LV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Primus agit De Vitæ Humanæ Longitudine, ac Breuitate; Etiam quò ad Astrologos incerta; Et an Arcanis Medicinæ remedijs possit prorogari; Necnon de Hodiernis, & Antiquis hominum complexionibus. Ac de Morbis euitandis. In Virtute sex Rerum non Naturalium.

Secundus inscribitur Aduersus eos, qui præter duos in homine testes, Tertium quoque dari posse opinantur. Dilucidatur item Peripateticorum opinio, à Medicorum doctrina dissentiens, circa Humanæ generationis principium, nempe Vtrum mulier verum semen habeat, vi generandi præditum.

Tertius De Memoriæ acquirendæ præceptis, ac eiusdem detrimentis, atque remedijs, omnibus ocio litterario deditis, ac memoriæ cupidis conferentibus.




IN EFFIGIEM

Diſtichon.

DOcta manus faciem potuit, non ſculpere mentem;
Lælius hanc ſcriptis exprimit ecce ſuis.

FRANCISCI PHILIPPELLII
I. V. D.
Ac Lælij Zaccagnij Nepotis.



EPIGRAMMA.

OPtima dum scribis prudenter dogmata Læli,
Arte, & consilio corpora nostra iuuas.
Sume animum tandem, rectam sic dirige mentem,
Dente ne te possit lædere liuor edax.
Inclyta nam siquidem volitabit fama per orbem,
Et virtus pariter munera digna dabit.
Roma tibi meritos etiam persoluet honores,
Dum semper memori nomen in ore feres.



LAELII ZACCAGNII
ROMANI
MEDICI AC PHILOSOPHI
AD ROMANOS ET VRBIS INCOLAS
PRÆFATIO.

Ex oculorum intuitu, innatos animi affectus in viuentibus dignosci facile posse, ac item mirum eorundem effectum Cœlo correspondere, nec non huius Mundi felicitatem in Vitæ humanæ longitudine, vnà cum sanitate, in oculis potissimùm permanente, consistere demonstratur.



ALEM oculi naturæ proprietatem, talem etiam formæ dignitatem, atque præstantiam retinent, vt ex ijsdem met oculis animi affectus facilè cerni, atque dignosci posse, non dubitem affirmare, quod etiam cognouit Cicero, tertio ad Quintum Fratrem libro (dum dixit) Frons, oculi, vultus, persæpè mentiuntur, oratio verò, sæpissimè. Pro quorum demonstratione satis euidente, minimè dubium Oculorum natura, & effectus.

est,

eſt, quin gaudente animo, hilariter ſubrideant hominibus oculi, eodemque mœrente, ipſi quoque hebetentur, atque langueſcant, metu inualeſcente, turbentur, grauiore premente moleſtia, lachrymas exprimant, ira efferueſcente, tumeſcant, ac rubore ſuffundantur, in manſuetudine, remittantur, in cogitatione, vel cura, quieſcant, & hæreant, in admiratione, quaſi maneant attoniti, in libidine verò, ſint fulgentes, & ignei, in morbo comitiali tandem aperti, nihil cernant animo caligante, quid plura? Audeo ſimiliter oculorum naturam ipſi met Cœlo æquiparare, nam quo ad formam, ſeu figuram, Cœlum eſt figuræ ſphæricæ, & orbiculariter mouetur, oculus item veluti paruus Cœli orbis, in figura, & motu, eundem quaſi ordinem ſeruat, Cœlum ex Philoſopho mouetur ab Intelligentia, & oculus ab animali virtute mouetur. Polus articus, & antarticus, duo ſunt cardines Cœlum ſuſtinentes, & duo nerui optici, ſunt pro vt cardines oculum vtrumque regentes. Cœlum ſeptem habet planetas, & oculus ſeptem tunicas, Quatuor elementis Cœli correſpondent eodem in oculo, humor aqueus, chriſtallinus, & vitreus, quorum primus aſſimilatur aquæ, ſecundus aeri, tertius terræ, & pro quarto elemento, quod eſt ignis, addo item ſpiritus viſiuos, qui ſunt velut ignis in oculo, quin immo oculorum tranquillitas, diei ſplendorem, eorũdem verò lachrymæ, cadentem quaſi pluuiam demonſtrant; Exiſtit prætereà in Cœlo pulcher ſtellarum ordo vnà cum diuerſis ſignis, & influxibus cœleſtibus; In oculo item exiſtunt glandulæ, venæ, arteriæque pulcherrimæ, humanis licet oculis vix reſpici poſſint, quoniam vt ait Romanæ eloquentiæ parens de Natura Deorum tertio, oculos natura membranis tenuiſſimis veſtiuit, & ſepſit. Si denique aperiantur oculi, diem, ſi claudantur, noctem repræſentant; O eximiam oculorum virtutem, ò naturam admirabilem, ò ſummum noſtræ vitæ theſaurum, & veram felicitatem, quam, Romanorum quidem antiquo-

quorum nobilitas, licet ſpecioſiſſimam finxerit olim eſſe matronam, pretioſiſſimis veſtibus ornatam, & in alto ſedili locatam, cuius in dextra manu Caduceum Mercurij, in ſiniſtra verò Cornucopiæ tenerentur, Caduceum enim ſcientias, Cornucopiæ ſiquidem diuitias denotant. Verùm quia Romanorum antiquorum felicitas, ita formata, iuxta meam opinionem, ſanitate deficiente, imperfecta videtur, omnibus ideò perfecta, vel imperfecta ſanitate fruentibus, diutiùs vitam prorogandi, ac morbos etiam euitandi, facilior inſtitutus eſt modus hoc primo in libro, ad hoc, vt ſanitate permanente, omnes pariter felicitatis metam attingant, ſanitas enim, & oculorum præſertim, verum eſt felicitatis complementum, (ſi qua tamen poteſt hoc in Mundo felicitas reperiri) ſemel enim amiſſam lucem, in Medicinæ virtute nemo adipiſcitur ampliùs, quin immò ita viuens, infelicem, nec veram in tenebris trahit potiùs vitam. Quamobrem oculi ſolùm, referente Galeno, tertio Methodi Medendi, capite quinto, & ſexto, duplici fuerunt naturaliter facultate donati, motiua videlicet, & viſoria, prima tamen multis alijs humani corporis communicatur particulis, altera verò ipſis tantùm oculis veluti peculiaris conceditur; cuius præcipuè facultatis viſiuæ cauſa, & effectu, ad exactam rerum omnium, ac ſcientiarum cognitionem facilè peruenimus, vitam conſeruamus vtilibus electis, & eandem à cunctis diligenter tuemur aduerſis. Cur ſublimiori tandem in parte fuerunt oculi à natura collocati? niſi vt veluti cuſtodes, & humani ſemper corporis recti duces exiſterent; Ex tot igitur admirandis oculorum effectibus, cœleſtem quaſi naturam iiſdem ineſſe dicendum eſt, quam penitùs quidem amittunt ij, qui præcipuè de illis, quæ legendo intuentur, non rectum proferunt mundo corde iudicium, ſed ipſamet Zoili, vel Momi potiùs oculis legentes; criminari, atque mordere non deſinunt. Quoniam tamen ſentire, eſt quoddam pati ex Philoſopho, ſeptimo phyſi-

co-

corum, quæstione nona, tanto magis est etiam pati, quando sentiuntur ea, quæ inuitus audire animus, & oculi simul videre indignantur. Respicite ergo rectis oculis, ac læta fronte recipite Romani, & Vrbis incolæ, mei in vos grati animi labores, quos meum veluti partum, hoc paruo in volumine typis nuper editum, non in mei memoriam, sed pro vniuersorum salute perfeci, & licet paruulum, neque sufficiens sit munus, donantis tamen officium recognoscite, ac ab eodem posthac maiora sperate.



LAE:

LECTORI.



ON hic, artifici manu LAELII ZACCAGNII. Lector, imaginem iterum adumbratam vides. Ipse suo se calamo delineauit, ac feliciter expressit. Ipse, ingeniosis, quibus enitet, virtutum coloribus, exornatam sui nominis gloriam, cunctis nunc exhibet aspiciendam.

Quæ, suo, nascentem, olim in sinu, Roma parens excepit, nunc vita nobiliore renascentem, hisce in paginis eruditione plenissimis, admiratur.

Lætabunda, summorum Vrbs hæc, nunquàm non fœcunda virorum, suo in LAELIO Celsum suum aspicit, post tot secula rediuiuum.

Hic, bono astro natus, ac bonam sortitus animam, vbi per ætatem licuit, illicò se litteris dedit: quas auidè sic amplexus est, vt, mirus ille discendi ardor, copiosum, quo postmodùm sitientem expleuit animum, atq; affatim inundauit, doctrinæ flumen prænunciaret.

Ex ephebis vix excesserat, cùm amœnissimos Rhetorum campos, ac virentia prata Poetarum ingressus, Poesim eloquentia miscuit, vtriusque præstantiam adeptus.

Ad altiora, crescentibus annis, dein euocatus, indicto Mu-

sis, a litteris politioribus iustitiæ, vt, noua satione, vberiorem sapientiæ messem colligeret, ex Oratorum rosetis, lauretisque Poetarum, ad præruptum arduumque Philosophiæ verticem indagatrice ingenij florentis ala subuectus, euolauit.

Planitiem ibi nactus, nullis finibus circumscriptam, non indecoro puluere sordidus, lyncea mentis acie, abditissima quæque naturæ arcana rimatus est, atque ope Palladis, quicquid Platonis olim Academia, quicquid Aristotelis Lyceum, quicquid Tullij Gymnasium docuere, pleno ore hausit, epulisque illis, fabuloso Iouis nectare suauioribus, innatam, qua cuncti torquentur, sciendi famem, abunde satiauit.

Cæterùm, vt famam suam, in album referret immortalitatis, atque vt, per immensos Coeli tractus, penna non vsitata nec tenui, raperetur; Hippocrateæ militiæ tandem nomen dedit, diuinoque seni (cùm in eius jam verba iurasset) authoramento se fidus bellator, obstrinxit.

Artium itaque nobilissimam, tanto est amore prosecutus, ac profectus in illa tantos fecit, ac tam eximios, vt etiam edoctus videretur ab ipso Apolline, qui Medicinæ inuentum sibi vendicat, & iactabundus, Opiferum se dici, sibique herbarum potentiam subiectam esse gloriatur.

Hæc, Lector, nescius ne esses, voluit, IOANNES CAMILLVS ZACCAGNIVS, *qui suo doctissimo, carissimoque fratri, dùm nouam hanc, & nunquàm interituram laudem gratulatur, simul, quicquid ei debet amoris, perenni hoc monumento, persoluit.*

A V.

AVCTORES
HIC CITATI.

A

Alchmeon.
Andreas Alciatus.
Andreas Baccius.
Antidotarium Romanum.
Anthistenes Atheniensis.
Antonius Musa Brassauolus.
Aristoxenus.
Arnoldus Villanouanus.
Athenæus.
Auerroes.
S. Augustinus.
Auicenna.
Aurelius Cornelius Celsus.
Ausonius.

B

Benedictus Victorius Fauentinus

C

Cato.
Cælius Aurelianus.
Censorinus.
Conciliator.

D

Dauid.
Democritus.
Demosthenes.
Diogenes Laertius.
Diogenes Cynicus.
Dioscorides.
Donatus Antonius Ferrus.

E

Empedocles.
Epicurus.
Erasistratus.
Esaias Propheta.

F

Fauorinus.
Fortunius Licetus.
Franciscus Vallesius.

G

Galenus.
Genesis.

H

Henricus Kornannus.
Heraclides.
Herodotus.
Herophilus.
Hesychius Illustrius.
Hieremias Propheta.
Sanctus Hieronymus.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus Mercurialis.
Hipparcus.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius Flaccus.

I

Iacobus Rufius.
Ioannes Andreas à Cruce.
Ioannes Costæus.
Ioannes Manardus.
Ioannes Fernelius.
Ioannes de Vico.
Iob.
Ioseph Flauius.
Isaac.
Iunenalis.

L

Ampridius.
Leontinus Gorgias.
Leophanes.
Leuinius Lemnius.

M

Magister sententiarum.
M. Valerius Martialis.
Marsilius Ficinus.
M. Tulius Cicero.
S. Marcus.
S. Matthæus.
Metrodorus Scepsius.
Michael Sauonarola.

N

Neanthes Cizycenus.

O

Oppianus.
Oribasius.
Ouidius Naso.

P

Parmenides.
Paulus Aegineta.
S. Paulus.
Petrus Carrarius.
Petrus Andreas Matthiolus.
Petrus Thomaus.
Philemon.
Philo Hæbreus.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Polybus.
Ptolemæus.
Pythagoras.

Q

Quintilianus.

R

Rhasis.
Rodericus Fonseca.
Rufus.

S

Salomon.
Salustius Saluianus.
Schola Salernitana.
Seneca.
Simonides Chius.
Solon.
Soranus.
Strabo.
Suetonius Tranquillus.
Sylua Variarum Lectionum.

T


Theodoretus.
Teobrotus.
Thomas de Thomais.
S. Thomas.
Titus Liuius.

V

Virgilius.
Vitruuius.

Z

Zeno Stoicus.
Zoroastes.



LÆLII ZACCAGNII ROMANI MEDICI AC PHILOSOPHI

NOTABILIVM MEDICINAE LIBER PRIMVS.

DE VITÆ HVMANÆ LONGITVDINE, AC BREVITATE

Etiam quò ad Astrologos incerta, & an arcanis Medicinæ remedijs possit prorogari, nec non de Hodiernis, & Antiquis hominum Complexionibus. Ac de Morbis euitandis in virtute Sex Rerum non Naturalium.

AD PERILLVSTREM DOMINVM
FRANCISCVM CORTESIVM
Plurimarum Scientiarum locupletissimum.

EXORDIVM.



NOstris persæpè in colloquijs FRANCISCE CORTESI, omnium ferè virtutum ornatissime, de Humanæ Naturæ, tum longitudinis, tùm breuitatis causa, non admodùm leuis, immò studiosa quidem surrexit difficultas, nimirùm, cur inter viuentes, vt plurimùm iuuenes, non solùm pernicio-

sis-

ſiſſimis quandoque morbis tentari, verùm etiam ipſorum perſæpe cauſa interire videantur, ac item pauci ad vltimam ſenectutem peruenire numerentur, quod ab antiquioribus etiam noſtris obſeruatum eſſe certiſſimum eſt, iuxta probatam Hippocratis doctrinam, ſecundo Aphoriſmorum libro, trigeſimo nono Aphoriſmo, cuius formalia verba ſunt iſta; Seniores iuuenibus, magna ex parte ægrotant minùs.

Seniores iuuenibus magna ex parte ægrotant minùs, ex Hippocrate.

Ex quibus Hippocratis quidem verbis inferre conſequenter licet, quòd cùm infirmitas, vel morbus, quædam ſit via, morti ſanitate propinquior, eadem quoque de cauſa iuuenes idcircò magna ex parte interire, proptereà quòd ſæpiùs, quàm ſenes inficiantur morbis. Attamem quia non omnibus hæc reſponſio omninò ſatisfacere videtur, audiendus eſt ideò Galenus in tertio Aphoriſmorum libro, ſuper commentum vigeſimi noni Aphoriſmi, vbi ex auctoritate Hippocratis paulò antè citati apertè declarat, iuuenes, non ob eorum imbecillitatem, diſpoſitionemque maiorem, ſed ob vitæ intemperantiam quam ducunt, ſæpè ſæpiùs, quàm ſenes ægrotare, ac etiam interire, prout experientia patet; Nam iuuenes, vt plurimùm ſanitate abutuntur, & noctu vndique vagantur, in terra iacere non timent, ſed potiùs deludunt, Cœlo dormiunt aperto, per ſolem ambulant, quandoque vulnerantur, abundant eorum ſæpè crapula ventres tanquam inſatiabiles, nulla timent pericula, nullique parcunt labori, nec non immodica item Venere, ſimilibuſque libenter inconuenientibus vtuntur, quorum cauſa ſæpiùs, quàm ſenes, & ægrotant, & intereunt, quod ſenibus quidem non ita contingere, loco ſupra citato dixit Hippocrates, nempe quia experientia doctus, id tantummodò ſenum prudentiæ tribuendum cognouit, eorumque præſertim, qui aliter, quàm iuuenes prædicti, ſe ſe cuſtodire optimè ſciunt, ac in futurum etiam incolumes viuere perſeuerant.

Iuuenes cur ſæpiùs quàm ſenes, & ægrotent, & intereant.

Qua

Qua de re, Cicero circa medium de Senectute dialogum, iuuentutis vitia cum senectute comparans, sic loquitur; Sequitur tertia vituperatio senectutis, quòd eam carere dicunt voluptatibus, ó præclarum munus ætatis, siquidem id aufert à nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum; & paulò inferiùs sic repetit. Quia non modò vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quòd ea voluptates nullas magnopere desideret, caret epulis, extructisque mensis, caret ergo vinolentia crudelitate, & insomnijs: Non longè autem à fine eiusdem citati dialogi, sic tandem concludit; Quid est autem tam secundum naturam, quàm senibus emori? quod idem contingit adolescentibus, aduersante, & repugnante natura; hæc Cicero.

Ciceronis sententia de senectutis de estu, & adolescentię voluptatibus.

Mors senum, quo modo ab adolescentibus differat, de Ciceronis mente.

Quoniam tamen pulchræ, tam Physicæ, quàm Astrologicæ hinc inde rationes, vel causæ, præter allatas, afferri, ac demonstrari facilè possent, meam interim opinionem FRANCISCE CORTESI mi dilectissime, hac de re libenter tibi hoc primo in libro aperire decreui, teque vehementer rogo, vt quemadmodùm sentis, ita propemodùm tuum mihi iudicium patefacere digneris, vtpote qui cognoscere optimè potes, vtrum meæ physicæ demonstrationes, vel philosophicæ item rationes, à tuis doctissimis Astronomicis, atque veridicis, per me sæpiùs expertis, non sine admiratione iudicijs; dissentire necne videantur. Hoc enim modo non solùm tibi, cui præsertim doctrinæ confido, ac plurimùm debeo, sed alijs etiam intelligendi curiosis, diùque sine morbis, viuendi cupidis, me me profectò satisfacturum credo, benè vale, meque vt spero, amare non desinas.


DE

Imprimatur, Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

M. A. Oddus Vicesgerens.

Imprimatur,

Fr. Saluator Pagliari Reuerendiss. Sacr. Apost. Pal. Magist. Socius Ord. Prædicator.



DE VITÆ HVMANÆ

LONGITVDINE, AC BREVITATE.



NOTABILE PRIMVM.



RO certo quidem habendum eſt, hominibus tum ſingulis, tum vniuerſis, ab omnipotēti Deo vltimum vitæ terminum ab æterno fuiſſe omnino conſtitutum atque præfixum, iuxta quem nullo humano valdeque ſingulari artificio, nec alijs Medicinæ præſidijs vlteriùs poſſe tranſcendi, pro certo impoſſibile eſt; Vnde vitæ longitudo, vel breuitas, a Deo profectò dependere videtur: Quiſquis autem aliter fortaſſe tenet, prorſus aberrat atque decipitur, quandoquidem vita, & mors, in manu Domini ſemper eſt, Rationes verò, quæ id ſatis demonſtrant, & probant, licet multiplices hinc inde afferri atq; adduci poſſent, magis tamen præ cæteris euidentes, atque probabiles, mihi ſanè videntur eſſe ſequentes.

Vitæ terminus hominibus vniuerſis ab æterno fuit à Deo præfixus.

Principaliter enim Deus, qui eſt prima cauſa, quæ plùs influit in effectus, quàm ipſæ cauſæ ſecundæ, quæ non mouentur, nec vllo modo impelluntur, niſi a prima tantùm cauſa, veluti ſemper motæ, atque impulſæ, prout patet ex Philoſopho, libro primo Phyſicorum, textu trigeſimo tertio, idcircò iſtæ ſecundæ cauſæ, quæ poſſunt eſſe variæ medicorum induſtriæ,

ſtriæ, & facultates, in inueſtigandis, & adhibendis magnis, & arcanis pro ægrotantium ſalute remedijs, ijſdemmet inquam, humano generi vitam a Deo præfixam producere nunquam poterunt; propterea Salomon, Sapientiæ vndecimo, circa finem, ſic loquitur. Sed omnia in menſura, & numero, & põdere diſpoſuiſti; Ex quibus vtique verbis optimè patet, nempe dum in menſura, & numero, & pondere mortalibus a Deo vita præfigitur, quæ item vita, & mors, in manu Dei ſemper eſt, eandem iterùm vitam, poſſe Medicinæ beneficio protrahi, ad impoſſibile omninò reduci, quod enim prouenit ex diuino præcepto, permutabile nunquam eſt, nec minùs prorogabile, ipſa enim prorogatio, quædam veluti mutatio eſſe videtur, per quam, ſi vniuerſæ medicinæ præſidijs, humana prorogaretur vita, tunc Dei voluntas, non immutabilis, prout ab æterno perſiſteret. Legitur item apud Salomonem in Eccleſiaſtico, capite decimo ſeptimo. Numerum dierum, & tempus dedit illi, & dedit illi poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper terram; ſicut etiam apud Iob, decimo quarto. Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt, conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt; vnde patet omninò concludendum, dictis videlicet completis terminis, a Deo quibuſlibet cõſtitutis, vitam pariter ijſdem defuturam, vtpote quauis humanæ artis ſpe, non diutiùs viuendi certiſſimis.

Salomonis ſententia de vita hominis.

Iob ſententia de vita hominis.

Verùm quia diuerſis de cauſis non ſemper conſeruari ſanitas poteſt, idcircò Auicenna libro primo, fen tertia, capite de cauſis ſanitatis, & ægritudinis, & neceſſitatis mortis, ita locutus eſt. Quapropter corpora noſtra duabus nocumentorum ſpeciebus ſunt expoſita, quarum vnaquæque cauſam habet intrinſecam, & cauſam extrinſecam, & vna quidem nocumenti ſpecies, eſt humiditatis reſolutio, ex qua creati fuimus, & hæc quidem ordinatè venit, & ſecunda, eſt humoris putrefactio, & eius corruptio, vnde fomento vitæ conueniens non eſt. Et in eodem citato libro, fen prima, doctrina tertia, capite tertio, ſic etiam dixit. Vnumquodque indiuiduum habet terminum præfixum, qui in indiuiduis diuerſificatur propter complexionum diuerſitatem, & hi quidem ſunt termini naturales, ſunt verò & alij termini abbreuiati, hæc Auicenna. Galenus quoque ſententiam non diſſimilem libro primo de ſanitate tuenda non longè ab initio, ſapientiſſimè ſcriptis mandauit, dũ dixit; Si corpus noſtrum impatibile, omniſque affectionis expers eſſet,

Mortis cauſa duplici modo naturaliter de neceſſitate contingit, ex Auicenna, & Galeno.

ſicut

ſicut adamas, aut quiduis id genus, minimè artem nullam requireret, quæ ei tuendo præſideret, ſed quoniam duplices corruptionis cauſas. alteras internas, & à ſe, alteras extrinſecùs incidentes habet, neceſsè eſt curam, prouidentiamque non paruam deſideret,& ex ſe quidem duplici ratione conſumi corpus iudicauimus, vna, quod vel ætatis curſu, vel aſſiduo ſubſtantiæ fluore ad interitum tendat, altera, quæ vtique eſum, potionemque conſequitur, ipſo excrementorum prouentu, ita Galenus.

Vita humana duplici ex cauſa conſumitur ex Galeno.

Mortis igitur effectus, cùm ſit ipſamet priuatio vitæ, qua mediante, mors iterùm quaſi naſci, ac de mortalibus triumphare videtur, iuxta pulcherrima Naſonis carmina ad Liuiam, dum dixit.

Tendimus huc omnes, metam properamus ad vnam,
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.
Quaque ruit, furibunda ruit, totumque per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

Propterea Mortis inquam fama, in ipſamet priuatione vitæ, alterius eſt apparens veluti renouatio vitæ, ad quam per cuiuſuis ſubiecti deſtructionem, tam violenter, quàm ex humidi radicalis, ſeu caloris naturalis defectu, de ſtatuta naturæ lege, tanquam ad ſuum dominium, ac finem, principaliter ſemper tendit, veluti hac de re Poeta Lyricus lib.1.carminum, ad Publium Sextium Conſularem cecinit, & ſcripſit.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumq; turres, ò beate Sexti.

Quamobrem cognoſcens id etiam Auerroes in prœmio primi Phyſicorum, dixit mortem eſſe vltimum prouenicns ex neceſſitate materiæ, vel humidi, & calidi deficientis, vel alterius tantùm deficientis, & alterius dominantis, hæc Auerroes. Quid igitur mirum ſi corruptio vnius, eſt generatio alterius, & è contra, per Ariſtotelem libro primo de generatione, & corruptione, textu decimo ſeptimo, quoniam id, non per ſe, ſed per accidens contingit de Auerrois mente, libro quarto de generatione animalium, capite vltimo, ſcilicet ad hoc, vt ea mediante poſſit aliquis fieri tranſitus ad rerum generationem, quia ſi natura eodem in ſtatu permanere ſemper poſſet, non daretur ſucceſſiuè iſta mutua rerum generatio, atque corruptio. Hac item ratione, doctiſſimus noſter Galenus libro primo de elementis, capite ſecundo, & tertio, ſequentem poſteris reliquit

Mortis cauſa naturalis ſecundum mentem ex Auerrois doctrina.

Generatio vnius, cur ſit corruptio alterius.

sententiam, videlicet; Si homo esset simpliciter vnus, non doleret, nec lætaretur etiam, si igitur dolet, etiam lætabitur, dixit propterea, si doleret tantùm, vnum esset genus remedij, quia vnum, prout vnum, vnum quoque tantùm indicat.

Sed quia ex dictis patet etiam consequenter vitæ breuitatem, aut longitudinem, naturaliter consistere in bona subiecti dispositione, qua mediante subiectum ipsum resistere possit, ne præuia alteratione facilè recipiat in humoribus corruptionem ad actum proximè reducendam ex quatuor elementorum qualitatibus, hominem componentibus, idcircò de his qualitatibus agendum nunc est.

Elementa igitur in composito naturali existētia, & sub quatuor humorum naturalium virtute comprehensa, separationem inuicem libenter appetunt, quoniam vt ait Philosophus primo Physicorum, textu sexagesimo quinto; Omne compositum ex quatuor elementis, resoluitur tanquam in sua prima componentia, & est corruptibile, cuius demum ratio afferri potest, quia materia prima, & materia secunda, ex rerum contrarietate aggregantur, quorum propterea causa subiecti destructio cum nouæ formæ desiderio semper euenit, vnde Aristoteles primo Physicorum, textu octogesimo, dixit miram esse materiæ appetentiam ad formam, exemplo fœminæ ad marem, turpis ad pulchrum, & similium, ita vt, vix vna corrupta forma, iterùm alia introduci non desinat, ideòque tantò magis symbolorum ad symbola, potiùs, quàm ad dissymbola, facilior est transitus, iuxta propriam Aristotelis mentem libro secundo de Generatione, & Corruptione, textu vigesimo quinto, his verbis. Quæcunque enim habent cognationem ad inuicem, velox eorum transmuatio est; quæcunque autem non habent, tarda, quia facilius est vnum, quàm multa transmutare; hæc sunt Aristotelis verba.

Symbolorum ad Symbola, potius quàm ad dissymbola, facilior est transitus ex Aristotele.

Humores autem, de quibus naturaliter homò completam retinet formam, quatuor siquidem existunt, nempe sanguis, pituita, bilis, & melancholia, qui tamen humores elementis quatuor correspondere dicuntur. Sanguis igitur temperatus est, vel, vt aliquibus placet, calidus, & humidus, ideòque assimilatur aeri; sanguis præterea ex magis temperata chyli parte gignitur, & in hepate perficitur, sed, prout totam massam sanguineam complectitur, diuersas item in partes, vniuersi corporis nutriendi causa distribuitur, & licet in hepate sanguis

Humorum quatuor naturaliū ortus, qualitas, & effectus.

veluti coagulatus videatur, nihilominus in venas, & arterias semper fluere non desinit, sed in arterijs calidior, & purior, ac spiritibus abundantior est, & eò magis in cordis ventriculis, à dexteris enim, venalis, à sinistris verò, arterialis residet, qui vitalis etiam spiritus nuncupatur, eò quòd à corde, tanquam proprio sanguinis loco, primarium calorem recipiat, Galeno teste primo de Temperamentis, capite vltimo. Sequitur deinde Pituita, quæ primariò caput, secundariò stomachum, ac postremò totum corpus dominatur; hæc autem frigida est, & humida, propterea correspondet aquæ; Bilis verò in fellis vesica proprium habet locum, quæ cùm sit calida, & sicca, ideò comparatur igni, Melancholia tandem, quæ crassum dicitur sanguinis excrementum, in liene, veluti sanguinis fæce, suam retinet sedem, quæ cùm sit frigida, & sicca, idcircò terræ similitudinem sequitur.

Vitales spiritus, qua in parte cordis resideant.

Horum prætereà quatuor humorum operationes, humano in corpore diuerso funguntur officio; Bilis enim punctione stimulat intestina pro fæcibus emittendis, Melancholia, sua quidem mordacitate, aciditatem retinente, os stomachi, ad cibum appetendum excitat; Pituita verò in ventriculo existens; cum sit crudus humor, per vlteriorem coctionem, vrgente cibi necessitate, simul cum sanguine transfertur in venas, & quodammodò nutritioni potest inseruire; Verùm enimuerò sanguis propriè nutrit, vtpote qui dulcis est, quandoquidem moderatè dulcia, saporibus quibuscunque sunt magis grata, & amica naturæ, proptereàque celeriùs etiam alunt, quod tamen de sanguine dictum est, bili, & melancholiæ contingere nunquam potest, siquidem ambæ tantùm cum sanguine mixtæ, per se verò, nutrimento esse nullo modo possunt.

Cibi moderatè dulces cæteris saporibus sunt magis grati naturæ.

Porrò dicti quatuor humores, primariò quidem iuxta quatuor anni tempora dominantur; Sanguis enim toto vere redundat; Bilis vniuersa æstate vagatur; Autumnus Melancholiæ datur imperio; Pituita denique gaudet hyeme: secundariò verò quatuor ijdem humores, decurrente semper anno, singulis quoque diebus, hoc est, viginti quatuor horarum spatio, statutis horis vicissim regnant, prout sequentia carmina fidem optimam præstant.

Humores quatuor humani corporis quotidie statutis regnant horis.

Tres lucis primas, tres noctis tenet & imas
Sanguis: sed choleræ sex conuenit esse sequentes:
Ast ater reliquas humor sex occupat horas.

Postremis regnat sic phlegma sequentibus horis.

Ex horum igitur humorum alteratione, vel corruptione, morbos, vel mortem subsequi necesse est, de qua loquens Aristoteles in libro de longitudine, & breuitate vitæ, voluit hominis vitam sequi complexionalem cordis proportionem, iuxta quam, ipsiusmet vitæ breuitas, vel longitudo penitùs consistit.

Vitæ humanæ finis ex Galeno.

Quapropter Galenus in libro de Tabe, capite quinto, vacuitatem actionis cordis, vitæ finem ostendere scripsit, ac etiam quousque cor suo munere fungi potest, animal mori non posse decreuit; propretreà non est mirum, si hac de re Philosophum quendam derideat item Galenus eodem in libro de Tabe, & Marcore, capite secundo his verbis. Philosophus quidam in lucem edidit librum, quo conabatur docere viam ad immortalitatem, & quo nam pacto, omninò quis non senesceret; cui tamen respondit Galenus, senectutem secundum naturam esse, ac euitari non posse, eo præsertim tempore, quo inducitur a natura, quoniam opera naturæ statutis temporibus necassariò eueniunt; Philosophus tamen ille, referente Galeno, tunc temporis quadragenarius erat, dum suæ innixus opinioni, homines consenescere non debere pro certo habebat; quocircà in eádem pariter insaniam cæteros inducere suis violentis persuasionibus conabatur; veruntamen octogenarius factus, ita gracilis deuenit, ac siccus, vt Hippocraticam faciem contraxisse videretur, nasum enim habebat aduncum, oculos concauos, tempora collapsa, aures item rigidas, atq; contractas, cutem verò circa frontem, duram, intentam, & aridam, vniuersum denique corpus squallens, & cadauerosum repræsentabat, eò igitur ductus, suoque doctus, & confirmatus exemplo, pristina mutata opinione, nouum alium librum de admirabili senectutis effectu inuitus tamen conscripsit, quo mediante docere item conatus est, non omnes, sed eos, ab ineunte quidem ætate, perfectè sanos, & eò ipso in sui custodiam admissos, posse tantummodò non senescere, quos denique sua educatione, ac suorum fundamentorum industria, ad immortalitatis viam sibi fore perducendos, optimè persuadebat; Attamen vt ait Galenus, Philosophus ille redargui non poterat, quoniam priùs quàm tales pueri facti fuissent viri, mortuus iam ipse fuisset.

Senectus an possit euitari.

Empedocles item philosophus Agrigentinus, gloriabatur se

se

se habere remedia miraculosa, & immortalia, eò quòd Pantheam quandam Agrigentinam à Medicis desperatam curasset, prout Hesychius illustrius in libro, cognomento de ijs, qui eruditionis fama claruere, sic de Empedocle refert; porrò quòd de exanimi muliere fertur miraculum, eiusmodi fermè esse perhibent. Quasi triginta diebus, corpus absque spiritus, & cibi vsu conseruauerit; si igitur Empedocles per sua mirabilia remedia, senectutem, ac morbos inhibere profitebatur, cur inquam in Aetnam se se præcipitem dedit? referente Laertio, verùm sine dubio ipsum, per cruris fractionem a currus prolapsu interijsse, Neanthes Cizycenus litteris consignauit, ex citato Hesychij loco. Empedoclis mors.

Theobrotus verò philosophus oppositum quidem fecit, nam opinione ductus animam vnà cum corpore esse mortalem, iuxta Epicuri mentem, sed fortuitò deinde legens pulchrum Platonis tractatum de animæ immortalitate, sub Phædonis nomine, ad talem veritatis cognitionem deuenit, vt Platonicam doctrinam mirificè probantem amplecti, ac sequi coactus fuerit, ideòque tanquam confusus, pristinam mutauerit sententiam; quamobrem quid mirum, si, vt ad immortalitatem animæ, sine corpore sempiternam, quàm citissimè perueniret, viuente contempto iam corpore, spe deinde meliori vita fruendi, statim ab alto pariete semetipsum præcipitauerit.

Manifestè igitur patet prædictos Philosophos satis imprudenter errasse, quoniam primi duo per medica remedia corporis immortalitatem, licet impossibilem inuestigarunt; vltimus verò, vt immortalis cum anima perpetuò viueret, propriam vitam contemnens, repentè, ac spontè, se violenter interemit.

Quoniam tamen propter hominum peccata, & scelera veniunt aduersa, quid mirum si à Deo in eorundem vindictam immittantur morbi, prout S.Marcus capite secundo, & S.Matthæus capite nono, Sacræ Historiæ, fidem optimam præstant; quin immò Hippocrates initio libri de natura Muliebri, sic loquitur. De muliebri natura, ac morbis hæc dico, maximè quidem Numen in hominibus causam esse; propterea paulò inferiùs sermonem concludit his verbis. Oportet autem eum, qui hæc rectè tractare velit, primùm quidem ex Dijs ordiri, deinde mulierum naturam discernere, itemque ætates, & tempora, & locos, in quibuscunque degunt, hæc Hippocrates. Morbi homini. bus accidunt propter peccata. Morborũ causam in hominibus esse Numẽ dixit Hippocrates.

Ea-

Eadem quoque de causa statutum est omnibus hominibus semel mori, prout scripsit S. Paulus ad Hebræos, capite tertio. Et profectò si Adam non peccasset, immortalis etiam fuisset vnà cum descendentibus, quemadmodùm S. Augustinus libro tertio super Genesim, capite vigesimo primo, & Theologi cum Magistro sententiarum libro secundo, differentia decima nona confirmant. Rex item Dauid psalmo octogesimo octauo, sic dixit; quis est homo, qui viuet,& non videbit mortem? sed inter Ethnicos, Homerus libro tertio Odisseæ, dixit ne amicum quidem virum, Deos à morte vindicare, quia inexorabile fatum omnes infesta morte domitat; Plinius verò libro secundo suæ naturalis historiæ, capite sexto, hunc refert in modum; Deus mortales æternitate donare non potest, eò enim ipso quòd quis mortalis est, natura æternus esse non potest. Sed in re tam nota, atque experta, ad quid auctoritates inuestigare laboro.

Adam si peccasset, fuisset immortalis vnà cum suis descendentibus.

Homeri sententia de morte.

Ad prohibendum igitur; vel saltem retardandum, in quantum medicis fieri potest auxilijs, ne supradicti quatuor humores, humano in corpore existentes, aliquo modo alterentur, vel corrumpantur, qua postmodùm occasione, quiuis morbus accendi, vel mors etiam subsequi frequenter solet, vnusquisq; idcircò suæ complexionis dominio prospicere prudenter debet, exempli gratia. Biliosus humor, æstiuo tempore dominatur, & humano in corpore vehementer augetur; caueant igitur tunc temporis homines natura biliosi, seu cholerici, præsertim verò iuuenes valde graciles, ne ob laboriosos, & violentos corporis motus, vel ob nocturnas deambulationes, aut diurnas insolationes, ac item ob immoderatam iram, vel inordinatam viuendi regulam, tum in vini meracioris potu, tum in nimio fructuum, vel salsamentorum, & aromatum vsu, tum in similibus inconuenientibus iuuentutis proprijs, caueant inquam, ne bilis accensionem excitent, licet syncera non semper, sed in prædominio vt plurimùm vnà cum pituita bilis accendatur; propterea huiusmodi complexiones, dictis de causis febre corripi vnà cum vomitu, amara bile redundante, sitique ingenti, vel erysipelate, vel ophtalmia, vel dysenteria, similibusque morbis laborare, facillimè possunt, prout mihi in curandis ægrotis, præsertim iuuenibus, æstiuo tempore sæpè contigit experiri, saluis tamen quasi omnibus sic ægrotantibus.

Humores naturales ne citò alterentur, vel corrumpantur, quid agendum.

Qua-

Quamobrem hac de re Galenus, in libro de bonitate, & vitio succorum, circa primi capitis finem, de semetipso narrat etiam historiam, quam huc transferre non est inconueniens, inquit enim; Toto verò caniculæ tempore, quæ Græcis, ὀπώρα, est quum omnibus fugacibus fructibus me explessem, cum æqualibus vnà meis, autumno in morbum incidi acutum, sic, vt sanguinem mittere necesse habuerim; reuerso deinde in Vrbem patre, meque increpitò, tum reuocata in memoriam priore victus ratione, qua sub ipso vsus essem, præcepit, vti de cætero hanc seruarem, æqualium meorum intemperantiæ nuncio remisso, quin in sequenti quoque anno studiosè egit, vt viuendi rationem eam obseruarem, ne quid de fugacibus fructibus, nisi modicè attingerem: Agebam tunc temporis ætatis annum vndeuigesimum, quo anno cùm incolumis euasissem, sequentique deinde mortem obijsset pater, liberaliter, cum æqualibus, vnà in victu fructibus vsus, qui sub caniculæ tempus perueniunt, morbum incurri priori non dissimilem, vti tunc quoque vena mihi necessariò secanda fuerit; ex eo tempore aliquando singulo quoque deinceps anno ægrotaui, aliquando intermisso vno, ad annum vsq; vigesimum octauum, quo tempore cùm periculum adijssem, ne, qua parte septo transuerso iecur adhæret, abscessus esset, mihi ipsi vsum interdixi fugacium omnium, præter quàm ficuum, vuarumque exactè maturarum, hisque ipsis, non immodicè, sicuti anteà, sed moderatè adhibitis, habeamq; alium quendam biennio maiorem sodalem eiusdem mecum instituti: adhibita itaque diligenti de exercitatione cura, tum ne quid cruditate laboraremus, immunes hactenùs à morbis perseuerauimus annorum multorum spatio. Ita Galenus. Discant itaque omnes, Galeni exemplo, in semetipso satis experto, propriæ saluti prudenter prospicere, vt incolumen diù vitam producere possint, nam iuxta versiculum sequentem.

Galeni infirmitates ob nimiũ fructuũ vsum.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Homines igitur natura biliosi, quoniam iuxta bilis ipsorum in corporibus copiam, excedentemque feruorem, æstate præcipuè regnante, supradictis corripi morbis, aut vita periclitari etiam possunt, propterea studeant humectante, ac refrigerante victus ratione ipsammet bilem attemperare, somnoque noctu indulgere, supradictaque iuuentutis inconuenientia euitare, atque abhorrere, quæ licet aliàs euitare curauerint cum

pauco etiam progressu, eò quòd iterùm eodem æstiuo tempore superueniente, cum euidenti vitæ periculo ægrotare perseuerauerint: discant inquam in futurum ijdem magis cautè se regere, Galeni exequendo consilium, quo ad medicæ artis officium, libro primo de sanitate tuenda, capite primo, his verbis expressum: sicuti enim si impatibile nobis, nec vlli affectioni obnoxium corpus esset, nullam desideraret artem, quæ eius tutelæ præesset, ita nunc, cùm numerosissimis affectibus expositum sit, certam sibi deposcit artem, quæ & omnia eius incommoda prospicere, & ipsum ab ijs tueri possit: Ars enim, & artifex, sanitatis causæ fiunt ex eodem Galeno, libro vndecimo Methodi, capite primo. Ex hac igitur Galeni doctrina, tam ijdem superius dicti, quàm etiam alij, quibusdam suis affectionibus quandoque obnoxij, medicum scientia, & experientia doctum consulant, vt eo duce, ab æstiuis, & consuetis morborum periculis præcaueri possint, præseruatiua mediante cura, vtpote omninò necessaria, quæ quidem in satis conuenienti purgatione consistit.

Mediciæ artis officium ex Galeno, quale.

Purgationi verò tempus proportionatum, & opportunum tradit Hippocrates libro sexto Aphorismorum, quadragesimo septimo, vbi sic loquitur. Quibus venæ sectio, aut purgatio prodest, his vere secanda vena est, aut purgatio imperanda. Quod item confirmat Galenus in præcitati aphorismi commento, dum dicit. Horum enim vere ineunte anticipanda est vacuatio, vel per phlebotomiam, si plethoricis morbis corripiantur, vel per purgationem, si morbis sint ab humorum corruptione pendentibus obnoxij, ita enim à morbis multos conseruamus, & incolumes tuemur, qui multos iam annos anteà quotannis ægrotabant, hæc Galenus: ad purgationem verò aptum præparationis modum, dixit ipsemet Hippocrates, libro secundo Aphorismorum, nono, his verbis. Corpora, vbi quis purgare voluerit, fluida facere debet: de modo item purgandi, Galenus etiam egit in quintæ classis libello, inscripto. Quos purgare conueniat, quibus medicamentis, & quo tempore. Medicus deuique prudens, Hippocratis, & Galeni doctrina ductus, errare non poterit, quia hoc scilicet modo, non solùm hominibus natura biliosis, in exemplum superiùs adductis, verùm etiam sanguineis, phlegmaticis, ac melancholicis, quatenus opus fuerit, conferentem purgationem, ac salutarem victus rationem omninò præstabit, qua quidem via, consuetis

Purgationis tempus, & effectus, ex Hippocrate & Galeno.

ægri-

ægritudinibus nullus dabitur locus, remotis videlicet cruditatibus, eorundem morborum efficientibus veluti causis, in prædictæ purgationis virtute, prout ex prænarrata Galeni historia demonstratum est satis: & sic per consequens, vitæ longitudo, vel breuitas, ex parte similiter nostra, mediante propria,& recta, vel non recta conseruatione,ad vitæ diuturnitatem, vel breuitatem, maximè quidem prouenire posse videtur, prout inferiùs in tertio Notabili, hæc difficultas euidenter explanabitur.

De vitæ humanæ longitudine, ac breuitate, etiam quoad Astrologos incerta.

NOTABILE SECVNDVM.

Astrologorum opinio, circa humanæ vitæ diuturnitatem, ac breuitatem, quemadmodùm iuxta cætera ipsorum iudicia, non omninò ab omnibus recipi consueuit: Etenim quibusdam Astrologia, non modò fallax, immò verò superstitiosa videtur: dum suos tamen limites non transcendit, vel syderum necessitatem non constringit, nec religioni repugnat, neque in pronunciando inconsulta temeritas denotatur, tunc demum contemnenda non est, nempe quia naturales effectus a causis naturalibus,mediantibus item cælestibus influxibus dependere, non negat Aristoteles libro primo Meteorologicorum, capite secundo, vbi de effectricibus cœli causis in mundum inferiorem, his loquitur verbis: Est autem ex necessitate continuus quodammodò iste superioribus lationibus, vt omnis ipsius virtus inde gubernetur, vnde enim motus principium omnibus inest,illam causam putandum primam. Quamobrem Galenus libro tertio de diebus decretorijs, capite septimo, Lunam septenarios morborum circuitus continere dixit, quæ quidem Luna, Solis auxilio semper in omnibus indiget,Sol verò ad quamlibet rem,etiam maximam optimè perficiendam, tam alterius cuiuspiam astri, quam ipsiusmet Lunæ operam, nunquam profectò desiderat, eodem Galeno

Luna semper indiget Solis auxilio, ex Galeni sententia.

leno teste, libro secundo de diebus decretorijs, capite secundo; Experientia quoque notissimum est, maris pisces, & ostreacea omnia, nec non terræ fructus, vniuersaque animantia, crescente Luna, magis, quàm ea decrescente repleri, quemadmodùm humana pariter corpora, non solùm à maiori humidorum excrementorum copia, veluti catarrho, vel asthmate, sed etiam ab epilepsia, plurimisque morbis, ab humoribus, vt plurimùm frigidis, & humidis, prouenientibus, Luna, potiùs turgente, quàm deficiente vexari.

Astrologiæ, seu Astronomiæ definitio de Conciliatoris mente.

Attamen priùs quàm ad Astrologorum iudicia deueniatur, quid sit Astrologia, meritò declarandum videtur; Est igitur Astrologia, seu Astronomia, lex, vel ratio figuras cælestes, & motus in se, & suis effectibus vniuersaliter considerans, teste Conciliatore, differentia decima, & licet Astrologia magis de iudicijs, & figuris cælestibus, Astronomia verò de motibus, & effectibus eorundem, nuncupanda sit scientia, vtraque tamen, quoad nomen, ferè inter se non differre videtur, nam Astrologia, ab astro, & logos, quod est ratio, vel sermo dicitur, Astronomia verò, ab astro, & nomos, quod est lex, nuncupatur. Verùm enimuerò, licet Perillustris D. FRANCISCVS CORTESIVS, non satis in huius libri exordio celebratus, vtramque scientiam mirum in modum hisce temporibus possideat, nihilominus audiendus in primis hac de re Ptolemæus, qui enunciato quodam inter centum sexagesimum, in hunc modum scribit. Super ægrotis criticos dies inspice, ac Lunæ peragrationem in angulis sexdecim laterum, vbi enim eos angulos benè affectos inueneris, bene erit languenti, contrà, malè, si afflictos inueneris.

Lunæ motus, ac dierum criticorum obseruatio facienda ex Ptolemæo.

Rex Ptolemæus Astrologorum Princeps, quanti fecerit Lunæ motum, ac dierum criticorum obseruationem, ac vim vtpote admirabilem in iudicandis morborum euentibus ad salutem, vel mortem, supra dicta eius verba satis superque demonstrant, quæ ambo non negant etiam Medici. Nam vtrum in diebus criticis, vel indiciarijs, bonum, vel malum sit ægrotantibus euenturum, libro tertio prognosticorum, id scriptum reliquit Hippocrates, his planè verbis. Simplicissimæ namque febres, & signis firmatæ securissimis, quarto die, aut citiùs cessant; pessimæ verò, & cum signis grauissimis factæ, quarto die, vel citiùs interimunt; sic itaque primus ipsarum insultus absoluitur; secundus autem insultus, ad septimum diem termina-

Febres signis firmatæ securissimis, vel cum signis grauissimis factæ, quarto die terminentur ex Hippocrate.

natur; tertius ad vndecimum: quartus, ad decimum quartum, quintus, ad decimum feptimum; fextus, ad vigefimum, quem vigefimum idem Hippocrates in libris de morbis popularibus, tres feptimanas claudere voluit, ac propterea, vtpote magis criticum, experimento comprobauit plus iudicare, quàm vigefimum primum; cuius deinde caufam, Galenus in libris de diebus decretorijs, à Lunæ motu inuenire tentauit, ideòque libro tertio de diebus decretorijs, capite feptimo, præcisè Lunam feptenarios morborum circuitus continere dixit. Ita Galenus. Dictis propterea de caufis, prædicti dies critici in morbis præcipuè acutis, à Medicis magna obferuatione animaduertuntur, prout etiam ab Aftrologis, in omnibus fuis judicijs ad hanc rem fpectantibus, maxima admiratione coluntur.

Vigefimus dies tres fept manas continet, ac perficit, propterá magis iudicat, quàm vigefimus primus ex Hippocrate.

Si autem dicant Aftrologi, ficut inter planetas beneficos, veluti funt Iuppiter, & Venus, qui ambo ex propria natura femper id retinent, pro vt Luna, item & Sol, per bonorum tantummodò planetarum afpectum, quilibet femper ex his, per fe, vitam felicem, ac longam, honores item, ac diuitias vniuerfaliter pollicetur hominibus, fub talium fyderum influxu natis; ita inter maleficos planetas, veluti Saturnus, Mars, & Sol per coniunctionem exiftunt, ad quos etiam tanquam indifferens Mercurius ampliùs fæpè declinat, quilibet item ex his, tam ex propria natura maleficus, quàm etiam per coniunctionem talis euadens, femper calamitates, aut morbos, vel vitæ breuitatem; aut mortem violentam, fub eorum dominio viuentibus vniuerfaliter minatur, videlicet quia fecundum Aftrologos, tam profpera, quàm aduerfa, iuxta prædictorum planetarum influxus, humano generi femper impendent, donec fuum fortiantur effectum, ad quem naturaliter inclinant, veluti propriè contingere dicunt ijs, violenta morte quomodolibet percuntibus.

Refpondetur Aftrologis, in petitionibus, ac natiuitatibus, vel reuolutionibus conficiendis, verum quidem effe, tam beneficos, quàm maleficos planetas, hominibus fub eorum dominio, vel influxu natis, femper impendere, donec fuum fortiantur effectum, ad quem naturaliter inclinant, nihilominùs illam particulam (donec) includere folùm effectum naturaliter impendentem, aut inclinantem indeterminatè, non autem neceffariò cogentem ad fic, & non aliter exiftendum, vel agendum,

Iuppiter, & Venus ambo sunt ex propria natura benefici planetæ.

dum; nam exempli gratia Iuppiter, aut Venus, benefici ambo planetæ ex propria natura, licet diuitias, & honores sub talium planetarum dominio natis omninò polliceantur; si tamen ij, quibus talia semper impendent, iuxta dictorum planetarum inclinationem præstolentur, nec sua diligentia, & studio viam sibi comparent, & accelerent, pro dictis honoribus, ac diuitijs penitùs acquirendis, ijsdem profectò huiusmodi tantùm inclinatio, licet per se benefica, nunquam tamen reducetur ad actum, scilicet quia præter beneficorum planetarum fortunatam inclinationem, necessaria est etiam subiecti cooperatio, ad hoc, vt sequi possit effectus, ad quem dicti planetæ naturaliter inclinant.

Saturnus, & Mars ambo sunt ex propria natura planetæ malefici.

Pari quoque modo, licet inter maleficos planetas, veluti Saturnus, aut Mars, secundum propriam inclinationem, infortunia, rixas, vel mortem violentam, aut similes aduersitates hominibus sub eorum sydere natis semper minentur, malefica tamen istorum planetarum inclinatio, nunquam reducetur ad actum, nisi propria, & spontanea eorundem hominum voluntas simul cooperetur, & adiuuet, exempli gratia, dum alij sæpiùs ægrotant, quàm deberent, aliqui etiam iter facientes, à latronibus occiduntur, aliqui verò nauigantes, aduersæ fortunæ impetu submerguntur, alij autem veneno se interficiunt, vel spontè ab alto se præcipitant, vel se laqueo suspendunt, vel simili quauis morte dum pereunt, infortunati ne ideò dicendi sunt ij? ac tanquam sub infausto sydere nati, ab Astrologis iudicandi ne sunt infelices? Hi profectò neque audiendi, neque sunt ita excusandi. Nam, qui sæpiùs ægrotant, quàm deberent, non malos syderum influxus tantummodò inclinantes, sed inordinatum, ac monstruosum viuendi modum, quem ducunt, potiùs redarguere vehementer debent. Qui verò iter facientes à latronibus occiduntur, vel nauigantes submerguntur, non item infaustos planetarum influxus, ita sibi impendentes criminari tantùm deberent, nempè quia id pariter euitare potuissent, si prudenter, & optimè se se custodire curassent, ac huiusmodi periculis magis cautè prospexissent. Qui tandem veneno se interficere, vel ab alto dare se præcipites, vel se laqueo suspendere voluerunt, id etiam euitare potuissent, dum libero arbitrio, ac recta ratione non abutentes, aliter facere maluissent, ac sic nullo modo perijssent, nullus enim ad id, & non aliter faciendum, eos met impulit, nisi eorum sponta-

tanea voluntas, aut mera desperatio, non autem infelix syderum influxus, vt dicunt ij, veluti per antonomasiam Astrologiam profitentes.

Quemadmodùm igitur dictum est, ijdem planetarum influxus, cùm sint causæ remotissimæ, non cogunt hominum voluntatem ad necessariò agendum, prout semper inclinant, ideòq; Leuinius Lemnius insignis medicus, ac philosophus, in suo de Astrologia libello, hac de re sapienter dixit. Astra nec animo imperare, nec mentem, aut voluntatem, illorum vi incitari, anima verò non est elementaris, & astra, si quid efficiunt, non tamen agunt nisi in ea, quæ ex elementis constant, atque ex rerum concretione conflantur. hæc Lemnius.

Planetarum influxus sunt causæ remotissimæ. Astra non imperant animo, ex Lemnio.

Verùm, vt est in Centiloquio, sicut animam sapientem stellarum opus adiuuat, ita etiam idē sapiens dominabitur astris, licet id profectò sit arduum ad exequendum, prout diligens huc vsque obseruatio, necnon confirmata sæpiùs experientia mihi fidem optimam præstiterunt; nihilominùs, sicut patientia colligit rosas, ita quiuis iudicio præditus, sua patientia, scientia, atque prudentia, efficere sic poterit, vt ni omninò dominetur astris, ita tamen resistet illis, vt ab aduersa nocendi semper inclinatione, malus eorum influxus a semet ipso poterit impediri, quemadmodùm profectò contingit quandoque nautæ, qui licet expertus, ac prudens (aduersa tamen vrgente fortuna) nauim ab alto mari, difficulter tandem, ac patienter in portum ducit.

Sapiens quo modo dominetur astris.

Notandum item, quo modo Esaias Propheta capite quadragesimo septimo redarguerit populum Iudaicum, spe futurorum, ac promissorum destitutum, ac veluti ab Astrologis delusum, dum ita locutus est; Stent, & saluent te Aruspices Cæli, qui contemplantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annunciarent futura tibi, ecce facti sunt vt stipula, ignis consumpsit illos; Hieremias item Propheta capite decimo, simili de causa ita scripsit. Iuxta vias gentium nolite discere, & a signis Cæli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt. & S. Hieronymus tomo quarto in Esaiam Prophetam, sic dixit. Requirere stellarum cursus, & futurorum ex eis inuenta rimari, mendacium est, cùm Deus (vt inquit Sapiens capite decimo quinto Ecclesiastes) in manu consilij hominem reliquerit.

Hieremiæ Prophetæ notabile dictum super Astrologorum iudicia.

S. Hieronymi notabile dictū de Astrorum iudicijs.

Quamobrem nec mirum est, si Fauorinus quoque apud Gellium,

lium, libro decimo nono, capite primo, vſus fuerit argumento ſequenti, hinc inde ſatis arguto, & efficaci, ſuper Aſtrologorum iudicia; Argumentum autem eſt huiuſmodi, nempe, vel aduerſa dicunt euentura Aſtrologi, vel proſpera; ſi proſpera, & fallunt, miſer eris fruſtra expectando; ſi aduerſa dicunt, & mentiuntur, miſer eris fruſtra timendo; ſi vera reſpondent, eaque ſunt non proſpera, iam inde ex animo miſer eris, antè quàm fatum finies; ſi felicia promittunt, eaque ventura ſunt, tum planè duo erunt incommoda, & expectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudij fructum ſpes tibi defloraueritت, hæc Fauorinus.

Fauorini argumentum notabile ſuper Aſtrologorum iu'icia.

Pro meliori verò intelligentia, & probatione, circa quorundam planetarum influxus ſecundum Aſtrologos, dico pariter eoſdem tardiùs impellere ad agendum in humana corpora, quàm ipſas qualitates elementares, quàm proprios noſtri corporis humores, quàm ipſa denique elementa, ex quibus dicti humores ſuas qualitates, & naturam ſortiuntur, quod probandum ſingulariter nunc eſt.

Quo ad qualitates igitur elementares, quæ licet iiſdem ſubijciantur planetis, quàm citiſſimè quidem alterantur humana corpora, tam ob frigoris, vel caloris, quàm ob ſiccitatis, vel humiditatis exceſſum alternatiuè dominantem, quorum cauſa morbi fiunt potiùs; quàm ob Saturni, vel Martis influxum, teſte Hippocrate, ſectione tertia Aphoriſmorum, primo, his verbis. Mutationes temporum maximè pariunt morbos, & in temporibus magnæ mutationes, frigoris, aut caloris, cæteraque ad proportionem, his ſimiliter, hæc Hippocrates; Quamobrem mirum item non eſt, ſi Romanum Cælum, ob frequentem huiuſmodi inconſtantiam, temporum ſic dominantium; viuentes quamplurimos catarrho, tuſſi, podagræ, aſthmati, ſimilibuſque fluxionibus perſæpè ſubijciat.

Aſtra ne malefica? an humores naturales efficiant morbos.

Quo ad proprios noſtri corporis humores, dum ij ſunt benè diſpoſiti, tunc aduerſi planetarum aſpectus, vel coniunctiones oppoſitæ, cùm non inueniant in quod agant, effectum vel minimum producere nunquam poterunt; dum verò humana corpora prauis humoribus abundant, ſiquidem, vt proximè parata ad ægrotandum, citiùs ægrotant, quàm per aduerſi ſyderis influxum ſic inclinantem ægrotarent.

Quo ad alimenta pro humano corpore præſertim electa, veluti ſunt phaſiani, capones, gallinæ, carneſque omnes recentia,

tan-

tantillo facchari, & cinnamomi condita, ficedulæ, perdices, columbi, panis tam pontificius, quàm hifpanicus dictus, nec non bifcoctus item pifanus, prædictique fimiles cibi, vel arte medica parati, vtpote funt nuclei piftaciorum, vel pinearum, vtrique, faccharo conditi, vel ex ijfdem confectiones reftauratiuæ vnà cum amygdalis dulcibus,& pulpa capi, additis etiam cinnamomo, aqua rofacea mofchata, & faccharo quantum fatis pro quolibet, ad conficiendos, fecundum pharmacopœam artem, morfellos, vnius vnciæ pondus retinentes, quorum duobus, vel tribus fuauiter manducatis, ac vino deinde albo, claro, & odorifero, iuxta neceffitatem fuperbibito, hominum illicò vires, ac fpiritus, mirum in modum redduntur ad Venerem prompti, queadmodùm etiam idem efficere valent conferua Eryngij ad vnam, vel duas circiter vncias, vel Diafatyrion, ad duas, vel tres drachmas, vfque ad vnciam, iuxta Mefuem, dummodò præ cæteris, moderatè fuperbibatur in omnibus vinum, non folùm reficiens, verùm etiam bibentes lætificans; hæc etenim prædicta, fuo loco, & tempore fumpta, magis poffunt in hominibus tentiginem, & lumbos ad Venerem ftimulare, quàm ipfum met fydus Veneris, vel eiufdem influxus, & inclinatio, quoniam fine Cerere, & Baccho friget Venus, & idcircò S. Paulus epiftola prima, capite quinto ad Ephefios dixit, Nolite fieri imprudentes, & nolite inebriari vino, in quo eft luxuria.

Venerem, quæ reme ia fufcitent.

S. Paul dicit de vino.

Quamobrem iuftis item de caufis, primus iræ motus in homine irritatus, plùs poteft ad arma fufcipienda, pro vlcifcenda iniuria recepta, quàm maleficus, furibundi Martis, planeta, per fe folùm, ad idem inclinans, & impellens.

Concludendum igitur ex dictis, quo ad indicia, atque præfagia, circa vitæ longitudinem, vel breuitatem, certam omninò fidem Aftrologis non effe præftandam; quoniam de futuris contingentibus nulla determinata veritas eft; fi qua tamen aliquandò fuccedant iuxta defcriptas Aftrologorum fententias, per aftronomica fua iudicia prolatas, ea tantummodò per propriam, ac voluntariam hominum executionem, ad exitum vltimatè perducuntur, non autem per folam, & indeterminatam planetarum inclinationem femper independenter fe habentem, donec mediante libero hominis arbitrio ita permittente, nec aftrorum vi, vllo modo coacto, ad effectum totaliter reducantur.

Aftrologorum iudicijs, circa mortem, vel vitam, vtrum præftanda fit fides.

lium, libro decimo nono, capite primo, vſus fuerit argumento ſequenti, hinc inde ſatis arguto, & efficaci, ſuper Aſtrologorum iudicia; Argumentum autem eſt huiuſmodi, nempe, vel aduerſa dicunt euentura Aſtrologi, vel proſpera; ſi proſpera, & fallunt, miſer eris fruſtra expectando; ſi aduerſa dicunt, & mentiuntur, miſer eris fruſtra timendo; ſi vera reſpondent, eaque ſunt non proſpera, iam inde ex animo miſer eris, antè quàm fatum finies; ſi felicia promittunt, eaque ventura ſunt, tum planè duo erunt incommoda, & expectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudij fructum ſpes tibi defloraue-rit, hæc Fauorinus.

Fauorini argumentum notabile ſuper Aſtrologorum iudicia.

Pro meliori verò intelligentia, & probatione, circa quorundam planetarum influxus ſecundum Aſtrologos, dico pariter eoſdem tardiùs impellere ad agendum in humana corpora, quàm ipſas qualitates elementares, quàm proprios noſtri corporis humores, quàm ipſa denique elementa, ex quibus dicti humores ſuas qualitates,& naturam ſortiuntur, quod probandum ſingulariter nunc eſt.

Quo ad qualitates igitur elementares, quæ licet ijſdem ſubijciantur planetis, quàm citiſſimè quidem alterantur humana corpora, tam ob frigoris, vel caloris, quàm ob ſiccitatis, vel humiditatis exceſſum alternatiuè dominantem, quorum cauſa morbi fiunt potiùs; quàm ob Saturni, vel Martis influxum, teſte Hippocrate, ſectione tertia Aphoriſmorum, primo, his verbis. Mutationes temporum maximè pariunt morbos, & in temporibus magnæ mutationes, frigoris, aut caloris, cæteraque ad proportionem, his ſimiliter,hæc Hippocrates;Quamobrem mirum item non eſt,ſi Romanum Cælum, ob frequentem huiuſmodi inconſtantiam, temporum ſic dominantium, viuentes quamplurimos catarrho, tuſſi, podagræ, aſthmati, ſimilibuſque fluxionibus perſæpè ſubijciat.

Aſtra ne maleſica? an humores naturales efficiant morbos.

Quo ad proprios noſtri corporis humores, dum ij ſunt benè diſpoſiti, tunc aduerſi planetarum aſpectus, vel coniunctiones oppoſitæ, cùm non inueniant in quod agant, effectum vel minimum producere nunquam poterunt; dum verò humana corpora prauis humoribus abundant, ſiquidem, vt proximè parata ad ægrotandum, citiùs ægrotant, quàm per aduerſi ſyderis influxum ſic inclinantem ægrotarent.

Quo ad alimenta pro humano corpore præſertim electa, veluti ſunt phaſiani, capones, gallinæ, earumque oua recentia,

tan-

tantillo facchari, & cinnamomi condita, ficedulæ, perdices, columbi, panis tam pontificius, quàm hispanicus dictus, nec non biscoctus item pisanus, prædictique similes cibi, vel arte medica parati, vtpote sunt nuclei pistaciorum, vel pinearum, vtrique, saccharo conditi, vel ex ijsdem confectiones restauratiuæ vnà cum amygdalis dulcibus,& pulpa capi, additis etiam cinnamomo, aqua rosacea moschata, & saccharo quantum satis pro quolibet, ad conficiendos, secundum pharmacopœam artem, morsellos, vnius vnciæ pondus retinentes, quorum duobus, vel tribus suauiter manducatis, ac vino deinde albo, claro, & odorifero, iuxta necessitatem superbibito, hominum illicò vires, ac spiritus, mirum in modum redduntur ad Venerem prompti, queadmodùm etiam idem efficere valent conserua Eryngij ad vnam, vel duas circiter vncias, vel Diasatyrion, ad duas, vel tres drachmas, vsque ad vnciam, iuxta Mesuem, dummodò præ cæteris, moderatè superbibatur in omnibus vinum, non solùm reficiens, verùm etiam bibentes lætificans; hæc etenim prædicta, suo loco, & tempore sumpta, magis possunt in hominibus tentiginem, & lumbos ad Venerem stimulare, quàm ipsum met sydus Veneris, vel eiusdem influxus, & inclinatio, quoniam sine Cerere, & Baccho friget Venus, & idcircò S. Paulus epistola prima, capite quinto ad Ephesios dixit, Nolite fieri imprudentes, & nolite inebriari vino, in quo est luxuria.

Venerem, quæ rème aa suscitent.

S. Pauli dictū de vino.

Quamobrem iustis item de causis, primus iræ motus in homine irritatus, plùs potest ad arma suscipienda, pro vlciscenda iniuria recepta, quàm maleficus, furibundi Martis, planeta, per se solùm, ad idem inclinans, & impellens.

Concludendum igitur ex dictis, quo ad iudicia, atque præsagia, circa vitæ longitudinem, vel breuitatem, certam omninò fidem Astrologis non esse præstandam; quoniam de futuris contingentibus nulla determinata veritas est; si qua tamen aliquandò succedant iuxta descriptas Astrologorum sententias, per astronomica sua iudicia prolatas, ea tantummodò per propriam,ac voluntariam hominum executionem, ad exitum vltimatè perducuntur, non autem per solam, & indeterminatam planetarum inclinationem semper independenter se habentem, donec mediante libero hominis arbitrio ita permittente, nec astrorum vi, vllo modo coacto, ad effectum totaliter reducantur.

Astrologorum iudicijs, circa mortem, vel vitam, vtrum præstanda sit fides.

An vita humana posſit arcanis Medicinæ remedijs prorogari.

NOTABILE TERTIVM.

HVmana quidem vita, Medica tam ſcientiæ, quàm Arte prorogari ne poſſit? non immeritò dubitatur. Ratio autem dubitandi ſatis euidens eſt, quoniam quotidie patet, tum infantes, tum iuuenes, tum etiam ſenes, quomodolibet ægrotantes, medicis tamen auxilijs non omnes ſanos fieri; quò fit, vt cùm ſemper ſuum non conſequatur Medicus finem, ſanitatem videlicet, ac vitæ longitudinem, hac profectò de cauſa dubitationi locum non deficere. Si tamen conſiderentur Ariſtotelis verba primo Topicorum, capite ſecundo, hæc difficultas ex illis, iam ſatis enodata videbitur, dum ait. Sic enim neque Rhetor omni ex modo perſuadebit, neque Medicus ſanabit, ſed ſi ex ijs, quæ contingunt, nihil omiſerit, ſufficienter medicinam habere dicimus: qua item de cauſa Fernelius libro primo Methodi medendi capite primo, idem ſentit, dum ita loquitur. Medici munus, atque officium eſt, curare appoſitè ad ſanandum, non enim ſemper ægrotum ſanitati reſtituit, appoſitè autem curat, qui citò, tutò, ac iucundè remedia confert, hæc Fernelius.

Medici, ac Medicinæ ſufficiētia quatenùs in eligenda per Ariſtotelē.

Medici officiū quale ſit ſecundum Fernelium.

Medicinæ diuiſio quotuplex.

Porrò notatione dignum eſt, medicinam, dum in intellectu ſolùm eſſe obtinet, ſcientiam ſemper eſſe, dum tamen vniuerſalia perquirit, & nihil de agendo deliberat, Theoricam perpetuò dici, quatenùs verò minùs vniuerſalia tractat, ac de aliquo conficiendo remedio diſſerit, tunc quidem Practicæ nomen retinere. Quemadmodùm etiam notiſſimum eſt apud antiquos Medicos, ſub medicinæ nomine, definitiones extitiſſe diuerſas, ad eundem vtrique finem tendentes, nam Auerroes primo colliget, definiuit medicinam eſſe artem operatiuam inuentam experimento, & ratione, ſanitatem conſeruantem, & ægritudinem remouentem; Princeps Auicenna, Canonis libri primi initio, ſen prima, & doctrina prima, dixit medicinam eſſe ſcientiam, qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur ea parte, qua ſanatur, vt habita ſanitas conſeruetur,

Medicinæ definitio iuxta diuerſos Auctores.

&

& amissa recuperetur. Galenus verò artis paruæ initio. Medicinam esse scientiam salubrium, insalubrium, & neutrorum declarauit, sed Hippocrates in libro de flatibus, de more suo breuitatem secutus, Medicinam esse additionem, & detractionem scriptum reliquit.

Quamobrem licèt verum sit, quòd statim vt Medicus, humanum corpus virium languore, vel simili quouis defectu, inanitionem indicante, laborare cognoscit, tunc illud, per additionem, tum cibi, & potus, tum etiam medicamentorum restaurantium, ac vires reficientium, quomodolibet sanare conatur. Accidit tamen virium quandoque debilitas, & languor, ob humorum tum qualitatem, tum copiam grauantem, ac veluti calorem innatum suffocantem, quemadmodum ignis ob nimiam lignorum copiam sæpè coaceruatam suffocatur, & extinguitur, quæ omnia doctus, & expertus Medicus, distinctè cognoscere non ignorat, ideòque dum corpus humanum humorum remotione, vel quauis superfluitate abundare similiter animaduertit, & cernit, tunc per detractionem, mediante diæta, vel sanguinis missione, vel medicamento purgante, vel prout fieri potest, ad sanitatis statum illud profectò reducere tentat, morbos enim, qui fiunt ex inanitione, repletio sanat, & qui fiunt ex repletione, inanitio pariter sanat, quoniam contrarijs semper contraria curari necesse est, iuxtà Medicorum doctrinam experientia confirmatam.

His igitur licet rectè se habentibus, meæ tamen intentioni, definitio superiùs à Galeno tradita, magis accommodatur; nempe quia, dum Artis paruæ initio, scripsit medicinam esse scientiam salubrium, insalubrium, & neutrorum, significare nobis voluit, tam sana corpora per medicinæ scientiam in sanitate conseruari, quàm etiam insalubria, hoc est quouis morbo oppressa, per eandem ad sanitatem reduci (quatenùs tamen sanabilia sint) prout etiam neutra corpora, quæ medio tanquam modo se habent, ideòque proximè decidentia dicuntur, id est cæteris perfectè sanis, magis propinqua, & apta ad ægrotandum, in eiusdem medicinæ virtute, à morbis similiter præseruari. Præsenti enim in libro mea mens est conseruandi non solùm in sanitate vniuersum genus humanum, sed illud simul à futuris morbis præseruandi, ad hoc, vt in omnibus vitæ prorogatio fiat, præcipuè tamen in corporibus neutris, quæ

Auctoris opinio, & mēs circa vniuersorū salutem.

profectò medicam per scientiam, & artem, sanitatis præseruatione, ac vitæ prorogatione vehementer indigent; Nam semper verus cuiusuis Medici scopus est, suis remedijs, ægrotantes omnes in quantum potest, ad salutem reducere, quia talis est medicinæ finis. Propterea si corpus humanum impatibile, nec vlli affectioni esset obnoxium, nullam quidem artem corporis tutricem requireret; qui igitur leui corripiuntur morbo, naturæ tantummodo beneficio sanantur, natura enim leues morbos sine Medici auxilio perfectè curat. Qui verò grauiter ægrotant, medica profectò manu indigent; ars enim, & artifex, sanitatis causæ fiunt, ex Galeni sententia, libro vndecimo Methodi medendi, capite primo, quæ tamen sententia, in corpore quatenùs sanabili, locum habere debet, quoniam iuxtà sequentem versiculum.

Medici, & medicinæ finis, qualis.

Morbi leues non indigent Medico.

Ars, & artifex sanitatis causæ fiunt ex Galeno.

Non est in medico semper sanetur vt æger.

Tempus autem nunc esse videtur, docendi modum, & dilucidandi viam, qua viuentibus vniuersis vita prorogari etiam possit, quod licet arduum, & aliquibus impossibile videatur, non est tamen omninò à veritate alienum, videlicet quia non vltrà terminum cuilibet viuentium à Deo præfixum, vitam prorogari posse decerno, cùm id faciendi nulla possit esse redemptio.

Vita humana qua via possit etiam prorogari.

Si autem obijciatur, qui nam modus vitæ prorogandæ sit iste?

Respondetur illico, licet à Deo viuentibus omnibus constitutus fuerit terminus vitæ vltimatus præcisè, vltrà quem transcendere nemo potest, quàmplurimos tamen, sua met propria culpa, certissimum est ad eum non peruenire, pluribus de causis, sibi met ipsis breuiorem vitam reddentibus, prout non solùm nunc, sed etiam paulò post clariùs dicetur. Idcircò dum vniuersæ medicinæ beneficio dabitur locus, & modus, qui ad prædictum terminum cuilibet a Deo vltimatum præcisè, faciat etiam quemlibet effectiuè peruenire, tunc intra dictum terminum vitam profectò ijsdem prorogari continget, prohibendo videlicet in totius medicinæ virtute, vitæ abbreuiationem intra eundem terminum, quod negari non potest, iuxtà mentem Auicennæ, primo Canonis libro, fen tertia, doctrina tertia, capite de causis sanitatis, & ægritudinis, & necessitatis mortis, & eiusdem libri, fen prima, doctrina tertia, capite tertio, quibus in locis propriè docet, quo modo quis possit à

se

ſe remouere terminum illum abbreuiatum, qui nullus alius eſt, niſi cita humidi radicalis reſolutio, vel ſuffocatio, necnon humorum etiam corruptio, quibus de cauſis non eſt mirum, ſi homines per accidens voluntarium, & à ſe ipſis tantummodò dependens, præter conſuetum naturæ ordinem, vitam ſibi breuiorem reddant. Vitæ terminus abbreuiatus per Auicennã, quomodo contingat.

Cùm igitur mortem viuentibus omnibus dupliciter poſſe contingere notiſſimum vndique ſit, violenter nimirùm, vel naturaliter. De morte tamen violenter per gladium, aut venenum, vel ſimiliter facta, vtpote vitæ abbreuiationis cauſa, ſumpta quidem ſimilitudine a candela ardente, quæ ſi quomodolibet extinguatur antè quàm ab igne conſumpta totaliter fuerit, tunc violenter extingui dicitur, eò quòd adhuc candela comburenda remaneat, pari ſcilicet modo, pluribus viuentibus, in ſummo vitæ vigore, violenta mors accidit, quamuis diuturnum vitæ complendæ tempus adhuc remanere potuiſſet, propterea cùm non ſit in poteſtate medica, ad eam quomodolibet impediendam, vel retardandam, de hac ideò ſatis euidens facta eſt demonſtratio in præcedente Notabili, vbi de vitæ humanæ longitudine, ac breuitate ſecundum Aſtrologos ad hanc rem etiam ſpectante, præter meum quidem inſtitutum agere coactus fui. De morte verò naturaliter eueniente, poſito inquam fundamento tanquam certiſſimo, nẽpe quòd Deus ab æterno cuilibet viuentium præfixerit terminum vitæ vltimatum præcisè, tunc non erit inconueniens dicere, ſicut intra iſtum terminum vitæ vltimatum, cuilibet viuentium præcisè à Deo præfixum, poteſt quiuis abbreuiare ſibi vitam, ita etiam, & prorogare, quod quidem ex dicendis ſatis euidenter conſtare vnuſquiſque cognoſcet; Hoc autem intelligendum de ijs eſt, qui libero frui poſſunt arbitrio; nam fœtus muliebri in vtero exiſtentes vel infantes etiam grandiores, dum vita priuantur, parentum, vel nutricum potiùs culpa interire videntur, licet id quoque iuſto, & incomprehenſibili Dei iudicio ita regente, fieri certiſſimum ſit, quoniam vita, & mors in manu Domini. Mors viuentibus dupliciter euenit. Mors naturaliter eueniens, an poſſit retardari vel etiam feſtinari.

Notandum tamen priùs eſt; mortem etiam naturalem, duplici modo poſſe hominibus adhuc viuentibus euenire; primo modo, ex defectu caloris naturalis totaliter conſumpti ſecundum naturæ curſum; ſecundo modo accidentaliter, ac præter naturæ curſum, quæ idcircò ſub mortis naturalis nomine

com-



comprehenditur, ad differentiam scilicet mortis violentæ prouenientis ex veneno, vel gladio, vel simili quouis modo superiùs dicto.

Quo ad mortem igitur naturalem primo modo sumptam; videlicet, statim vt viuentibus hominibus, per totalem caloris naturalis consumptionem, secundum naturæ cursum omninò deficit vita, illicò mortem subsequi necesse est, iuxta candelæ nimirùm accensæ similitudinem, quæ paulatim consumitur, donec materia combustibilis remaneat, qua deficiente candelam statim extingui necesse est, quæ inquam extinctio, veluti mors esse videtur.

Quo ad mortem verò naturalem secundo modo sumptam; quæ propriè naturalis dici non deberet, sed præter naturam accidentalis nuncupanda potiùs esset, nihilominùs comprehenditur item sub mortis naturalis nomine, ad differentiam mortis violentæ, per gladium, aut venenum, vel similiter factæ, vt dictum est supra.

Mors autem hæc naturalis secundo modo sumpta, vt plurimùm contingere quibusdam solet hominibus ex monstruoso, & insalubri viuendi regimine, quibus quidem contingit, sicuti candelæ accensæ, in exemplum adductæ, quæ si per accidens nouo propinetur igni, tunc non solùm a proprio met igne consumitur, verùm etiam ab eodem nouo igne, candelæ iam accensæ propinato, per colliquationem citiùs comburitur, & extinguitur, præter quàm debuisset. Ita propemodùm iisdem hominibus euenit, nam præter calorem naturalem, veluti blandum ignem, qui paulatim à natiuitate consumitur, nouus per accidens morbus mali moris, in humoribus per putredinem gignitur, tanquam alter ignis, quo mediante, calor proprius naturalis citiùs destruitur, quàm debuisset, vnde posteà ex violentia dicti morbi per accidens geniti, eisdem inquam, præter naturæ ordinem pariter interire contingit. Omnes igitur ita morientes, licet vi morbi mali moris, vel exitialis ingulentur, nihilominùs naturali morte obiisse videntur, atque dicuntur, eò quòd neque gladio, aut veneno, similique violenta morte, ac repentina, totaliter manifesta perierint.

Morbi mali moris, cur ita dicantur.

Morbi autem mali moris, vel exitiales, propterea violenter homines vita priuare dicuntur; quia ob malignam putredinem, & occultam qualitatem, veneno similem, vel ob morbi vehementiam, cor præcipuè lædunt, ac suffocant, citissimèque

que etiam persæpè interficiunt, quos inter morbos, tanquam pessimos, malignæ, vel pestiferæ numerantur febres, necnon anginæ, iliaca tormenta, cardiacæ passiones, phrenetici, pleuritici, lethargici, apoplectici, & his valde lethales, similesque morbi.

Quamobrem sicut prudenti iudicio animaduerti facilè potest, ne accensæ candelæ, in exemplum adductæ, nouus appropinquetur ignis, nè item à duplicato igne per accidens candela citiùs colliquetur, & comburatur, ac item celeriùs extinguatur; eodem scilicet modo, ea medicinæ parte, quæ bonæ valetudinis conseruandæ præcepta docet, ex Galeni sententia, sexto de sanitate tuenda, capite decimo, suo tamen loco, & tempore prudenter adhibita, humanum corpus præseruari etiã poterit à nouo putredinis igne, qui per accidens accendi, vitamque breuiorem reddere potuisset; Medicus igitur; non solùm homines, præsentibus morbis oppressos, curare conatur, verùm etiam quoscunque ab ijsdem met præcauere diligenter studet, ad hoc, vt medicæ doctrinæ beneficio, vita humana, per præseruationem à putredine, veniat etiam proroganda, intra terminum tamen cuilibet à Deo vltimatè præfixum (intra quem tantummodò semper intelligendum declaro, vbicumq; persæpè in præsenti tractatu, de vitæ prorogatione agitur) ad quem terminum profectò non perueniunt homines, qui quolibet voluntario suæ vitæ detrimento, ex humorum cruditate, vel copia suffocante; vel ex eorundem putredine, vt pote morborum matre, ac mortis causa, præter consuetum naturæ ordinem, quasi violenter vita priuantur; quæ omnia profectò, præuidit etiam Auicenna pluribus in locis supra citatis, præsertim verò in primo Canonis libro, fen tertia, doctrina tertia, capitulo vnico, cuius verba, prout in puncto, hic repetere libenter volui, ait enim, Ars quidem sanitatem custodiendi, non est ars, quæ à morte securos nos faciat, neque corpus ab extrinsecis nocumentis muniat, neque vnumquodque corpus ad vltimam vitæ longitudinem perducat, quæ est secundum hominem absolutè, sed de duabus rebus securitatem præbet, putrefactionis penitùs prohibitionem, & defensionem humiditatis, ne citò resoluatur, & in ipsius quidem fortitudine consistat, vt ipsum vsque ad debitum tempus secundum suam complexionem permanere faciat, & hoc quidem erit propter regimen rectum restaurationis, quæ fit in corpore, loco eius, quod re-

Vita humana, quò vsque medicinæ beneficio, possit etiã prorogari.

Ars custodiendi sani atem, vitamque prorogandi, qualis & quantum possit ex Auicenna.

An vita humana poſsit arcanis Medicinæ remedijs prorogari.

NOTABILE TERTIVM.

HVmana quidem vita, Medica tam ſcientia, quàm Arte prorogari ne poſſit? non immeritò dubitatur. Ratio autem dubitandi ſatis euidens eſt, quoniam quotidie patet, tum infantes, tum iuuenes, tum etiam ſenes, quomodolibet ægrotantes, medicis tamen auxilijs non omnes ſanos fieri; quò fit, vt cùm ſemper ſuum non conſequatur Medicus finem, ſanitatem videlicet, ac vitæ longitudinem, hac profectò de cauſa dubitationi locum non deficere. Si tamen conſiderentur Ariſtotelis verba primo Topicorum, capite ſecundo, hæc difficultas ex illis, iam ſatis enodata videbitur, dum ait. Sic enim neque Rhetor omni ex modo perſuadebit, neque Medicus ſanabit, ſed ſi ex ijs, quæ contingunt, nihil omiſerit, ſufficienter medicinam habere dicimus: qua item de cauſa Fernelius libro primo Methodi medendi capite primo, idem ſentit, dum ita loquitur. Medici munus, atque officium eſt, curare appoſitè ad ſanandum, non enim ſemper ægrotum ſanitati reſtituit, appoſitè autem curat, qui citò, tutò, ac iucundè remedia confert, hæc Fernelius.

Medici, ac Medicinæ ſufficientia quatenùs in eligenda per Ariſtotelē.

Medici officiū quale ſit ſecundum Fernelium.

Medicinæ diuiſio quotuplex.

Porrò notatione dignum eſt, medicinam, dum in intellectu ſolùm eſſe obtinet, ſcientiam ſemper eſſe, dum tamen vniuerſalia perquirit, & nihil de agendo deliberat, Theoricam perpetuò dici, quatenùs verò minùs vniuerſalia tractat, ac de aliquo conficiendo remedio diſſerit, tunc quidem Practicæ nomen retinere. Quemadmodùm etiam notiſſimum eſt apud antiquos Medicos, ſub medicinæ nomine, definitiones extitiſſe diuerſas, ad eundem vtrique finem tendentes, nam Auerroes primo colliget, definiuit medicinam eſſe artem operatiuam inuentam experimento, & ratione, ſanitatem conſeruantem, & ægritudinem remouentem; Princeps Auicenna, Canonis libri primi initio, ſen prima, & doctrina prima, dixit medicinam eſſe ſcientiam, qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur ea parte, qua ſanatur, vt habita ſanitas conſeruetur,

Medicinæ definitio iuxta diuerſos Auctores.

&

& amissa recuperetur. Galenus verò artis paruæ initio. Medicinam esse scientiam salubrium, insalubrium, & neutrorum declarauit, sed Hippocrates in libro de flatibus, de more suo breuitatem secutus, Medicinam esse additionem, & detractionem scriptum reliquit.

Quamobrem licèt verum sit, quòd statim vt Medicus, humanum corpus virium languore, vel simili quouis defectu, inanitionem indicante, laborare cognoscit, tunc illud, per additionem, tum cibi, & potus, tum etiam medicamentorum restaurantium, ac vires reficientium, quomodolibet sanare conatur. Accidit tamen virium quandoque debilitas, & languor, ob humorum tum qualitatem, tum copiam grauantem, ac veluti calorem innatum suffocantem, quemadmodum ignis ob nimiam lignorum copiam sæpè coaceruatam suffocatur, & extinguitur, quæ omnia doctus, & expertus Medicus, distinctè cognoscere non ignorat, ideòque dum corpus humanum humorum remotione, vel quauis superfluitate abundare similiter animaduertit, & cernit, tunc per detractionem, mediante diæta, vel sanguis missione, vel medicamento purgante, vel prout fieri potest, ad sanitatis statum illud profectò reducere tentat, morbos enim, qui fiunt ex inanitione, repletio sanat, & qui fiunt ex repletione, inanitio pariter sanat, quoniam contrarijs semper contraria curari necesse est, iuxtà Medicorum doctrinam experientia confirmatam.

His igitur licet rectè se habentibus, meæ tamen intentioni, definitio superiùs à Galeno tradita, magis accommodatur; nempe quia, dum Artis paruæ initio, scripsit medicinam esse scientiam salubrium, insalubrium, & neutrorum, significare nobis voluit, tam sana corpora per medicinæ scientiam in sanitate conseruari, quàm etiam insalubria, hoc est quouis morbo oppressa, per eandem ad sanitatem reduci (quatenùs tamen sanabilia sint) prout etiam neutra corpora, quæ medio tanquam modo se habent, ideòque proximè decidentia dicuntur, id est cæteris perfectè sanis, magis propinqua, & apta ad ægrotandum, in eiusdem medicinæ virtute, à morbis similiter præseruari. Præsenti enim in libro mea mens est conseruandi non solùm in sanitate vniuersum genus humanum, sed illud simul à futuris morbis præseruandi, ad hoc, vt in omnibus vitæ prorogatio fiat, præcipuè tamen in corporibus neutris, quæ Auctoris opinio, & mens circa vniuersorũ salutem.

profectò medicam per scientiam, & artem, sanitatis præseruatione, ac vitæ prorogatione vehementer indigent; Nam semper verus cuiusuis Medici scopus est, suis remedijs, ægrotantes omnes in quantum potest, ad salutem reducere, quia talis est medicinæ finis. Propterea si corpus humanum impatibile, nec vlli affectioni esset obnoxium, nullam quidem artem corporis tutricem requireret; qui igitur leui corripiuntur morbo, naturæ tantummodo beneficio sanantur, natura enim leues morbos sine Medici auxilio perfectè curat. Qui verò grauiter ægrotant, medica profectò manu indigent; ars enim, & artifex, sanitatis causæ fiunt, ex Galeni sententia, libro vndecimo Methodi medendi, capite primo, quæ tamen sententia, in corpore quatenùs sanabili, locum habere debet, quoniam iuxtà sequentem versiculum.

Medici, seu medicinæ finis, qualis.

Morbi leues non indigent Medico.

Ars, & artifex sanitatis causæ fiunt ex Galeno.

Non est in medico semper sanetur vt æger.

Tempus autem nunc esse videtur, docendi modum, & dilucidandi viam, qua viuentibus vniuersis vita prorogari etiam possit, quod licet arduum, & aliquibus impossibile videatur, non est tamen omninò à veritate alienum, videlicet quia non vltrà terminum cuilibet viuentium à Deo præfixum, vitam prorogari posse decerno, cùm id faciendi nulla possit esse redemptio.

Vita humana qua via possit etiam prorogari.

Si autem obijciatur, quí nam modus vitæ prorogandæ sit iste?

Respondetur illico, licet à Deo viuentibus omnibus constitutus fuerit terminus vitæ vltimatus præcisè, vltrà quem transcendere nemo potest, quàmplurimos tamen, sua met propria culpa, certissimum est ad eum non peruenire, pluribus de causis, sibi met ipsis breuiorem vitam reddentibus, prout non solùm nunc, sed etiam pauló post clariùs dicetur. Idcircò dum vniuersæ medicinæ beneficio dabitur locus, & modus, qui ad prædictum terminum cuilibet a Deo vltimatum præcisè, faciat etiam quemlibet effectiuè peruenire, tunc intra dictum terminum vitam profectò ijsdem prorogari continget, prohibendo videlicet in totius medicinæ virtute, vitæ abbreuiationem intra eundem terminum, quod negari non potest, iuxtà mentem Auicennæ, primo Canonis libro, fen tertia, doctrina tertia, capite de causis sanitatis, & ægritudinis, & necessitatis mortis, & eiusdem libri, fen prima, doctrina tertia, capite tertio, quibus in locis propriè docet, quo modo quis possit à

se

se remouere terminum illum abbreuiatum, qui nullus alius est, nisi cita humidi radicalis resolutio, vel suffocatio, necnon humorum etiam corruptio, quibus de causis non est mirum, si homines per accidens voluntarium, & à se ipsis tantummodò dependens, præter consuetum naturæ ordinem, vitam sibi breuiorem reddant.

Vitæ terminus abbreuiatus per Auicennã, quomodo contingat.


Cùm igitur mortem viuentibus omnibus dupliciter posse contingere notissimum vndique sit, violenter nimirùm, vel naturaliter. De morte tamen violenter per gladium, aut venenum, vel similiter facta, vtpote vitæ abbreuiationis causa, sumpta quidem similitudine à candela ardente, quæ si quomodolibet extinguatur antè quàm ab igne consumpta totaliter fuerit, tunc violenter extingui dicitur, eò quòd adhuc candela comburenda remaneat, pari scilicet modo, pluribus viuentibus, in summo vitæ vigore, violenta mors accidit, quamuis diuturnum vitæ complendæ tempus adhuc remanere potuisset, proptereà cùm non sit in potestate medica, ad eam quomodolibet impediendam, vel retardandam, de hac ideò satis euidens facta est demonstratio in præcedente Notabili, vbi de vitæ humanæ longitudine, ac breuitate secundum Astrologos ad hanc rem etiam spectante, præter meum quidem institutum agere coactus fui. De morte verò naturaliter eueniente, posito inquam fundamento tanquam certissimo, nẽpe quòd Deus ab æterno cuilibet viuentium præfixerit terminum vitæ vltimatum præcisè, tunc non erit inconueniens dicere, sicut intra istum terminum vitæ vltimatum, cuilibet viuentium præcisè à Deo præfixum, potest quiuis abbreuiare sibi vitam, ita etiam, & prorogare, quod quidem ex dicendis satis euidenter constare vnusquisque cognoscet; Hoc autem intelligendum de ijs est, qui libero frui possunt arbitrio; nam fœtus muliebri in vtero existentes vel infantes etiam grandiores, dum vita priuantur, parentum, vel nutricum potiùs culpa interire videntur, licet id quoque iusto, & incomprehensibili Dei iudicio ita regente, fieri certissimum sit, quoniam vita, & mors in manu Domini.

Mors viuentibus dupliciter euenit.

Mors naturaliter eueniens, an possit retardari, vel etiam festinari.

Notandum tamen priùs est; mortem etiam naturalem, duplici modo posse hominibus adhuc viuentibus euenire; primo modo, ex defectu caloris naturalis totaliter consumpti secundum naturæ cursum; secundo modo accidentaliter, ac præter naturæ cursum, quæ idcircò sub mortis naturalis nomine

com-



comprehenditur, ad differentiam ſcilicet mortis violentæ prouenientis ex veneno, vel gladio, vel ſimili quouis modo ſuperiùs dicto.

Quo ad mortem igitur naturalem primo modo ſumptam; videlicet, ſtatim vt viuentibus hominibus, per totalem caloris naturalis conſumptionem, ſecundum naturæ curſum omninò deficit vita, illicò mortem ſubſequi neceſsè eſt, iuxta candelæ nimirùm accenſæ ſimilitudinem, quæ paulatim conſumitur, donec materia combuſtibilis remaneat, qua deficiente candelam ſtatim extingui neceſſe eſt, quæ inquam extinctio, veluti mors eſſe videtur.

Quo ad mortem verò naturalem ſecundo modo ſumptam; quæ propriè naturalis dici non deberet, ſed præter naturam accidentalis nuncupanda potiùs eſſet, nihilominùs comprehenditur item ſub mortis naturalis nomine, ad differentiam mortis violentæ, per gladium, aut venenum, vel ſimiliter factæ, vt dictum eſt ſupra.

Mors autem hæc naturalis ſecundo modo ſumpta, vt plurimùm contingere quibuſdam ſolet hominibus ex monſtruoſo, & inſalubri viuendi regimine, quibus quidem contingit, ſicuti candelæ accenſæ, in exemplum adductæ, quæ ſi per accidens nouo propinetur igni, tunc non ſolùm a proprio met igne conſumitur, verùm etiam ab eodem nouo igne, candelæ iam accenſæ propinato, per colliquationem citiùs comburitur, & extinguitur, præter quàm debuiſſet. Ita propemodùm iiſdem hominibus euenit, nam præter calorem naturalem, veluti blandum ignem, qui paulatim à natiuitate conſumitur, nouus per accidens morbus mali moris, in humoribus per putredinem gignitur, tanquam alter ignis, quo mediante, calor proprius naturalis citiùs deſtruitur, quàm debuiſſet, vnde poſteà ex violentia dicti morbi per accidens geniti, eiſdem inquam, præter naturæ ordinem pariter interire contingit. Omnes igitur ita morientes, licet vi morbi mali moris, vel exitialis iugulētur, nihilominùs naturali morte obijſſe videntur, atque dicuntur, eò quòd neque gladio, aut veneno, ſimilique violenta morte, ac repentina, totaliter manifeſta perierint.

Morbi mali moris, cur ita dicantur.

Morbi autem mali moris, vel exitiales, propterea violenter homines vita priuare dicuntur, quià ob malignam putredinem, & occultam qualitatem, veneno ſimilem, vel ob morbi vehementiam, cor præcipuè lædunt, ac ſuffocant, citiſſimèque

que etiam persæpè interficiunt, quos inter morbos, tanquam pessimos, malignæ, vel pestiferæ numerantur febres, necnon anginæ, iliaca tormenta, cardiacæ passiones, phrenetici, pleuritici, lethargici, apoplectici, & his valde lethales, similesque morbi.

Quamobrem sicut prudenti iudicio animaduerti facilè potest, ne accensæ candelæ, in exemplum adductæ, nouus appropinquetur ignis, nè item à duplicato igne per accidens candela citiùs colliquetur, & comburatur, ac item celeriùs extinguatur; eodem scilicet modo, ea medicinæ parte, quæ bonæ valetudinis conseruandæ præcepta docet, ex Galeni sententia, sexto de sanitate tuendæ, capite decimo, suo tamen loco, & tempore prudenter adhibita, humanum corpus præseruari etiã poterit à nouo putredinis igne, qui per accidens accendi, vitamque breuiorem reddere potuisset; Medicus igitur; non solùm homines, præsentibus morbis oppressos, curare conatur, verùm etiam quoscunque ab ijsdem met præcauere diligenter studet, ad hoc, vt medicæ doctrinæ beneficio, vita humana, per præseruationem à putredine, veniat etiam proroganda, intra terminum tamen cuilibet à Deo vltimatè præfixum (intra quem tantummodò semper intelligendum declaro, vbicumq; persæpè in præsenti tractatu, de vitæ prorogatione agitur) ad quem terminum profectò non perueniunt homines, qui quolibet voluntario suæ vitæ detrimento, ex humorum cruditate, vel copia suffocante, vel ex eorundem putredine, vt pote morborum matre, ac mortis causa, præter consuetum naturæ ordinem, quasi violenter vita priuantur; quæ omnia profectò, præuidit etiam Auicenna pluribus in locis supra citatis, præsertim verò in primo Canonis libro, fen tertia, doctrina tertia, capitulo vnico, cuius verba, prout in puncto, hìc repetere libenter volui, ait enim, Ars quidem sanitatem custodiendi, non est ars, quæ à morte securos nos faciat, neque corpus ab extrinsecis nocumentis muniat, neque vnumquodque corpus ad vltimam vitæ longitudinem perducat, quæ est secundum hominem absolutè, sed de duabus rebus securitatem præbet, putrefactionis penitùs prohibitionem, & defensionem humiditatis, ne citò resoluatur, & in ipsius quidem fortitudine consistat, vt ipsum vsque ad debitum tempus secundum suam complexionem permanere faciat, & hoc quidem erit propter regimen rectum restaurationis, quæ fit in corpore, loco eius, quod

Vita humana, quò vsque medicinæ beneficio, possit etiã prorogari.

Ars custodiendi sani artem, vitamque prorogandi, qualis & quantum possit ex Auicenna.

re-

resoluitur secundum quantitatem possibilem; hæc sunt verba Auicennæ.

Qua tandem via credendum est à principio mundi hùc vsq; viros quamplurimos diù vixisse incolumes, & vnà cum ingenij, mentis, memoriæ, aliorumque sensuum vigore, ad vltimam senectutis decrepitatem peruenisse (licet eorum fama perierit) nisi per supradictam medicinæ partem, iuxtà diuersas viuentium ætates, ac naturas; iam à Galeno in sex libris de sanitate tuenda comprehensam, & à Polybo, sub Hippocratis nomine, in libro de salubri diæta contentam; quam quidem sciẽtiam non ignorarunt plurimi sapientes viri, sicuti fuerunt Pythagoras, Democritus, Hippocrates, Plato, Leontinus, Gorgias, & alij. Nunc autem de his tanquam in vitæ regimine valde exemplaribus agendum breuiter est, priùs tamen de Pythagora dicetur.

Pythagoræ vita.

Pythagoras inquam primus fuit, qui animæ immortalitatem cognosceret, se met ipsum verò, non sapientem, sed philosophum esse dixit, hic etiam nunquam ebrietati, vel satietati, rebusque venereis operam dare deprehensus est, quin immò quempiam, neque laborum, neq; ciborum transgredi modum debere confessus est, Aristoxenus præterea, cuncta illum animata in cibum permisisse ait, boue aratore, & ariete exceptis, quidam tamen existimant ipsum oleribus etiam vt plurimùm crudis, vel elixis, ac item gallis gallinaceis, & hœdis vesci quandoque consueuisse, prout etiam melle, vel fauo, & pane, sæpissimè contentum vixisse, vinumque interdiu non gustare solitum; quamobrem interrogatus quo modo ad eam ætatem peruenisset, intùs melle, seu mulso, foris oleo respondit, nam foris olei vnctione vniuersum corpus conseruabat incolumen, intùs verò, calorem naturalem, tum pane, ac melle, tum mulsi, seu mellicrati potione reficiebat; sed venerea dixit hyeme, non autem æstate facienda, vere tamen, & autumno, leuiùs, verumtamen quouis tempore grauia esse, neque ad sanitatem idonea. Rogatus denique, quando esset coeundum, tunc scilicet cum te ipso infirmior fieri vis; Pythagoras tandem, iuxtà Heraclidem Serapionis filium, octogesimo ætatis anno, secundum propriam ætatum descriptionem, iuxtà plurimos autem, nonagesimo, ineuitabilem expertus est mortem, pro vt de Philosophorum vita, octauo in libro Laertius refert.

Ciborum, atq; laborum vniuersalis modus, ex Pythagora.

Pythagoræ dictum, circa coitum.

Si autem rectè consideretur Auicennæ locus libro primo, fen

pri-

prima, doctrina tertia, capite de complexionibus, vbi dicit; Debes autem scire, quòd omne indiuiduum debet habere cōplexionem sibi solummodò propriam, in qua alium ei associare, vel communicare, rarò contingit. Hinc igitur est, quòd huius Philosophi vita omninò imitatione non indiget, quia de particulari, ad vniuersale, non est par ratio. Nam scientiam de vniuersalibus tantùm dari, non autem de particularibus certissimum est, teste Philosopho pluribus in locis, præsertim verò libro primo posteriorum, capite vigesimo quarto, his verbis; Ex singularibus enim pluribus, vniuersale manifestum est, vniuersale autem honorabile, quoniam ostendit causam; ostendere verò causam, per eundem Philosophum, loco supra citato, capite secundo, est ipsa met scientia, seu idem scire, quod causam cognoscere facit, propter quam res est, nec aliter se habere contingit; propterea hæc eadem cognoscendi ratio à iuris peritis, anima legis dicitur; meritò igitur Aristoteles honorabile dixit esse vniuersale, quoniam ostendit causam, id est, scientiam; scientia enim sine causa esse non potest, quæ etiam ab opinione differt, quia opinio mutabilis est, scientia verò immutabilis permanet.

Complexione humanæ, ra.o similes, iuxta Auicennam.

Vniuersale cur honorabile, per Aristotelem.

Anima legis, quid sit.

Scientia, in quo differat ab opinione.

Democritum verò mortis dilationem habuisse, fama vulgatum est; vt refert Cælius Aurelianus in libro secundo acutorum morborum capite trigesimo septimo, sed hac de re Laertius libro nono de vita philosophorum, sic scribit. Democritus cùm iam ex senio deficeret, & propinquus videretur morti, mærentem sororem, quòd ille in celebritate Cereris moriturus, ipsa Deæ vota exsoluere nequiret, bonò animo esse iussit, panesque calidos afferre, eos igitur naribus sæpissimè cùm admouisset, viuum se, dum ea celebritas transiret, seruauit, vbi verò dies illi transierunt, tres autem erant, quietissimè, ac minimo dolore, conclusit vitam, vt Hipparcus ait, centesimo nono ætatis anno, hæc Laertius.

Democriti vita

Hippocrates autem Medicorum Princeps, prædictique Democriti familiarissimus, casta fuit vita, sanctisque moribus, diuitias item penitùs contempsit, verùm gloriæ solùm cupidus fuit, prout de se met ipso, in iure iurando, numero tertio, hæc protulit verba. Hoc igitur ius iurandum mihi integrè seruanti, & non confundenti, contingat, & vita, & arte, feliciter frui, & apud omnes gentes in perpetuum gloriam meam celebrari. Hic item in cibo, & potu, ac venere, parcus, & continens fuit,

Hippocrates non diuitiarum, sed gloriæ cupidus fuit.

licet aliam naturaliter inclinationem retineret, prout inferiùs dicetur, hæc tamen magno sibi pedentim iudicio, atque prudentia comparare, conatus vehementer fuit. Nam cùm Hippocratis effigiem, eius discipuli pingendam curassent, eandem affabrè pictam, & expressam Philemoni physiognomico peritissimo præsentarunt, qui eam præmeditatus, & membrorum inuicem proportionem diligenter contemplatus, illicò Hippocratem virum esse indubitanter luxuriosum, & deceptorem pronunciauit, quam ob causam, Hippocratis discipuli statim indignati, Philemonem verberibus grauiter percussum reliquerunt, eò quòd de viro tam eximio, ita fuisset ausus iudicare, paulò post tamen Philemonis iudicio ad Hippocratem per discipulos relato, Philemonis profectò iudicium, de se met ipso prolatum, verissimum esse confirmauit, expresséque narrauit, quidquid a natiuitate fuerat suæ naturæ denegatum, identidem se studio, & amore philosophiæ, ac honestatis causa laborasse, vt omnes sui cordis concupiscentias (propria tamen inuita natura) prudenter coercere, ac prorsùs euitare potuisset. Quemadmodùm tamen narrat in eius vita Soranus, nonagesimo ætatis suæ anno, alij octogesimo quinto, alij centesimo quarto, quidam verò centesimo nono, Hippocratem decessisse tradunt.

Philemonis de Hippocrate iudicium circa eius essig. em.

Plato, diuinus item vocatus, & natus Athenis, amplum satis habuit patrimonium, totumque fratribus largitus fuit, vir etiam fuit religiosus, & castus (licet de sua bona fama, detractores aliter sentientes habuerit) fuit præterea suæ sanitatis diligens custoditor, nam quolibet die semel tantùm, aut bis, parcissimè comedebat, solus item dormiebat, neque vxorem duxit, ideòque vitam aliter gerentes contempsit, quin immo sui temporis luxum, tanquam sanitati, ac vitæ protrahendæ non conferentem, fuit valde abominatus, prout in epistola septima ad Dionem sui amantissimum scribere non prætermisit his verbis; Vitam illam, quam beatam vocant, Italicarum, Syracusanarumque mensarum plenam, nullo modo probaui, bis videlicet in die saturum fieri, & nocte nunquam iacere solum, & cætera, quæ vitam huiusmodi subsequuntur, nemo enim omnium, qui sub cælo sunt, si in huiusmodi moribus ab adolescentia nutriatur, quamuis natura, & ingenio excellenti præditus, vnquam tamen prudens euadet, temperatus esse certè nunquam curabit, eademque erit de cæteris virtutibus ratio;

Platonis dicta de sui temporis luxu.

hæc

hæc Plato, de quo Cicero, circa initium dialogi de senectute, sic loquitur. Est etiam quietè, & purè, atque eleganter, actæ ætatis, placida, & lenis senectus, qualem esse accepimus Platonis, qui vno, & octogesimo anno scribens, mortuus est. Ex quibus Ciceronis verbis, satis apparet Platonem, vtpote valde sobrium, & in præteritæ semper vitæ custodia sollicitum, ideò eò vsque peruenisse, vt adhuc etiam scribens, nouissimum vitæ spiritum reddere potuisset.

Leontinus item Gorgias, prout in supracitato loco refert Cicero, centum, & septem compleuit annos, neque vnquam in suo studio, atque opere cessauit, qui, cùm ex eo quæreretur, cur tandiù vellet esse in vita, nihil habeo inquit, quòd accusem senectutem; præclarum responsum, & docto homine dignum, sua enim vitia insipientes, & suam culpam in senectutem conferunt, quod non faciebat is, cuius modò mentionem feci, hæc Cicero.

Leontini Gorgiæ senectus notabilis.

Verùm enimuerò ad diù etiam viuendum, non parum confert hominem naturaliter esse optima constitutione formatum, nec non a sanis etiam parentibus ortum duxisse, nam sicut ex podragricis, vel macrocephalis, podagrici, vel macrocephali fiunt, vt refert Hippocrates in libro de Aere, aquis, & locis, textu trigesimo quinto, & trigesimo sexto, ita quoque ex sanis hominibus generantur sani, omne etenim simile, sibi simile gignit, necnon generatum generantis naturam vt plurimū sequitur, Philosopho teste, primo de generatione animaliū.

Sed circa generari à sanis parentibus, notandus est item Aristotelis locus septimo Politicorum libro, iuxtà finem, vbi docet, tam virum, quàm mulierem, non debere simul copulari in ætate tenella, sed quando vir quintum, & trigesimum attingit annum, mulier verò decimum octauum, tunc profectò vir vxorem ducere, mulier verò nubere debet, ad hoc, vt in amborum seminum virtute, prolis generatio robustior fiat; ita quidem dixit Aristoteles.

Vxorem ducere, qua ætate conueniat, iuxtà mentem Aristotelis.

Attamen quia hisce temporibus, & vir, & mulier, ante debitum tempus, vt plurimùm copulantur, videlicet vir, circa vigesimum annum, & citiùs, mulier verò, circa decimum quartum annum, & aliquando citiùs (vt experientia quandoque vidi) quo tempore amborum natura est in augumento, & proprio indiget nutrimento, non autem spermatis deperditione, augumentum proprium impediente, ac naturalem complexio-

nem debilitante, quin immò superfluo vtuntur etiam coitu, tum corpore malè dispositi, tum crapula quandoque graues; quare quid mirum postea, si, dum generant, debiles quoque generent filios, breui pariter vita fruentes?

Hic tamen obiter non contemnenda videtur opinio cuiusdā philosophi vxorem ducturi, qui firmiter memoria tenens sequentis versiculi tenorem, videlicet.

Fęmina nulla bona est, sed si bona, regula fallit.

Vxor quomodo eligenda. Tunc igitur philosophus ille, præmeditatus verba prædicta, non sine causa, sponte vxorem, cæteris fœminis statura minorem elegit, nempe dicens, de malo, minus malum semper coactè eligendum.

Quamobrem redeuntes ad rem nostram, sicut sanus homo, qui & benè valet, ac suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque Medico, iuxta Celsi doctrinam, primo in capite libri primi, item ex opposito dici conuenienter potest, quēcumque morbosum, ac valetudinarium hominem, Medici quidem auxilio persæpe indigere, ad hoc, vt ad perfectam sanitatem reduci, vitamque protrahere simul possit, quilibet enim homo, licet perfectè sanus, ac firmus, eo in statu, tandiu permanere non potest, quin ab extrinsecis molestetur causis, vel ab intrinsecis humoribus, vtpote non semper benè dispositis perturbetur. Humanum enim corpus, non est adeò impatibile, vt omnis corruptionis sit expers, vt adamas, prout dixit Galenus primo de sanitate tuenda, capite quarto. Ideò non est mirum, si per medicam veluti scientiam, quæ respicit corpora salubria, insalubria, & neutra, eodem Galeno teste, in Artis paruæ libro, corpus inquam salubre, in sanitate conseruetur, insalubre, seu morbosum, quatenus sanabile est, à morbis liberetur, neutrum verò, à proximè futuri morbi dispositione præseruetur, & custodiatur incolumen, & consequenter etiam vita, intra dictum terminum ijsdē à Deo præfixum, quasi veniat proroganda.

(Margin: Homo licet perfectè sanus, cur impatibilis non sit.)

(Margin: Vita humana qua ratione prorogetur.)

Quamuis autem superius, de naturali morte sufficienter dictum esse videatur, adhuc tamen, veluti pro vltimo illius complemento, tradenda est mortis naturalis definitio, iuxta Galeni mentem, libro tertio, de Crisibus, capite quinto, his verbis exposita, nempe, Mors naturalis, nil aliud est, nisi omnimoda naturæ, seu virium prostratio, iuxta quam Galeni definitionem, quia viuentibus omnibus, mors naturalis triplici con-

(Margin: Mortis naturalis definitio secundum Galenum.)

tin-

tingere modo poteſt, propterea de ſingulis exemplum reddere conuenientiſſimum iudicio, quo ſingulo quidem exemplo, vniuerſæ medicinæ beneficio, viuentibus iiſdem intra terminum à Deo præfixum, vitam poſſe prorogari, ſufficienter demonſtrabitur.

Vitæ humanæ prorogatio, tribus demonſtratur exemplis.

Primo enim modo, tam propter caloris naturalis, quàm humidi radicalis defectum, mors naturalis humano generi contingere poteſt, quæ ambo poſſunt aliquo ſaltem modo reſtaurari medicam per ſcientiam, & artem, qua mediante vita veniat etiam protrahenda; Exemplum igitur ſit hecticus in prima ſpecie, vel in principio ſecundæ, qui licet quomodocunque acquiſiuerit extraneum calorem, & ſiccitatem præter naturam in corde, vel hepate, vel in toto etiam corpore, vnà cum humidi radicalis, & caloris naturalis defectu, nihilominus hic, per rectam cibi, potus, baleni, & ſomni adminiſtrationem reſtauratus ſubſtantificè humectari poteſt, & ſanus fieri, teste Galeno, in libro de Tabe, capite quinto, hectico igitur ita curato, non aliter quàm in medicinæ virtute, vitam fuiſſe prorogatam dicendum realiter eſt; prout ego ſimiliter, ſeptemdecim ab hinc annis Romæ, curaui hecticam, in ſupradicto ſtatu mulierem, nomine Margheritam de Lathiſis, octauum, & vigeſimum annum agentem, naturaliter non valde gracilem, & à prædominio bilioſam, in ſubdominio verò melancholicam, quæ incolumis adhuc viuit, & mihi teſtis eſt Deus, an mentiar; nec mirum quidem eſt, quia humidum nutrimentale, rectè proportionatum hectico, dum in propriam ſubſtantiam conuertitur, reficit etiam aliquo modo calorem naturalem, & reuiuiſcit ſimul humidum radicale, in quantum poteſt, quæ ambo ſunt proprium vitæ protrahendæ fundamentum, & veluti conditio, ſine qua non poteſt alimentum in propriam viuentis ſubſtantiam conuerti, non autem humidum nutrimentale ſolùm, quod tantùm inſeruit vniuerſi corporis augmentationi per Ariſtotelem, primo de generatione, & corruptione, textu trigeſimo nono, alioquin ſequeretur, quòd qui magis humido nutrimentali abundaret, licet haberet calorem naturalem, & humidum radicale, vtrunque malè diſpoſitum, tandiù etiam viueret, quandiù ille, qui calorem naturalem, & humidum radicale, vtrumque benè diſpoſitum haberet, quamuis tamen tanto humido nutrimentali non abundaret, calor enim naturalis, & humidum radicale, relationem ad inuicem habent,

Hecticus ſanè poſſit arte medica ſanus fieri.

Hectica mulier ab Auctore ſanata.

Calor naturalis, & humidū radicale in quo differant inter se.

bent, nam ille veluti forma, hoc autem, veluti materia se habet, ideóque debita, caloris ad humidum, & humidi, ad calorem, semper est seruanda proportio, ne ob nimiam caliditatem, & siccitatem, vel ob nimiam pariter frigiditatem, citiùs morti locus, vel occasio detur.

Secundo verò modo, mors naturalis contingere hominibus potest, popter totius compositi substantialis alterationem, qua mediante fit transitus ad totalem subiecti corruptionem: propterea Medicus prudens, iuxtà cuiuscunque complexionis dispositionem, modò recta victus ratione attemperare, modò contrarijs contraria, magis, minúsue, semper curare conatur, vt aliqua possit via vitam ijsdem prorogare.

Tertio quoque modo, mors naturalis viuentibus accidit, propter insensibilem propriæ substantiæ transpirationem, veluti ex animi deliquio contingere quandoque solet; quo item in casu, Medicus præstò esse non desinit cordialibus remedijs, vitalem virtutem reficientibus, vnà cum perfectissimis cibis, opportunè datis, viresque collapsas restituentibus, nonnunquam, & odoribus, animalem virtutem recreantibus, & corroborantibus, licet non secundùm æquiualentiam prioris deperditæ substantiæ, saltem quomodocunque vitam protrahentibus. Si enim calor naturalis, & humidum radicale, totaliter, ac numericè possent restaurari, tam cuiusuis arcanæ medicinæ virtute, quàm pretiosissimi cuiuscunque humidi nutrimentalis beneficio, æterna quidem huius mundi, tunc esset vita, nempe quia tale pretiosissimum medicamentum, vel nutrimentum, esset veluti lignum vitæ, quod ab omnipotenti Deo, in Paradiso terrestri fuit semel insitum, & solùm hac vitæ perpetuitate donatum; quidquid autem de lapide philosophorum, passim apud Paracelsum, & seguaces eius alchimistas, vbique prædicatur, nullam penitùs cum eo correspondentiam habet, quoniam lapis philosophorum extensiuè vitam prorogare, non tamen perpetuare simul potest, prout erat singulare, ac proprium, ligni vitæ priuilegium.

Immortalitas quando posset dari hoc in mundo.

Lapis philosophorum nullā cum ligno vitæ comparationem retinet.

Dubitandum nec etiam est, quin Medicus possit sua scientia, vel arte vitam hominis protrahere, non solùm per accidens, prohibendo lædentes videlicet causas, vel corrumpentes, aut calorem naturalem, & humidum radicale resoluentes, verùm etiam per se, mutando scilicet hominis complexionem in statum meliorem, vel subueniendo meliùs humido radicali,

Vitæ prorogatio quot modis in homine fieri possit à Medico.

pau-

paulatim deficere incipienti; nam potest efficere, vt humanum in corpus introducatur tantumdem humidi aduentitij, loco deperditi, licet non eiusdem æquiualentiæ, cuius tamen beneficio possit retardari, ac prohiberi totalis corporis extenuatio, vel destructio, quæ citiùs profectò superuenire potuisset, ni humidum secundarium, & magis proportionatum, loco primarij deperditi, fuisset à Medico introductum.

Verùm quia vt dictum est, naturalis complexio meliorem in statum à Medico permutari etiam potest, quod item confirmat Auicenna libro primo, fen prima, doctrina tertia, capite de complexionibus, & eiusdem libri, fen prima, doctrina quarta, capite tertio de complexionibus ætatum, & generum, primo enim citato in loco, de complexionibus vniuersaliter, sic dicit; Debes autem scire, quòd omne indiuiduum, debet habere complexionem sibi solummodo propriam, in qua alium ei associare, vel communicare raro contingit. Per quam Auicennæ doctrinam, considerandum est hominum complexiones esse quoque inter se diuersas, iuxtà quarum diuersitatem permutatio pluribus fieri modis potest, vel enim propter climatis, aut meliorum ciborum electionem, quibusdam veluti magis conferentem, ijsdem profectò complexio perfectior introducitur, sicut etiam propter ætatis, vel exercitij mutationem, naturalis quorundam complexio in meliùs reducitur; quàm priùs esset. Complexiones autem secundum ætates, idem Auicenna libro primo, fen prima, doctrina quarta, capite tertio supra citato ita describit. Et in pueris quidem, & iuuenibus, est igneitas æqualis, sed in pueris plus abundat aereitas, & aqueitas, & in senibus, & decrepitis, plus abundat terrestreitas, quam in illis duobus, & est in decrepitis plus; iuuentus autem habet complexionem magis æqualem complexione pueri, comparatione tamen pueri, est eius complexio sicca, & senis, & decrepiti comparatione, est calida; decrepitus verò est siccior iuuene, & sene, in membris simplicibus, & humidior, vtriusque humiditate extranea madefaciente. Ex quibus Auicennæ verbis satis patet, quàm decipiantur ij, qui putant senes, & decrepitos, esse frigidos, & humidos, eò quòd abundent excrementitia humiditate, à vero humido radicali valde tamen extranea, nam frigida, & sicca constant natura senes, prout ex cutis ariditate, & frigiditate simul ad tactum, satis apparet.

Complexionē sibi similem associare, rarò contingit per Auicennam.

Complexionis humanæ meliorem in statum permutatio, diuersis modis à Medico introduci potest.

Complexionis differentiæ iuxtà ætatis diuersitatem, secundum Auicennam.

Senes, & decrepiti, an frigidi, & humidi dici possint.

Sicut igitur iuxta prædictas ætates, humana permutatur complexio, ista tamen permutatio complexionis, non semper à natura, bonam in partem perficitur, quoniam non rarò, in aduersam transmutatur, ob malam scilicet dispositionem quatuor humorum, quorum sæpè causa, humanum læditur corpus. Id autem cum possit multis euenire de causis, nihilominus tali se se offerente occasione, medicis item auxilijs, eadem complexio velnti corrueus, reparari, atque in meliùs redigi etiam potest, iuxtà propriam Fernelij mentem, libro primo Methodi medendi, capite primo, ita dicentis. Non nunquam, & morbi peruicacia impeditæ, vel imbecillitate laboranti naturæ, adiutrix medicina fert opem, & manca inchoataque munera explet, ac perficit, diuturnosque morbos plerunque breuiores facit, quin etiam naturam interdum ea superat, siquidem luxatos artus reponit, vulnerisque disiuncta labra adducit, & in alijs non paucis præcipuam curationis partem administrat, quam minimè natura aggredi potest; quorsum quæso constituta hæc esset, tot, tantisque maiorum vigilijs, nisi maius quiddam, & excellentius, quàm natura præstaret, ita Fernelius.

Ars medica, est quandoque ipsa natura præstantior secundum Fernelium.

Propterea Medicus, iuxtà cuiuscunque complexionis dispositionem, quibuscunque pariter auxiliari non desinit; nam sicut hominum complexiones malè affectas, dum reducit in melius, vel sanat, tunc vitam ijsdem longiorem profectò reddit, solùm tamen intrà termini à Deo, vltimatè præfixi latitudinem, ita quoque, dum complexiones eorundem, Medicus virtualiter non mutat in meliùs, nec sanat, sed per se in deterius euntes, propriæ naturæ beneficio derelinquit, ijdem pariter breuiore tunc vita fruuntur. Verùm hæc vitæ productio, vel diminutio, per accidens tantùm à Medici virtute dependet, non autem respectu Dei, qui ab æterno præuidit omnia semper determinatè, ac infallibiliter futura, prout S. Thomas prima parte suæ summæ, quæstione decima quarta, articulo tertio apertissimè declarauit.

Vita humana, quomodo medicam per scientiam, & artem prorogetur.

Ex altera parte Galenus libro septimo de vsu partium, capite decimo octauo, præcipuè dixit naturam ordine temporis priorem, ac in operibus suis, arte sapientiorem esse, Medicum verò imitatorem, atque ministrum; idcircò, dum natura non est adeò potens, vt vltra terminum cuilibet à Deo præfixum possit vitam prorogare, ars item velut inferior, quinimmo

Natura, est arte prior, ac sapientior secundum Galenum

pe-

dissequa, & ipsius met naturæ imitatrix, ex Philosopho, secundo physicorum, textu vigesimo sexto, eundem nec minùs finem consequetur, hæc tamen obiectio paulò inferiùs enodabitur.

Interim hac de re, consideratione sunt digna, quæ dixit Aristoteles sectione decima problematum, quadragesimo quarto problemate, vbi sic refert. Ergo quomodo in operibus artis, sic etiam in naturæ licet perspicere, nam in his quoque prauè omnia facta sunt, & plura sunt praua, quàm proba, probà verò pauciora, & præstare non omnia potest, hæc Aristoteles. Ex quibus profectò verbis inferre licet per eundem Aristotelem, secundo physicorum, textu septuagesimo septimo, multa, mediante arte, à natura compleri, ac inuicem multa, mediante natura, ab arte præstari, de ambobus autem, exemplum satis manifestum proponere non grauabor, quorum vtrunque rei veritatem demonstrabit.

Natura plura facit praua, quàm proba, secundum Aristotelem.

Natura, & ars sibi inuicem auxiliantur.

Primum igitur exemplum ab ipsa natura, tanquam arte priore, patefaciendum iudico. Priùs tamen est supponendum, reperiri hominem, aluum ita constrictam habentem, vt per aliquot dies nullo modo, vi naturæ, ventrem exonerare potuerit, nec adhuc etiam possit, hic igitur homo, necassariò, & profectò indiget Medico, constipatam aluum soluente aliquo clystere, vel pharmaco, ad hoc, vt alnus omninò fluat, alioquin periclitabitur vita, ni medica vtetur arte, penitùs euacuante, quia natura per se, id perficere nunquam potuit, nisi artis auxilio, patet igitur naturam quandoque arte indigere.

Secundum sit ab arte exemplum, scilicet quando per artem medicam alicui subiecto propinatur medicamentum purgans, ars illicò proculdubio indiget natura paulatim reducente ad actum, medicamentum iam sumptum, ad hoc, vt tutò purgatio fiat, alioquin ars, naturæ auxilio non concurrente, nunquam purgationis effectum consequetur, ideòque Fernelius libro primo, Methodi medendi, capite primo, hac de re, sic loquitur, Medicus porrò remedia confert, non solùm vt naturæ minister, sed interdum vt adiutor, interdum etiam vt opifex primarius, est enim in plerisque ars, natura præstantior, vt quæ non solùm naturam imitatur, sed, & modò adiuuat, modò etiam superat, ac sæpè medendo plus quàm natura gerit, hæc Fernelius.

Ars medica in plerisque est præstantior natura, per Fernelium.

Quamuis tamen ex dictis manifestè pateat, artem medicam per se solam, in corpus humanum agere nihil posse, nisi semper coadiuuante natura, nihilominus aliter in natura se habet, quæ, non artis semper auxilio, sed per se, sola, & sponte multoties, tam perfectè, quàm imperfectè, vel symptomaticè, operari non obliuiscitur, prout refert diuinus senex Hippocrates, libro primo aphorismorum, aphorismo secundo his verbis. In turbationibus alui, & vomitionibus, quæ spontè fiunt, si qualia oportet, purgentur, confert, & facilè ferunt, sin minus, contra fit. Hæc Hippocrates.

Natura non semper arte, ars verò semper indiget coadiuuante natura, ideòque præstantior arte, iuxta mentem Auctoris.

Per hanc igitur doctrinam, experientia sibi notam, & confirmatam, posteris modum reliquit Hippocrates cognoscendi perfectas, vel satis conuenientes naturæ operationes, ab imperfectis, vel symptomaticis, videlicet à qualitate, & conferentia, in ipsa met naturæ vacuatione, vtpote bonis indicijs Medicum nequaquam decipientibus. Quæ enim non ita eueniunt, sed cum dolore, vel pondere grauante, vel cum animi deliquio fiunt; omnes imperfectæ, vel symptomaticæ, ac tanquam signa naturæ malè regentis habentur, per diuersas enim vias natura potest benè, vel malè se regere, veluti per sudorem, vel vrinam, per vomitum, vel secessum, per palatum, vel nares, per sanguinis fluxum, tam è naribus, quàm ex hemorrhoidibus, vel ex vtero in mulieribus, nec non per aliquem etiam abscessum, in morbis præsertim longis aliquando apparentem.

Purgationis conferentia iudicia.

Purgationis non conferentis signa.

Natura, quot modis, in morbis curandis, rectè, vel symptomaticè operetur.

Dum igitur naturæ rectam aggressa est, vel aggreditur viam, eò ipso Medicus totum opus ipsi naturæ committit, dum verò eadem natura non rectè, sed imperfectè, & laboriosè, ac molestè, nec per loca conferentia, immo cum aliquo etiam prauo symptomate se se languentibus offert, illicò Medicus, quoad potest, naturæ defectus ipsa met arte supplere conatur, ars enim medica morbis omnibus præstò semper esse non potest, ijs præsertim, sanandi spe destitutis, iuxtà salernitanæ scholæ versiculum, capite sexagesimo, ita dicentem.

Contra vim mortis non est medicamen in hortis.

Dum tamen potest, eo planè tempore natura indiget etiam arte, licet post ipsam naturam extiterit.

Quando autem Galenus, libro septimo de vsu partium, capite decimo octauo supra citato, dixit idcircò ab arte, veluti natura inferiore, non posse vitam, vltrà terminum à Deo præfixum

fixum cuipiam prorogari, nempe quia natura, prout arte prior, atque sapientior, id quidem præstare nec minùs potest.

Respondetur Galeni sententiam veram esse, circa illa tantùmmodò verba, videlicet (vltrà terminum à Deo præfixum) quoniam intra terminum præfixum, à natura simul cum arte prorogari vita sufficienter potest, prout dictum est supra, necnon etiam iuxtà eiusdem Galeni sententiam pluribus in locis confirmatam, præcisè verò in libro vndecimo Methodi medendi, capite primo, his verbis; Ars enim, & artifex sanitatis causæ fiunt, & sexto in libro de sanitate tuenda, non longè ab initio, vbi dixit eos, qui sanatiuam diætam ignorant, citiùs mori, quàm ratio naturæ postulat, eos verò, qui eam non ignorant, diutiùs viuere; in libro item de Theriaca ad Pisonem capite decimo quinto, non solùm ad morbos debellandos de arcana eius virtute scripsit, immò præcipuè Theriacā vtpote vitæ prorogationi maximè conferentem extollit, dummodò ij, qui licet sani sint, eam libenter assumere non derelinquant, Galeni autem verba sunt ista; Maximè verò prodest, quando qui Theriacam sanus adhuc frequenter accipit, idcircò, quia superfluitates humorum consumit, & totius corporis temperamentum immutat. ita Galenus.

Sanitatis causæ, in quo consistant ex Galeno.

Galeni sententia no abs. ad vitæ diuturnitatem consequendam.

Theriacæ vsus vitam prorogat auctu. e Galeno.

Theriacæ effectus in sanis etiam hominibus, qualis ex Galeno.

Ex deductis Galeni locis, manifestè quidem patere videtur, in hominibus item sanis, ac ægrotantibus, intra terminum à Deo vltimatè præfixum, vitæ prorogationem posse fieri, veluti exemplo Theriacæ peculiariter demonstrauit, qua mediante humani corporis temperamentum ideò Galenus meliorem in statum transmutari dixit, nempe quia superfluitatibus humorum humano in corpore existentibus, ab ipsa Theriaca dissipatis, ita propemodùm vitam prorogari contingit, quod item de Tiphera magna, & confectione Alchermes dixit Mesues in suo Antidotario, prout quoque de auro potabili mirabilia narrant Alchymistæ, Aurum enim, licet ab innato calore viuentium superari, atque in propriam substantiam tanquam alimētum conuerti nō possit, nihilominùs humanum in corpus agit veluti medicamentum, communicans cordi arcanas virtutes à Proprietate lætificantes, ac spiritus vitales conseruantes ad vitæ prorogationem, quod etiam non negat Auicenna in libello de viribus cordis, tractatu secundo, capite tertio; & Arnoldus Villanouanus, pagina ducentesima sexagesima tertia, de auro sic loquitur. Aurum est res arcana, & eius eximiæ sunt virtutes (in

Tiphera confert vitæ diuturnitati ex Mesue.

Aurum potabile cor lætificat & vitam prorogat.

telligit enim de auro genito in visceribus terræ) quia inferiùs subiungit hæc verba, fallunt enim in hoc Alchymistæ, nam etsi substantiam, & colorem auri faciant, non tamen virtutes prædictas in eo infundunt, vnde aduertendum est, quòd quando recipitur, sit de auro Dei, non de opere manuum hominis, nam illud propter res acutas, & extraneas à natura humana, quæ in ea sophisticatione ingrediuntur, nocet cordi, & vitæ; hæc Arnoldus.

Aurum arte factum ab alchymistis, nocet cordi, & vitæ secundum Arnoldum.

Porrò inter Chymicos recentiores. Ioannes Hartmannus in Praxi Chymiatrica, pagina quadringentesima quadragesima nona, sub Titulo de Aqua Vitæ, seu Auro potabili præparando & conficiendo, arcanam eius virtutem, vtpote arcanorum omnium præstantissimam, supra modum extollit, atque ad miraculũ prædicat, dum dicit. Hæc aqua nominatur Aurum potabile, quod Chymici quærunt; Hoc aurum potabile Hermes, omnium Chymicorum primus inuenit, conseruat sanitatem, expellit omnes morbos, & etiam ipsam lepram, retardat senectutem, & sperma augumentat; cæteræ eius virtutes, quæ sunt innumeræ, non possunt describi, sic Hartmannus. qui hac de re magnam profectò fidem, ac spem, prædicto in auro potabili collocauit atque reposuit, licet id ipsum causis persæpe diuersis, eundem semper non sortiatur effectum.

Auri potabilis virtus ex Ioanne Hartmanno

Has autem dotes, vt dicunt Sapientes, aurum à Solis benignitate recepit per sympathiam propriam, quam habet cum eo, iuxtà Matthioli sententiam, in quartum Dioscoridis librũ, capite sexagesimo nono; verùm profectò aurum, secundum opinionem meam magis effectiuè lætificat cor hominis, illud in bona quantitate possidentis.

Aurum suas virtutes à Solis benignitate recepit ex Matthiolo.

Quamobrem nec item desunt innumera medicinæ remedia, quorum virtute homines quotidie ægrotantes in pristinam per sæpè redire sanitatem nouum non est, quin immò frustra daretur ars medica si quicunque morbo correpti necessariò perirent; id tamen cùm non contingat, quoniam notum est omnibus, homines toto vitæ tempore sæpè sæpiùs ægrotantes, & ad Medicorum remedia confugientes, eos quoque sæpiùs a morbis euadere, licet etiam inter eosdem non desint, qui prima in infirmitate simul pereant; nihilominùs concedendum est ex dictis, eos, qui frequenter sanantur, in virtute artis medicæ sanos tantùm fieri, ac item intra terminum eisdem vltimatè præfixum, vitam protrahi, negari non potest (Deo tamen per-

Aurum quãdo magi lætificet cor, secundum Auctorem.

Vita humana quo modo medicam per sciẽtiam, & artem prorogetur.

mit-

mittente) quo in casu iuxtà adagium, homo est quasi homini Deus, quoniam ab re scriptum etiam non est apud Salomonē in Ecclesiastico, capite trigesimo octauo; honora Medicum propter necessitatem, etenim illum creauit Altissimus, & paulò inferiùs sic item legitur; Altissimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. Medicus honore colēdus propter necessitatem, iuxtà Salomonem.

Quoniam tamen dictum est superiùs, hominum complexiones, ab initio vitæ vsque ad mortem, secundum ætatis progressum in deterius mutatas, posse manu quoque medica reparari, atque in meliùs redigi, ad consequendam vitæ prorogationem adhuc item superest, vt de complexionibus, iuxtà tempus præsens, & antiquum, sufficienter agatur, nempe quia non desunt dicentes, priscis ab hinc temporibus hominum complexiones longè esse mutatas; hac igitur de re quicquid profectò sentiā, liberè declarare non desinam.

De Hodiernis, & Antiquis hominum Complexionibus.

NOTABILE QVARTVM.

Dubitatur an hodiernæ hominū complexiones sint eiusdem naturæ, non solùm specie, ac numero, cum illis, viuente Hippocrate, qui Rege maximo Artaxerse regnante vixit, prout in eiusdem Hippocratis epistola tertia manifestè patet, quod autem fuit quingentis plùs minùsue annis, ante Domini Nostri Iesu Christi Natiuitatem, & in quinta Mundi ætate. Sed prætereà dubitatur, necne retineant eandem quoque naturam nostrorum primorum Parentum, Adam, Matusalem, & proximè descendentium. Hippocrates quot ab hinc annis fuerit in Mundo.

Dubitationi tamen respondetur, circa hodiernas hominum complexiones, comparatas cum illis, viuente Hippocrate, nullam quasi differentiam existere, prout inferiùs satis apertè probabitur. Cōplexiones hodiernæ non differunt ab illis viuente Hippocrate.

Quoad comparationem verò cum longæua, & robustissima ætate illa primorum parentum nostrorum Adam, Matusalem, & proximè descendentium, nullam penitùs proportionem, ac nullam esse correspondentiam, eò quòd præsens ætas, respectu Aetas primorū parentum Adā & descendentium comparationem non habet cum ætate præsenti.

primorum Parentum breuis, ac debilis existat, quemadmodũ ex Donati Antonij Ferri tractatu secundo de podagra, capite decimo, his patet verbis. Erant enim priscis temporibus hominum corpora magna, & viribus robustissima, velut Gigantes, quæ fortissima quoque exigebant medicamenta, & ideò longiorem vitam degebant, quoniam extrinsecis causis magis resistebant, quemadmodùm Adam, & Matusalem, noningentos vixisse annos legitur; ita Donatus Antonius Ferrus.

Aetas longæua primorum parentum Adã & proximè decedentium, quandiù perseuerauerit.

Longæua tamen hæc ætas perdurauit vsque ad tempus Noe, quo viuente, Deus propter illius sæculi peccata, vniuersale misit diluuium, post quod, hominum vitam reddere breuiorẽ voluit, itaut in posterùm, vitæ terminus, centesimum, simulq; vigesimum non excederet annum, teste Iosepho Flauio, de antiquitatibus Iudaicis, libro primo, capite quinto. Quæ scilicet ætas perdurauit vsque ad tempus Abraham, vel Moysis, hoc est, post mille, centumque circiter annos, ab vniuersali diluuio, sicut narrat Sylua variarum lectionum, parte prima, capite vigesimo octauo: Diluuium verò contigit anno M. DC. LXVI. à creatione Mundi.

Natura humana à Mundi generatione huc vsque, quantũ fuerit debilitata, ex Conciliatore.

Conciliator item differentia nona, prædictam sequitur opinionem, his verbis expositam. Sciendum quidem, quòd vt resonant sermones legum, & Mosaicæ præcipuè, natura humana debilitata est ab eo, quòd antiquitùs existebat, cuius quidem signum est, quoniam audiuimus homines à Mundi generatione, & circa, productos, longæuissimæ vitæ extitisse, sicut ex Moyse colligitur Geneseos libro, Adam enim noningentis, & triginta vixit annis, Matusalem verò, noningentis, & sexaginta nouem, Noe verò septingentis, cum Abraham, & alijs, consequenter autẽ ab illa longæuitate minoratos, velut Moysen, qui centum, & viginti compleuit annos, Dauid, & Aron, cum Leuiticis; sicut per eundem apparet dicentem, Non permittam spiritum meum in homine, quia caro est, vltra centum, & viginti annos, hæc namque est vita hominis naturalis, secundùm etiam Astrologos, tanti enim sunt anni Solis maiores, nunc autem ab eo termino est ætas humana minorata, cùm communiter vix extendatur octoginta annorum spatio, ita Conciliator. Manifestè igitur ex dictis cognoscere vnusquisque potest, quantum præsens ætas, ab illa longæua primorum parentum supra dictorum differat.

Vitæ hominis terminus naturalis secũdum Astrologos.

Quoniã tamẽ superiori dubitationi responsum est, circa hodier-

diernas hominum complexiones, comparatas cum illis, Hippocrate viuente, nullam ferè differentiam existere, hac de re igitur agendum, & ex professo quidem veritas patefacienda nunc est, ideòque.

Complexiones hod ernæ non differunt ab illis viuẽte Hippocrate.

Probatur id primo, ex illa eadem ætate hodiernis temporibus correspondente, eò quòd eundem quasi ordinem natura seruauerit. In vtroq; enim sæculo, tam præterito, scilicet Hippocratis tempore, quàm etiam præsenti, obseruatum est, vitæ humanæ terminum rarissimè ad centesimum circiter annum, paulò plùs, vel minùs extendi potuisse, sæpè verò ad septuagesimum annum peruenisse, vt optimè patet ex vita Hippocratis, per Soranum descripta, necnon Democriti etiam sui familiarissimi, per Laertium narrata, vnà cum cæteris sapientibus viris, prout apud eosdem Auctores legi facilè potest: quam scilicet metam plurimi adhuc viuentes attingunt, licet non desint, qui citiùs pereant, diuersis tamen de causis, ab initio in Exordio dictis, quod item Hippocratis tempore contigisse certissimum est, veluti colligitur ab ægrotis, in quinto, & septimo libro de morbis popularibus, ab Hippocrate narratis.

Per hanc igitur eandem similitudinem ætati hodiernæ satis correspondentem, viuentes adhuc homines, ab illis parum, vel nihil differre iudicandum est, nempe quia hisce temporibus, prout Hippocrate viuente, nonnulli centesimum annum, plùs, aut minùs, alij octogesimum, alij septuagesimum similiter attingunt, sicut omnibus notum est. Quin immò noui ego Romę mulierem gracillimam valde nobilem, quæ vixerat centum, & septemdecim annis, hæc autem per sex menses antè, apoplexia correpta, perijt tandem. Noui item Episcopum natura valde gracilem, qui ad quintum, & centesimum peruenerat annum, qua in ætate semper ambulauit, baculo tantùm hærens vsque ad vltimam obitus diem, qua item die, nec anteà, nullum passus est morbum, sed solùm ex defectu, & resolutione virtutis naturalis exanimis factus est. Noui etiam artificem clauarium, qui octo circiter annos ante mortem, in leuem incidit paralysim, quo etiam tempore vsque ad obitum, vitæ muneribus optimè fungi potuit, cùm autem sextum, & nonagesimum attigisset annum, febricula correptus, aliquot post dies ex vita migrauit. Noui denique mulierem lauatricem, natura gracilem, & sanam, septimum, & octogesimum annum agentem sui obitus tempore, eius autem mors fuit morborum omnium Regi-

Aetas hodierna est eadem cum ætate, qua vixit Hippocrates.

na Febris, omnes autem prædicti, ad eundem ætatis terminum supra narratum se realiter peruenisse, mihi tanquam Medico de ipsorum ætate requirenti, ore proprio confessi sunt. Plura similiter exempla, sub mea curatione, possem narrare viuentiū, qui ad eandem ætatem Hippocratis temporibus correspondētem peruenere, veluti de Democrito,& alijs item apud Laertiū passim legitur, ac manifestè patet.

Sed vt hac de re meam fatear opinionem, licet adhuc multi ex viuentibus, ad prædictum annorum numerum perueniant; prout etiam tunc temporis viuente Hippocrate peruenerunt, inter vniuersos tamen rari fuere,ac in futurum item erunt ea in ætate, inculpata sanitate fruentes, quoniam in dies, vt plurimùm veritate comprobatur, quod dixit Dauid psalmo octogesimo nono, si autem in potentatibus octoginta anni, amplius eorum labor, & dolor, meritò igitur iuxta Terentium, senectus ipsa est morbus, & apud Ciceronem, vitæ occasus dicitur.

Dauid quid sēserit de hominis ætate.

Probatur id etiam secundo; ni tanquam certum, saltem vt verisimile, ex eodem experimento medicamentorum purgantium, quæ tunc temporis Hippocrates suis dabat ægrotis,qualia erant Helleborum nigrum, Scammonia, Elaterium, Helleborum album, seu Veratrum album, Peplium, & his similia medicamenta valde fortia, atque purgantia (quemadmodùm eadem quoque ab hodiernis complexionibus recipi, paulò inferiùs diffusè, ac euidenter demonstrabitur.)

De Helleboro siquidem nigro, & Scammonia meminit Hippocrates in libro de internis affectionibus,textu quadragesimo sexto, vbi de quinto affectu, qui typhos dicitur, sic loquitur. Et frequenter semen per somnum effundit, sæpè verò inter eūdum etiam ipsi genitura exit, huic, cum sic habuerit, ventrem nigro veratro purgato, supernum videlicet, infernum vero scāmoniæ succo.

De elaterio similiter scripsit in libro tertio de morbis,textu vndecimo, vbi de leui angina sic dixit. Postquam verò remiserit morbus, & iam cibos gustauerit, elaterio recenti purgato, ne in aliud malum incidat.

De Helleboro albo, seu Veratro albo, meminit idem Hippocrates in libro de morbis secundo, pro quartanæ curatione, necnon in libro de victus ratione in acutis,his quidem verbis. Quicunque infernum ventrem calidum habent, & alui egestiones

nes acres, & inæquales sunt, veratro albo his reuellere oportet.

De peplio item egit Hippocrates in libro de victus ratione in acutis, pro curanda pleuritide, dum dixit, si verò sub septo transuerso fuerit dolor, ad claniculam autem de se significationem non præbeat, aluum mollire oportet, aut veratro nigro, aut peplio.

Hæc autem supradicta medicamenta purgantia valde fortia, atque potentia, quibus vtebatur Hippocrates, nostro quidem seculo à Medicis tam præteritis, quàm præsentibus, ægrotantibus, quibuscunque eadem requirentibus, vtpote necessaria exhibita esse, & adhuc etiam passim exhiberi, non est in dubium reuocandum, sicuti ex nunc dicendis manifestè patebit.

Medicamenta purgantia, quæ dabat ægrotis Hippocrates, eadem quoque ab hodiernis complexionibus recipiantur.

De nigro tamen helleboro agendum principaliter est, de quo inter Medicos Neotericos, Ioannes Costæus valde insignis, & expertus, super secundum Mesue librum de simplicibus medicamentis laboriosè soluentibus, in trigesimi capitis annotatione, suam sic explicat opinionem. De nigro helleboro idem dixerim, non paratum, atque importunè exhibitum; difficiles facere purgationes, contra, paratum, ac opportunè propinatum, faciles. Manardus item doctissimus Medicus super citatum Mesuæ librum ita testatur. Nigri autem hellebori, vsque ad tempora nostra, virtus tolerabilis est, & experientia certa didici operationem eius non esse difficilem: Helleborum item nigrum præparatum, ego quoque multoties morbo gallico, & antiquis capitis doloribus, vel quartana, vel menstruorum retentione laborantibus, feliciter exhibui.

Hellebori nigri vis hodiernis etiam temporibus tolerabilis est iuxtà Manardum, & Costæum.

Scammoniam verò recipiunt multa medicamenta composita, veluti Romano in Antidotario patet, quibus item Romani Medici passim in curandis ægrotis feliciter vtuntur, addentes præterea communiter omnes, duo, tria, vel quatuor grana scammoniæ prædictis medicamentis, in forma præsertim pilulari sumptis, pro vt ego etiam iuxtà ægrotantium necessitatem, magna eorum vtilitate quandoque vtor, Manardus tamen, super citatum Mesuæ locum, capite primo, de Scammonia solùm per se sumpta, sic meminit. Ego licet nunquam sim ausus tantùm dare, duodecim tamen grana transcendere non sum veritus, scioque quosdam scrupulum integrum hausisse, sine noxa, sic Manardus.

Scammoniæ dosis iuxtà Manardum.

Elaterium autem commendat Brassauolus, Dioscoridem se-

cutus, in simplicium medicamentorum examine, pagina sexcentesima vigesima quarta, numero vigesimo, vbi non solùm viris, sed etiam pueris dari posse confirmat, dum dicit, Pueris dantur duo chalchi, videlicet quatuor elaterij grana, nocet enim maior mensura, vbique nascitur, & etiam in nostro Ferrariensi solo mirificè soluit, vulgò asininum cucumerem vocamus. Dioscorides tamen libro quarto, capite centesimo trigesimo sexto, elaterium propinari posse viris à semiobolo ad obolum vnum scripsit, pueris verò ad chalcos tantùm duos, siquidem copiosius periculum affert. Mercurialis item, qui hac nostra ætate, omni virtutum genere floruit, nihilque intactum in medicina reliquit, in Consultationibus medicinalibus passim elaterio vsus est, præcipuè verò in septuagesima quinta tertij tomi consultatione circa finem, scriptis ita mandauit. Atq; id scias velim de elaterio contingere, quod Plinius dicebat de helleboro, scilicet faciliùs erumpere, & euacuare, si paulò plùs illius, quàm paulò minùs exibeatur.

Elaterij dosis iuxta Brassauolum.

Elaterium quatenùs commendet Mercurialis.

Elaterio quoque hic Romæ in curandis hydropicis, mihi interdum contigit vti, dum præcipuè duodecim annorũ puer, complexionis verò phlegmaticæ, curandus mihi præ manibus erat, qui ob malum victus regimen in fructibus, præsertim verò in pomorum, necnon aquæ potus copia, quemadmodùm ob frigus, quod patiebatur, dum studio incumberet hyeme, narratis propterea de causis, in principium hydropis ascitis incidit. Huic igitur, quia tunc veris instabat initium, aliqua post adhibita remedia, summo mane elaterium ad grana tria, cum semi scrupulo pilularum alephanginarum, & syrupo absynthij quantum satis ad reformandum bolum exhibui, cuius deinde beneficio aluus toleranter, ac vtiliter subducta fuit, ad tres nimirùm aquæ libras, vnà cum cæteris excrementis permixtas; post autem hebdomadam repetito eodem medicamento, maiori siquidem progressu, illud iterùm aliquot post dies dicto puero exhibere decreui; verumtamen illud assumere noluit, pro vt de more puerorum sæpe contingit, qui omnia medicamenta recusant, nihilominùs paternis promissis, ac precibus ductus, non ampliùs præteritum, sed nouum remedij genus, & suauius bibendum esse, fuit illi significatum, sub qua bona fide, remedium sequens, eidem propinandum, scriptis mandaui.

Recipe absynthij pontici sicci, eupatorij sicci, vtriusque dra-

drachmam vnam, & mediam, galangæ, zedoariæ, cinnamomi, caryophyllorum, cuiuslibet drachmam dimidiam, soldanellæ siccæ, sacchari fini, vtriusque vnciam mediam, misceantur omnia, & subtilissimè puluerizentur secundum Aromatariorum artem. De hoc tamen puluere accipe drachmam mediam, succi ireos clarificati secundum artem, drachmas duas, vini græci vncias tres, misce, & quatuor circiter horas antè prandium bibat in calice argenteo, quoniam ibi non repræsentatur oculis turpitudo potus nauseam irritans, vel à puero bibendi voluntatem auertens.

Hydropico ascitici remedium conficiens, & expertum per Auctorem.

Hoc igitur remedium, bis videlicet in hebdomada, per horas quatuor antè prandium, cùm septies bibisset, puer, in illius virtute aquosus paulatim fuit subductus humor faciliori tolerantia, & conferentia, licet in minori semper quantitate, quàm supra dictum fecerat elaterium, huius tantem remedij beneficio, vnà cum recta victus ratione instituta, prædictus puer optimè conualuit.

Elaterium item viro quadragenario, specie hydropis ascitis laboranti, ad semiscrupuli quantitatem propinare sum ausus, addito etiam pilularum alephanginarum scrupulo, ac syrupo de absynthio ad reformandum simul bolum, sufficiente, ita enim sentit Dioscorides libro quarto, capite centesimo trigesimo sexto, vbi de elaterij quantitate viris concedenda sic loquitur. Integer modus obolus est, minimus semiobolus, pueris verò chalci duo, siquidem copiosius periculum affert. Romanum verò antidotarium, vbi de ponderibus Romanis, & Græcis agit, obolum, & semiscrupulum, eiusdem ponderis esse declarat, pro vt etiam semiobolum, sex granis correspondere docet, duos verò chalchos, trium granorum ponderi æquiparari dicit.

Elaterij dosis, vel quantitas, tum viris, tum pueris vniuersa iter concedenda ex Dioscoride.

Hic autem hydropicus ascites quadragenarius, satis robustus, nec valde gracilis erat, verumtamen habitum ab adolescētia biliosum, tunc verò ad melancholicum tendentem repræsentabant, inueteratum valdè morbum nec etiam retrahebat, eius item venter intuentium oculis vix tumidus apparebat. Huic igitur ab assumpto manè elaterio prædictæ quantitatis pondere, pauca deinde molestia fuit venter subductus ad quantitatem quatuor, vel quinque aquæ bocalium, vnà cum excrementis maximo flatu erumpentibus, à quibus ita fuit releuatus, vt in posterùm supra dictum elaterium eidem propinare

necesse non fuerit, dicebat enim, simulque gaudebat se se à dicto morbo veluti resurrexisse, nec ampliùs à sui ventris pondere, atque tumore grauari, contentus itaque per triennium sic vixit. Post triennium autem, cùm circa musculos intercostales, ac septum transuersum iuxta iecoris regionem, quodam afficeretur dolore, respirationem offendente, sua mala sorte Medicum antè suam domum fortuitò transeuntem, & aliàs sibi cognitum aduocauit, cui suum dolorem, ac respirationis difficultatem significauit, & patefecit, quæ patientis verba cùm vix audiuisset Medicus ille, iussit illicò eidem aperiri venam cubiti internam eiusdem partis dolentis, ad semilibram sanguinis, hic autem patiens, post sanguinis detractionem, subsecuta nocte mortuus est; pro vt iam vxor, aliquot post dies à defuncto viro mecum allocuta, mihi prædicta narrauit, quæ præterea dixit eundem virum pleuritidis morbo perijsse, sicuti ex dicto Medico ita iudicante audiuerat.

Ex relatione igitur per vxorem iam defuncti ad me delata, rectè animaduerti dictum Medicum (quem, licet mihi cognitum, palàm tamen pronunciare, non decet) in prædicti scilicet morbi cognitione, & curatione, per incuriam fuisse hallucinatum. Nam in cognitione morbi hallucinatus est, eò quòd non perfectè, ac sufficienter considerauerit patientis locum affectum, & doloris etiam causam, ab inflammatione scilicet, vel flatu genitam, vel aliter se habentem, nec item rectè interrogauerit eundem de morbo aliquo præterito, vel an solitus fuisset simili dolore diù permanente, vel breuiter prætereunte torqueri, qui vt plurimùm à flatuoso spiritu, huc illuc per corpus vagante, & eò magis in hydropicis interdum eleuari, ac etiam dissipari facilè solet, dum intercostales musculos partesque proximas petit; hæc inquam Medicus ille si animaduertisset, venam dicto patienti secare minimè tentasset, qualibet enim specie hydropis laborantibus sanguinem mittere, est inquam velle ipsos ad mortem festinare, pro vt vniuersis medicinæ doctoribus notissimum est. Hallucinatus est etiam in curatione prædictus Medicus, nempe quia, dum dictum patientis dolorem, qui circa musculos intercostales, & iecur, respirationem offendebat, pleuritidis principium esse putauit, idcircò sanguinis mittendi à cubito indicationem sumpsit, contra legitimam Hippocratis regulam, atque doctrinam, initio libri secundi de victus ratione in morbis acutis, vbi sic dicit. Lateris

Hydropicis venam secare nō conuenit.

ris

ris autem dolorem, siue is per exordia fiat, siue posteà, tentare calidis quidem fomentis primùm dissoluere non abs re existit, iuxtà etiam Galeni mentem in citati loci commento, de Hippocratis doctrina rationē referentis his quidem verbis. Fomenta calida cutim ipsam ad perspirationes rariorem efficere, phlegmonesque sanguinem tum tenuare; tum per halitum digerere consueuerunt, textu verò nono, eiusdem citati libri, ita subiungit Hippocrates; Verùm si fomentis dolor non soluatur, ne diutiùs calefacito, siccat enim id pulmones, atque ad suppurationem excitat, ideòque textu decimo sequenti, tūc sanguinem ex interna cubiti vena detrahendū posteros docuit Medicos. Si hanc igitur regulam curandæ pleuritidis supradictus Medicus memoria tenuisset, ac perpendisset, supradictum patientis dolorem priùs per fomenta calida, non autem per sanguinis missionem curare tentasset, & sic optimè cognouisset à flatu ne, an ab inflammatione, dolor ille ortum duxisset, & miser hydropicus ab initio dictus, diutiùs fortasse vixisset.

Lateris dolor, quo modo curandus iuxta Hippocratem, & Galenum.

Probandum adhuc remanet, an præsens ætas albi hellebori vim possit etiam sustinere.

Præsens quidem ætas, an albi hellebori vim possit etiam sustinere, non est ad impossibile reducendum, cùm id potiùs contingat ratione defectus præparationis, non autem respectu complexionum adhuc viuentium, quod quidem alicui nouum esse non debet, quoniam plerisq; medicamentis laboriosè soluentibus, & periculosis, ni ars medica sua correctione, ac præparatione succurreret, humanum genus illis resistere nunquam posset, quod optimè Galenus in libro de articulis cognouit, ideòque conqueritur de sui temporis calamitate in commento tertio de fracturis, eò quòd etiam tunc non extiterit modus helleborum præparandi, helleborum enim simpliciter dictum intelligitur album, iuxtà Hippocratis mentem toto ferè in libro secundo de morbis, & alibi etiam ita comprehensam, quam etiam opinionem secutus est Galenus idem, locis in multis, præcipuè tamen in quintæ sectionis aphorismorum Hippocratis commento primo, dum aphorismi sensum circa ea interprætatus est verba, videlicet qui helleborum potarunt, album scilicet (hunc enim simpliciter helleborum) non sicut nigrum cum additione nominare solent. Ita Galenus. Mercurialis item libro secundo prælectionum, capite septimo, vbi ex

Ars medica, venenosis plerisque medicamentis, sua correctione succurrit.

Helleborum simpliciter dictum, intelligitur album, de Hippocratis, & Galeni mente.

Galeni sententia loquitur, dixit veteres potuisse multò securius helleborum administrare, quàm nos possumus, quia Hippocrates, & omnes veteres, diligentissimè præparabant helleborum, vt blandè purgaret, nec læderet. Manardus verò Ferrariensis, super secundum Mesuæ librum de simplicibus laboriosè soluentibus, capite trigesimo, de helleboro albo hunc refert in modum. Ego albo nunquam vsus sum, puto tamen homines regionis nostræ robustos, ferre eum posse, non dandum tamen, nisi in diuturnis, & fortibus morbis, & qui per alia auxilia non sunt sanari. Manardus igitur inclinat posse saltem cum conditione dari, ex dictis de albo helleboro verbis.

Brassauolus medicus nostra ætate insignis, helleboro albo innocenter vsus est

Sed hac de re audiendus est omninò Brassauolus Medicus studiosissimus, & nostra ætate celeberrimus, qui in examine simplicium medicamentorum, pagina quingentesima trigesima prima, numero decimo, gloriatur se met ipsum nouum extitisse auctorem, seu inuentorem, helleborum præparandi, & corrigendi, nec non præterea se se album veratrum, seu helleborum sine vllo vitæ periculo, immò etiam sine molestia sumpsisse, ideòque in supra dictæ rationis confirmationem, tanquam exemplum proprium, ac testimonium fide dignum adducitur, cuius inquam verba sunt ista. Olim veratrum album in vsu erat frequentissimum apud Hippocratem, quia molestè educit, relictum est, & nigro solum vtimur, nunc iterum album in vsum venit, correctum enim mirè educit. Ego drachmam albi sumens, nunquam minus molestam euacuationem habui, & quibusdam insanis non correctum exhibui, & mirè profecit, hæc Brassauolus, qui vnus tantùm difficultatem istam satis dilucidasse videtur, licet corrigendi modum, cur postea non docuerit, ignorem.

Helleborum album Brassauolus ipse sumpsit, & alijs etiam sine molestia exhibuit

Nihilominùs ad confirmandam huius rei certitudinem, Antimonij validissimi purgantis exemplum nunc adducendum, omnibus euidentissimum erit testimonium; Hoc enim medicamenti genus Hippocrati, & cæteris antiquissimis Medicis ignotum, & nostro ferè seculo inuentum, adeò potentissimum est, vt comparatum cum helleboro albo, & quouis alio similiter fortissimo medicamento purgante, non hellebori albi, sed alterius cuiuslibet etiam vi æqualiter correspondeat, vel fortasse superset. Et quamuis antimonium ab aliquibus purum venenum, pro vt album helleborum existimetur. Veruntamen

quia

quia optimus inuentus est modus illud artificialiter correctum propinandi, idcircò præsens ætas maxima ægrotantium vtilitate, illius vim potest respectiuè sustinere, pro vt album sustineret etiam helleborum, ni deesset correctionis, vel præparationis modus.

Antimonium an sit venenum.

Quamobrem Matthiolus nostra tempestate princeps omnium, qui vniuersaliter de virtutibus herbarum, metallorum, lapidum, mineralium, ac de venenorum cognitione, & curatione adhuc scripserint, dum super quintum Dioscoridis librũ capite quinquagesimo octauo, mirificos de antimonio narrat effectus per se met ipsum expertos, diuinumque veluti medicamentum, antimonium præparatum ad miraculum vsque prædicat, & extollit (licet inquit non desint, qui illud tanquam venenum suspicentur, ac timeant) inter cætera tamen de antimonio sequentem narrat historiam, hoc scilicet modo. Dominus Lucas Contilis, nobilis Senensis, multas patiebatur affectiones, diù eum vexantes, diuersorum tamen Medicorum intuitu, ac iussu, multis assumptis remedijs, ac sine vllo progressu repetitis, deuorato tandem, antimonio præparato quatuor granorum pondere, in illius virtute molestos per vomitum eduxit humores vnà cum duodecim terebinthi bolis, quos in duas vices per quindecim dies antè deglutiuerat, & hac scilicet via pristinæ fuit sanitati restitutus, hæc Matthiolus.

Matthiolus princeps omnium qui de simplicium virtutibus, præsenti viuente sæculo scripserunt.

Antimonium à Matthiolo diuinum vocatur medicamentum.

Mercurialis item doctissimus Medicus, qui paulò post Matthiolum vixit, libro primo prælectionum, capite decimo sexto, hac de re sic loquitur. Sed quid de antimonio, quod hodie vsque adeò celebre est, & quod scribunt Paracelsistæ Medici miros effectus producere, & præsertim in insanientibus? Domini, huiusmodi remedium semper periculosum esse putaui, quia purum venenum est, scio tamen à multis ita diligenter præparari, vt si non penitùs innocuum euadit, saltem minimum detrimentum affert, ita Mercurialis.

Antimonium, licet à Mercuriali venenum iudicetur, nihilominus rectè præparatũ ab eodem commendatur.

Patet igitur ex dictis, ob inuentum præparationis modum, antimonium veluti potentissimum medicamentum purgans hodiernis complexionibus, eo indigentibus, valdè prodesse, sicut album etiam helleborum nunc iisdem posse omninò conferre, pro indubitato habendum est, dummodò præparationis modus nobis notus esset, ac certus, pro vt fuit Hippocrati.

Helleborum album ob præparationis defectum tantum modò, nostræ ætate viuentibus exhiberi non potest.

Quamobrem antimonio similiter, pro salute ægrotantium mihi contigit interdum vti, & profectò mihi hæc scribenti, ne-

cesse

ceſſe fuit ad illud, tanquam ad ſacram anchoram confugere; veluti narrandum nunc eſt.

Martię Zazzeræ nobiliſſimæ Romanę notabilis in medicina caſus, ab Auctore deſcriptus, ac tandē in antimonij præparati virtute ſublatus.

Circa initiū menſis Iunij, milleſimi, ſexcenteſimi trigeſimi octaui, Romæ fui requiſitus ad curandam Nobiliſsimā D. Martiam Zazzeram Romanam quadragenariam, corpore plenam, atque robuſtam, nec non vitioſis valde humoribus redundantem, quæ item complexionem naturaliter bilioſam, accidentaliter verò melancholicam repræſentabat, ſed caput, & ſtomachum, vtrumque frigidum, & humidum poſsidebat, iecur autem, renes, & vterum, omnia quidem valde calida retinebat, ac præterea nullum eò vſque produxerat filium, quamuis adhuc matrimonij vinculo teneretur. Hæc pariter inquam diuturna poſt menſtrua retenta, cæpit conqueri de inappetentia, & nauſca ferè perpetua, cum irritatione ad vomitum, ſæpè etiam reiectum in pauca quantitate pituitæ craſſæ, ac viſcidæ, porraceæ bili permixtæ, permanente tamen poſt vomitum, in fundo ſtomachi, pondere, cum frigiditate adeò ſenſibili, vt quoduis poculentum, licet quaſi feruens ſibi propinaretur, illius tamen calorem in dicto ſtomacho nullo modo perciperet, cui præterea febricula continua, & lenta, cum lienis etiam duritie, ac meſeraicarum venarum obſtructione erat adiuncta, vnà cum ventris ſtypticitate, hypocondriorum murmure, atque paſsione, obſtinata ſiti, nocturniſque præſertim vigilijs, nullam ſomnifero concedentibus remedio quietem, quæ omnia profectò originem traxerant ab erroribus in ſex rebus non naturalibus commiſsis, in pauca videlicet corporis exercitatione, in nimio ad libitum aquæ potu, nec non in maximis animi perturbationibus, mæroris præcipuè, & doloris, multorum menſium interuallo, hanc Nobiliſsimam Dominam non ſine occaſione affligentibus.

Huic igitur Nobiliſsimæ D. preæter debitum victus regimen inſtitutum pro diuellendis tot ſymptomatibus prauis, febrē, vtpote morborum regiuam concomitantibus, fuerunt in primis adhibita remedia, tam per vomitum, quàm per ſeceſſum purgantia, nec non reuellentia per diuerſi generis clyſteres, ac etiam per cucurbitulas non ſcarificatas, inferioribus tamen partibus admotas; quibus, & ſingulis, & vniuerſis, parum conferentibus, remiſſo nihilominùs aliquantulum vomitu, fuit deinde prædictæ Dominæ ſecta dextri pedis ſaphena circa ſanguinis libram, ob retenta diù menſtrua, quæ prædicta,

cta, magna ex parte symptomata producebant, post biduum verò fuit aperta basilica dextri cubiti ad semilibram sanguinis, fuerunt item plura stomachum corroborantia, plura item peccantes humores præparantia, & incidentia, nec non diù repetita, nouaque semper secundum rationem excogitata, & propinata remedia, pro dictorum diuersitate symptomatum, cùm pauco nihilominùs progressu, nempe quia tam febris, quàm suprà narrata stomachi interna frigiditas, cum nausea, & inappetentia ferè perpetua, prædictam Dominam satis adhuc vrgebant, quæ omnia simul, valde pertinacem arguebant humorum promiscuorum qualitatem, hypochondriacæ propriam, & eò magis profectò hystericis adiunctam passionibus, nam ex Hippocrate in aphorismorum sectione secunda, aphorismo quarto. Non facietas, non fames, neque aliud vllum bonum est, quod naturæ modum excedat. Hypocôdriaca effectus.

Constantibus tamen eò vsquè dictæ Dominæ viribus, ad antimonium præparatum deueniendum iudicaui, non obstante Canicula, ad quam peruentum iam erat. Sed cum eò vsque semper huic curationi solus interfuissem, alios hac de re medicos mecum vnà pro maiori cautela conuocandos, & audiendos curaui. Cùm autem Excellentissimi Domini Alfonsus Ferrus, & Philippus Vrsius Romani Medici, doctrina, & experientia præditi, ac ætate prouecti, huic curationi mecum interuenissent, tunc omnes vnanimes consultauimus, vtrum prædictæ Dominæ languenti, ratione virium, & febris, dictorumque symptomatum, vel temporis item canicularis causa, antimonium præparatum exhibendum videretur. Nobiscum igitur prædictis omnibus consideratis, ac diligenti speculatione ponderatis, fuit tandem iudicatum, ac firmiter constitutum, supradictis de causis, vnicam salutis spem pro hac Nobilissima Domina, fore in antimonio collocandam, nec post caniculam differendum, eò quòd vitæ periculum posset solum ratione moræ consistere. Antimoniū an caniculari tempore laborantibus, sit propinandum.

Quoniam tamen iuxta diuersos Medicinæ doctores antimonium diuerso modo præparatum apud pharmacopolas hodiernos reperitur, sicuti de antimonio præparato à Matthiolo, in sua prædicta historia, super quintum Dioscoridis librum, capite quinquagesimo octauo videri optimè potest, ideò pro eadem Nobilissima Matrona Romana fuit electum illud, de quo Rodericus à Fonseca in suis Consultationibus meminit, præ- Antimoniū diuerso modo præparatur.

cipuè verò in Consultatione quinquagesima tertia, & sexagesima nona, Nam in Consultatione quinquagesima tertia, sic de antimonio refert. Sed si præparetur, & calcinetur ter cum sale nitro, vt solùm moueat deorsum, poterit exhiberi ad grana decem, & totidem scammonij calcinati cum sulphure per fumium illius, ita si detur, credo fore optimum medicamentum pro eradicando morbo. hæc Rodericus a Fonseca.

Verùm quia in dicta consultatione quinquagesima tertia, casus de nobili adolescentula ibi narratus, poterat magna ex parte comparari cum prædicta nobilissima Domina Martia Zazzera, ideò super huiusmodi antimonium à me propositum, vtpote dictæ Dominæ necessarium, non præter rationem à supradictis Excellentissimis Dominis Medicis expertissimis, opinionem propriam decernendam curaui, qui pariter idem antimonium à me propositum, illi de Mattioli mente correcto, ac præparato, præferendum iudicarunt.

Tunc igitur antimonium, & scammonium, vtrunque tamen præparatum. iuxta Rodericum a Fonseca in dicta consultatione quinquagesima tertia, ad pondus granorum decem pro quolibet. cum eadem quantitate tartari albi, quæ omnia in puluerem redacta, vnà cum semiuncia aquæ cinnamomi destillati, & sentilibra iuris columbini parum saliti, adhuc tamen calentis, huic Matronæ Romanæ grauiter languenti, summo mane sequenti propinata fuere, post quod medicamentum ebibitum, nihil fuit eductum, nisi ad decem vsque horas elapsas, post quas pituitosi humores, & crassi, cum eruginosis, ac melancholicis magna ex parte excrementis permixti, sine molestia per inferiorem tantummodò ventrem fuerunt conuenienter subducti, praua enim in qualitate magis, quàm in quantitate dicti peccabant humores,, a quorum euacuatione subleuata demùm fuit aliquantulum dicta Domina ab illa sensibili frigiditate, ac molesto pondere, vtrisque in fundo stomachi iam diù permanentibus.

Quamobrem ob expertum vtilitatis effectum, prout quidem in tanto spes erat remedio, post triduum, pristino item modo fuit antimonium eidem Dominæ repetitum, in maiori tamen dosi, duodecim scilicet granorum pondere, pro quolibet supra dicto ingredienti, quo iterùm potato remedio, duas post horas leuis factus est vomitus porraceæ bilis, ac pituitæ simul crassæ, & viscidæ, ad semilibræ ciriciter pondus, prout etiam succes-

siuè

siuè paucas post horas, alij quoque humores eruginosi, vnà cum cæteris pituitosis excrementis pariter viscidis, fuerunt mediocriter, ac toleranter per secessum educti, cuius quidem antimonij beneficio, quo ad frigus, & pondus, vtrunque profectò dictæ Dominæ stomacho diù valde molestum, prorsus benè se habuit, quemadmodùm, & paulisper somnum recuperauit amissum, quo ad inappetentiam vero, lentamque febriculam, non perfectè conualuit, immò verò febricula, & inappetentia quandoque illa, ad hybernum vsque solstitium permanentes magna ex parte, vel erraticè potiùs fuere, quo tandem aliquando tempore, Nobilissima hæc mulier pristinam effectiuè sanitatem obtinuit, quod quidem contigit iuxta veridicam Hippocratis doctrinam in libro, de aere, aquis, & locis, textu trigesimo, vbi longos morbos in solstitijs, & æquinoctijs, cæterisque signis cælestibus maximè iudicari sapientissimè scripsit, nempè quia his diebus morbi, alij perimunt, alij verò desinunt, alij in aliam speciem, aliumque statum transmutantur, ita Hippocrates. Morbus autem huius Nobilissimæ Dominæ Martiæ Zazzeræ Romanæ diuturnus fuit, siquidem paulò ante solstitium æstiuum in tot perniciosas incidit affectiones, quæ non obstantibus tot generosis adhibitis medicinæ remedijs, ad hybernum vsque solstitium, salutarem nihilominùs exitum produxerunt.

Morbi vt plurimùm longi, in solstitijs, vel æquinoctijs, ad salutem, vel mortem iudicari solent, ex Hippocrate.

De peplio tandem quid dicendum; posset ne viuentibus adhuc hominibus tutò dari? posset quidem, si esset in vsu, quoniam si virtus eius cum helleboro nigro comparetur, parum ab hoc differre videtur, pro vt colligitur ex secundo Hippocratis libro de ratione victus in morbis acutis, textu vndecimo, vbi sic dicit. Cæterùm veratrum nigrum, tum meliùs, tum ad iudicationem iuuantius, quàm peplium, ventrem soluit, sed peplium flatum magis excutit, dolorem prætereà ambo hæc sedant; ita Hippocrates. Quamobrem cùm nigrum helleborum viuentibus hucusque tutò exhibeatur, quemadmodum satis probatum est supra, peplium quoque, dummodò esset in vsu, posset iisdem pariter exhiberi, eò quòd iuxtà citatam Hippocratis doctrinam, amborum virtutes magna ex parte sibi inuicem correspondeant.

Peplium, & helleborum nigrum eiusdem fere sunt virtutis.

Aetas autem præsens, quia medicinis mitioribus, ac benedictis nouiter inuentis abundat, viuente nihilominùs Hippocrate, vel prorsus ignotis, vel deficientibus, mirùm propterea

non est, si paulatim derelinquatur visus exhibendi prædicta vehementia, & laboriosa medicamenta, quibus Hippocrates etiã inuitus, vel necessitate ductus, cogebatur interdum vti, veluti manifestè patet ex relatis ægrotantium historiis, in libris de Morbis popularibus, ab eo magna obseruatione relictis, præsertim verò quinto in libro numero nono, vbi sic narrat. Vxor Antimachi in Larissa, prægnans erat diebus circiter quinquaginta, & reliquo tempore, præ fastidio, à cibo abstinebat, & per septem dies vterum dolebat, & cor, & febris corripiebat, eo tempore nihil per aluum egerebat; huic datum est catapotium deorsum purgans fortius, quàm conueniebat, & euomit bilem combustam præ cibi abstinentia; & febre; subdit autem inferiùs, mortua est circa mediam noctem, videbatur viuere potuisse, si aquam bibere potuisset, ac statim vomere, priùs quàm deglutiuisset; hæc inquam Hippocrates, qui tunc ob expertos morborum, ac medicamentorum validissimorum sui temporis exitus, quorum vi resistere quiuis non poterat, (pro vt adhuc viuentibus circa eadem quoque, idem ferè contingit) tum ob inopiam benedictarum medicinarum, quibus nostrum abundat seculum, idcirco sæpè in curandis ægrotis, clystere, vel suppositorio prudentissimè vtebatur, quod quidem doctissimus Mercurialis, qui vt aliàs dixi, nihil intactum in medicina reliquit, hoc idem diligenter obseruauit primo in libro prælectionum, capite de melancholia, circa finem, vbi hæc de re sic loquitur. Volo vos obiter vnum docere memoria dignum. Hippocrates in Epidemijs cùm referat plurimas historias ægrotantium, vix vnquam alterius remedij mentionem facit, quàm clysteris, & suppositorij, & puto ego hanc esse causam; quia Hippocrates diligebat hæc remedia, vt etiam dilexit Auicenna, sic Mercurialis. cuius vestigia semper admiror, ac sequor.

Antimachi vxor prægnans qua de causa perierit, ex Hippocrate.

Clysteris, vel suppositorij frequentissimus vsus apud Hippocratem in Epidemijs quare?

Dico autem ego, propterea Hippocratem huiusmodi remedia dilexisse, scilicet quia, vt dictum est supra, fortium medicamentorum ambiguos exitus, & cum ægrotantium quandoque pernicie fuerat expertus, quibus profectò de causis ad clysteres, & suppositoria sæpissimè confugiebat, siquidem horum indemnitatem optimè callebat, & cognoscebat, sicut etiam cognouit Auicenna, qui quotiescunque ægrotauit, eadem penè de causa, clystere fuit tantummodò visus, quemadmodùm in Auicennæ vita, diligenter à Sorano Arabe eius discipulo, his præcipuè verbis exprimitur. Erat quidem Auicenna vir fortis,

Auicenna cũ ægrotaret, cur solùm clystere, non autē purgantibus medicamentis fuerit vsus?

tis, qui minimè à venereis abstinebat, quare, cum se ob hanc causam imbecillem ex resolutione cognosceret, ab omni medicamine expurgante, & soluente semper abstinuit, vnde factum est, vt cùm esset cum Rege in exercitu, inciderit in vehementissimos dolores colicos,& cùm suspicaretur, ne fortè aliquid accidere posset, quo cogeretur se dare fugę, vna die octo clysteres sibi imponi iussit. Quæ Sorani verba signum quidem euidens præbent, Auicennam huiusmodi remedium tanquam innocuum mirum in modum dilexisse.

Concludendum est igitur ex tot fundamentis, & rationibus huc vsque deductis, euidenterque probantibus, hodiernas viuentium complexiones, ab illis, viuente Hippocrate, nequaquam differre, quod profectò, in plenæ probationis complementum, corroboratur ex eiusdem Hippocratis verbis,quæ in libro prænotionum, numero vigesimo septimo, ita propemodum leguntur, Nam, & in Lybia, & Delo,ac Scythia, pręscripta signa, vera comperiuntur, Quæ quidem verba considerans Galenus in tertio prognosticorum commento, numero quadragesimo, sic exposuit. Lybiam enim,tanquam calidam, Scythiam,tanquam frigidam, Delum,tanquam modificatam, mediamque inter vtramque, gratia exempli commemorauit Hippocrates. hæc enim sunt verba Galeni.

Complexiones hodiernæ non differunt ab illis viuente HipPocrate & ratio cur nõ differant.

Ex hac igitur Galeni expositione, expresse patet. Hippocratem dicto exemplo, nobis significare voluisse, quæcunque de medicina scripsit, in Regionibus tam calidis, quàm frigidis, vel etiam moderatis, in omnibus tandem mundi partibus verissima semper futura, pro vt consequenter etiam apparet, Hippocratem manifestè respexisse vniuersi mundi complexiones, tam scilicet sui temporis, quàm posteritatis, parum, vel nihil fore inter se differentes, alioquin de prædictis verbis, veluti signis euidentibus, in exemplum adductis, non ita fuisset ausus pronunciare; Magna profectò verba, tanto digna viro; Veruntamen id mirum omnino non est, nam causa tam præclaræ sententiæ fuit, quia Hippocrates perfectissimus erat Medicus, Philosophus item optimus, ac Astrologus sapientissimus, multarumque linguarum doctissimus, quibus præcisè de causis prædictam promulgare sententiam tanquam veram, idcircò non dubitauit,siquidem, vt ita confusos penitùs relinqueret eos, qui potuissent in posterùm ipsi met etiam Hippocrati opponere, medicam eius scientiam,& artem, quam scripsit

Hippocratis doctrina vniuersis in mundi partibus vera est.

Hippocrates erat sciẽtiis ac linguis d uersis prædi.us.

sit in Græcia, vtramque nimirùm, in cæteris mundi partibus, pro vt in Græcia, eundem semper effectum minimè sortituram, dummodò sapienter posteris, tam ratione identitatis specificę, quàm numericæ, complexionum tunc scilicet præsentium, ac futurarum, eandem pariter profuturam non præuidisset; propterea quælibet aduersus eum dubitatio, vel oppositio cesset, ac prorsus euanescat, quoniam sciendum prętereà est, prudentissimum Hippocratem, vniuersa, quæ de medicina scripsit, multis priùs experimentis, atq; obseruationibus, tam iuxtà rectum, ac certum medicamentorum effectum, quàm iuxta quorumcunque tunc viuentium complexiones, non solum in Græcia, sed etiam diuersis in mundi partibus diligenter comprobasse, ac tandem, vt pote veridica, nec non posteritati maximè profutura reliquisse, veluti ex Aphoristicis, & Epidemicis eius libris præcipuè cognoscitur, ac mirum in modum apparet, qui inquam libri, vnà cum cæteris ab eo scriptis, de admirabili eius iudicio, ac scientia, vbiquè locorum fidem optimam præstant.

Hippocratis fine fine labores, in medicinæ scientia, & experientia, posteritati salubres, ac dulces fuere.

De Morbis Euitandis in Virtute Sex Rerum non Naturalium,

NOTABILE QVINTVM,

Ad euitandum ne homines tum ægrotent, tum etiam ne vitæ terminum sibi met ipsis à Deo vltimatè præfixum, breuiorem sæpissimè reddant, pro certo habendum quidem est inter arcana medicinæ remedia, atque præsidia, eam præcipuè medicinæ partem summopere prodesse, quæ bonæ valetudinis tuendæ, ac vitæ similiter prorogandæ præcepta peculiariter docet, siquidem ea mediante, ad extremam senectutem sine vllo morbo vita potest naturaliter protrahi, exempli gratia, ad senectutem retardandam (id licet impossibile cuiquam videatur) retardari nihilominùs potest, si accuratè magis, & extensiuè protrahatur, nempè ita se se regendo, ac diligenter custodiendo, vt humidum radicale, quàm paulatim secundum naturæ cursum deficiat, reficiendo inquam illud, tum proportionatis, & salubribus cibis, tum magnis etiam remedijs vitam diù cōseruātibus, & excremēta gigni superflua prohibentibus,

Senectus qua via possit retardari.

Vitæ humanæ diù conseruandæ, quæ cōferant.

veluti ſunt aurum potabile, iulep gemmatum, elixir vitæ Magni Ducis, Q. Eſſentia roriſmarini, ac item diuerſæ Q. Eſſentiæ ad hunc finem inuentæ, nec non Theriaca, vel Trifera, vel huiuſmodi eximia remedia debito Medicorum conſilio ſumpta, alioquin, vt plurimùm, ob excrementorum copiam, quodlibet ſubiectum præter vltimatum naturæ ordinem ad interitum tendit. Viuentibus enim quibuſcunque per humidi radicalis, vel caloris naturalis defectum, aut ſuffocationem, mors poteſt citiùs quàm par ſit euenire, pro vt dilucidè declarandum nunc eſt.

Humidum radicale multipliciter conſumi poteſt, præter quam naturaliter deberet.

Principaliter enim poteſt humidum radicale citiſſimè conſumi, vel deficere, ob immoderatum ſanguinis profluuium ex qualibet humani corporis parte manans, quoniam copia ſanguinis effuſa, emittuntur etiam ſpiritus cum ſanguine mixti, quibus ambobus deficientibus, citiùs item humidum radicale conſumitur, & per conſequens, etiam vita, quæ proprium, ac præcipuum in eo fundamentum retinet.

Secundariò verò, humidum radicale præter naturæ ordinem deſtruitur, vel ob longam tum inediam, tum animi curam, vel immenſum corporis dolorem, & ob inopportunas vigilias, aut violentos, & ſudorificos corporis mòtus, à cibo præſertim, ac præter conſuetudinem factos, quorum omnium propria, & ſingulari cauſa, humido radicali pabulum, ad vitæ diuturnitatem coueniēs, per vim denegari, nō ſine mortis feſtinatione cōtingit.

Veneris immoderatus vſus quę damna pariat.

Similiter etiam calor naturalis, vel humidum radicale, propria natura celeriùs reſoluitur, ob immoderatum Veneris vſum per quem ſpiritus præcipuè animales, vnà cum vitalibus, & naturalibus, ac rorida etiam humiditate, præter opinionem reſoluuntur, prout Satyro contigiſſe narrat Hippocrates ſexto in libro de Morbis popularibus, ſectione ſeptima, circa finem illorum verborum ſcilicet (hæc ex parua tabula conſideranda ſunt) vbi Hippocrates ſic loquitur. Satyrus in Thaſo, cognomento Grypalopex, ſępe per ſomnum ſemen effudit, & interdiù quoque frequenter ipſi prodibat, cùm autem ad annum trigeſimum perueniſſet, tabidus fiebat, & mortuus eſt. hęc ſunt Hippocratis verba.

Galeni caſus notabilis circa illos, qui ſemen copioſum & calidum gignunt, & quę patiantur ſymptomata.

Hac item occaſione, à me intactus prætereundus non eſt Galeni locus decimo quarto in capite, ſexti libri de ſanitate tuenda, ſequenti modo deſcriptus, nempè; ſanè peſſimus corporis ſtatus eſt, & illæ, ſunt enim qui genitale ſemen copioſum,

cali-

calidumque gignunt, quod eos ad expulsionem sui proritat; post quam, & ventris os illis resoluitur (quod stomachus non à medicis modò, sed etiam ab alijs hominibus vocatur ita, vt à veteribus Græcè καρδία) & ipsi toto corpore nõ solùm relaxantur, imbecilliq; fiunt, sed etiam sicci, graciles, pallidi cauisque oculis cernuntur, quòd si propterea, qui ex concubitu sic vexantur, ab hoc se retrahant, non modò capitis molestiam sed etiam stomachi offensionem, fastidiaque sentiunt, sed nec ex continentia magnopere iuuantur, accidunt enim ijs per nocturnas imagines non minora incommoda ijs, quæ à concubitu senserunt. ita Galenus.

Pollutio per nocturnas imagines habita, quibus nam eadem afferat incommoda, quæ concubitu.

Ex cuius item verbis maximè ad rem facit Cardani locus quarto de sanitate tuenda, circa quarti capitis finem, vbi de longæuæ in senibus præcipuè vitæ, valetudinisque prosperæ signis agens, hæc ait. Porrò in senibus magnum est signum vitæ diuturnæ adhuc restantis, erectio virgæ firma, & Veneris innoxius vsus, à quo tamen cauendum est, vt superiùs diximus: paulò tamen inferiùs de potissima nimirum breuis, aut longæ vitæ causa super omnia, propriam opinionem decernit atque concludit his verbis. In vniuersum verò posse affectibus animi imperare magnum est signum, & auxilium ad vitæ longitudinem, siquidem pleraque mala signa ex his, à recta victus ratione superantur, sed si vincantur ab affectibus, non solùm breuis vitæ secundum naturam signum est, sed etiam violentæ: ita Cardanus. Verum longè ante ipsum id etiam non ignorauit Auicenna, dum fen vndecima tertij, tractatu primo, capite sexto, sequenti modo locutus est; In passionibus autem animalibus, oportet, vt redeatur ad ea, quæ diximus in vniuersalibus & iam ostendimus impressionem earum in corde mediante spiritu, & cuiusque earum, quæ superfluit impressione, præfocationis spiritus innati ad interiora, aut sparsionis eius ad exteriora; & quandoque consequitur vt faciant peruenire syncopim, immo consequitur vt interficiant: sic Auicenna.

Vitæ longitudinis signum ex Cardano.

Ex dictis igitur satis apparet vnicum fundamentum, vtpotè omnium maximè necessarium ad longæuam ætatem quouis in homine consequendam, in passionibus animi posse non immeritò collocari, quandoquidem propriç naturç statum, vel complexionem ita euertunt atque dissoluunt, vt, qui ijs resistere atque imperare non possunt, ijsdem met properent, atque festinent celeriter mortem: Constituendum est igitur vnicam tantum-

tummodo ſanitatis ac vitæ diuturnæ cauſam, in animi quiete cum hilaritate conſiſtere, ad quem ſcilicet ſtatum licet quamplurimi peruenire deſiderent, ac ſummopere concupiſcant, pauciſſimi tamen ob diuerſa humanæ vitæ infortunia, huiuſmodi gratiam atque fortunam valde raro impetrare vel conſequi poſſunt, pro vt eadem quoque de cauſa pauciſſimi pariter ſunt, qui poſſint ad poſtremam ſeu decrepitam ſenectutem peruenire; Quæ demum ſenectus, neceſſario præterea deficiente ſomno, diutiùs conſeruari, nec protrahi ſimiliter poteſt; ſenectus igitur animi tum quiete, tum hilaritate, tum præcipuè ſomno pro vitæ diuturnitate inter omnia quæcunque alia, ſupra modum præ cæteris ætatibus indiget.

Per humidi radicalis autem ſuffocationem, mors item præter conſuetum naturæ curſum diuerſis vtique modis contingere poteſt, vel enim ob nimium calidorum vſum, veluti ob aquæ vitæ, vel vinorum potentium, aut aromatum frequentium, & copiam, vel ob aerem nimis calidum, & incluſum, ſicut in hypocauſtis; alijſque cubiculis, igne ſuperfluo calefactis, præſertim verò incluſo ignis halitu, vel fumo, nulla ex parte egrediente; ob nimiam item crapulam, vitamque ocioſam, vel ob prauorum humorum qualitatem, veneno frigido ſimilem, pro vt omnia venena item frigida, Nam calida, & corroſiua venena, per virtutis vitalis reſolutionem, vnà cum ſudoribus diaphoreticis (potiùs quàm per ſuffocationem, vel ſopiferam ſtrangulationem, quod frigidorum venenorum eſt proprium) interficere ſemper ſolent, pro vt mihi etiam, tanquam medicum agenti, pro vtriſque venenis curandis, a diuerſis requiſito, contigit interdum Romæ multa per infortunia videre; Ab humore etiam pituitoſo, ſupra modum humano in corpore aucto, & ſanguinis virtutem opprimente, naturalem quoque calorem extingui non raro contigit. His igitur ſingulis, & vniuerſis modis, hic, & ſuperiùs deſcriptis, vitam citiùs deficere, quàm propriè, & per ſe naturaliter deberet, non eſt in dubium reuocandum.

Veneni tam calidi, & corroſiui, quàm frigidi etiam effectus.

Mors citiùs, quam naturaliter deberet, quot modis cõtingere viuentibus poſſit.

Oportet igitur ex dictis, vt ratio ſemper habeatur illius, quod deperditum iam eſt, ac iuxtà deperditi neceſſitatem, quo magis fieri poſſit, citò reſtauretur, nec non etiam penitùs humorum cruditates prohibeantur, ad hoc, vt vita ſemper incolumis conſeruari, & protrahi poſſit, quouſque ad extremum venerit, quod quidem ſapienter præuidit Auicenna libro pri-

mo Canonum, ſen tertia, doctrina tertia, capitulo vnico, verſiculo, Et ars quidem ſanitatem cuſtodiendi, non eſt ars, quæ à morte ſecuros nos faciat, neque corpus ab extrinſecis nocumentis muniat, neque vnumquodque corpus ad vltimam vitæ longitudinem perducat, quæ eſt ſecundum hominem abſolutè, ſed de duabus rebus ſecuritatem præbet, putrefactionis penitùs prohibitionem, & defenſionem humiditatis, ne citò reſoluatur, & in ipſius quidem fortitudine conſiſtat, vt ipſum vſque ad debitum tempus, ſecundum ſuam complexionem permanere faciat, & hoc quidem erit propter regimen rectum reſtaurationis, quæ fit in corpore, loco eius, quod reſoluitur, ſecundum quantitatem poſſibilem. hæc Auicenna.

Ciceronis dictum ſanitati conferens.

Nec ab re item Cicero, in dialogo de ſenectute dixit, tantum cibi, & potionis adhibendum, vt reficiantur vires, non opprimantur. Ita quoque Galenus libro ſexto, de ſanitate tuenda, capite decimo, hac de re idem ſentire videtur his verbis. Ars, quæ ſanitati tuendæ præſidet, ijs, qui ſibi paruerint, conſtantem ſanitatem promittit, qui verò parere recuſant, ijs perinde eſt, ac ſi omninò non eſſet, recuſant autem alij, ab ipſa in præſens voluptate victi, quos incontinentes, intemperanteſque nominant, alij, ab ambitione, quam Græci hodie κενοδοξίαν, ideſt vanam gloriam vocant.

Notandum tamen eſt ex dictis Galeni verbis, vnumquemque præcipuè ſine morbis, ac diù viuendi cupidum, obedientem omninò eſſe debere ſuis in præceptis exequendis. Verumtamen quia ſtultorum infinitus eſt numerus, vt ait Salomon primo Eccleſiaſtes, nil mirum, ſi hiſce temporibus, (prout in medicina exercenda experientia didici) quidam reperiantur homines ſui profectò iuris, ac ita intemperantes, & Medicorum præcepta deridentes, qui dummodò in omnibus ſibi met ipſis indulgeant, decem, & plùs annis, citiùs mori non curant. Verùm enimuerò, pro vt initio Epiſtolarum Hippocratis extat, Rex Regum magnus Artaxerſes aliter quidem de Medicorum doctrina ſentiebat, dum ad Helleſponti Præfectum, de Hippocrate loquens, ſequentem in modum ſcribere dignatus fuit. Hippocratis Medici Coi, ab Aeſculapio originem ducentis, gloria artis etiam ad me peruenit; Dato igitur ipſi, auri quantum voluerit, & reliqua abundè, quibus opus habet, & ipſum ad nos mittito; nam optimatibus Perſarum æqualis erit, & ſi quis alius bonus vir eſt in Europa, eum domus Regiæ ami-

Hippocrate viuente eius fama, & medicæ artis gloria, apud Regem Artaxerſem maximæ fuit exiſtimationis.

cum

cum facito, nil diuitijs parcens, viros enim inuenire, qui consilio præstent, non est facilè, vale.

Iuxtà Galenum autem primo loco citatum, rectè quidem ars, quæ sanitati præsidet, ijs, qui parere recusant, pro illis est, ac si omninò non esset, quiuis igitur inculpata sanitate frui, ac diù viuere cupit, id facilè consequetur, dummodò iuxtà sequentem viuendi modum benè se reget, qui profectò modus consistit in debita quantitate, qualitate, substantia, tempore, ac ordine, omnia diligenter exequendi, quæ in sex rebus non naturalibus iam nunc dicendis, singulariter continentur, nec mirum si Galenus vltimo in capite libri experimentorum, dicere sit ausus, inter tria medicinæ instrumenta, diætam videlicet, pharmaciam, & chirugiam, principem tenere locum ipsam met diætam, vtpotè sanitatis conseruatricem, & morborum optimam curatricem, quin immò Galenus item in libro de Attenuante victus ratione, capite primo, vbi de edulijs agens, quibus tenues, ac salubres humores in corpore redduntur, de experientia propria sic loquitur: Sunt enim quos præstiterit sola victus ratione sine medicamentis persanare; vidi equidem non paucas arthridas, quæ articulorũ ossa nudarant, alias quidem hac victus ratione in totum persanatas, alias mitiores fuisse redditas: vidi prætereà, & eorum plerosque, qui spirandi difficultate (quam Δύσπνοιαν vocant) sæpè præhenduntur, adeò leuatos, vt aut prorsus reualerent, aut longo saltem interuallo leuiter affligerentur. Eadem etiam hæc tenuans victus ratio magnos lienis tumores, & hepatis scirrhum colliquat. Ad hæc Epilepsias paruas quidem, & etiamnum incipientes penitùs sanat, inueteratas verò, ac consũmatas iuuat non mediocriter. ita Galenus, quem item secutus est Oribasius non longè ab initio primi capitis, libri tertij Collectorum, & eius verba sunt hæc. Plerique etiam diuturni morbi solo vsu diætæ attenuantis plerùmque sublati fuerunt.

Sanitas perfecta vnà cum diuturna vita qua via possit impetrari.

Morbos sine medicamentis quomodo sanauerit Galenus.

Si igitur ex citatis Auctoribus fide dignis, per rectam victus rationem insanabiles ferè morbi ad salutem reduci potuere, quò item faciliùs per eundem, genus humanum ab ipsis met morbis incolumen, & præseruari, & diutiùs viuere simul poterit; Verùm quia diæta, seu victus ratio, sex res non naturales potissimùm complectitur, de his etiam necessariò, & singulariter agendum nunc est.

De ſex Rebus non Naturalibus, & recta victus in Iiſdem Ratione, ad Vitam incolumen, ac diuturnam conſequendam.

NOTABILE SEXTVM.

SEx Res non Naturales, ordine ſequenti communiter deſcribuntur, videlicet.

Aer.
Cibus, & Potus.
Exercitium, ſeu Motus, & quies.
Somnus, & Vigilia.
Inanitio, & Repletio.
Accidentia, ſeu Motus Animi.

Sex res non Naturales, ac etiam ineuitabiles, cur fuerint à Medicis ita nuncupatæ?

Meritò quidem ſex Res non Naturales, in viuentibus omninò ineuitabiles, fuerunt à Medicis nuncupatæ; ſcilicet quia inter naturalia, & præter naturam medio modo ſe habent, cùm adæquatæ ſanitatis, vel morbi cuiuſuis poſſint eſſe cauſæ; nam ſi pro vt humani corporis requirit neceſſitas, opportunè, ac moderatè adhibeantur, vitam quidem conſeruant incolumen, ac etiam protrahunt; ſi verò præter debitum adminiſtrentur modum, res illicò fiunt inſalubres, hominibuſque diuerſos perducunt morbos, perſæpè mortem præter Naturæ ordinem feſtinantes. Mirum propterea non eſt, ſi Galenus tertio Techni, has item dixerit eſſe ſex res, à quibus noſtra corpora neceſſariò alterantur. De his igitur regimen diù ſanitatem

conseruans, ac vitam prorogans, accuratè describendum nunc est.

De Prima Re non Naturali, quæ in Aeris electione consistit.

NOTABILE SEPTIMVM.

CVm ex Galeni verbis, primo de humoribus, commento decimo nono, sine respiratione nemini viuere contingat, propterea quòd respiratio à vita, & vita à respiratione non separetur, ob cognationem, quàm necessariò ad inuicem habent, iure optimo quidem Aer, pro humanæ vitæ custodia, inter sex res non naturales, principem apud Medicos obtinuit locum.

Hìc item Galenus libro nono Methodi medendi, capite decimo quarto scripsit. Aerem velimus, nolimus, omnibus apprimè necessarium esse, cum sit causa, sine qua nec morbus tolli, nec sanitas restitui potest, omnia quippe vitare possumus, præter aerem nos ambientem, ita Galenus. Vbicunque igitur bonus dominatur aer, maius adiumentum quauis alia re, humano corpori tribuit. Vbicunque verò malus, & insalubris est aer, omni re nocentior, ac pestilentior habetur. Quod item confirmat Isaac libro quinto de Febribus, dum dicit, aerem cibis, & potibus nocibiliorem esse, quoniam ad cor, & pulmonem velociter peruolat, sine cibis enim possumus aliquantisper viuere, sine aere verò, ne minimum quidem.

Aer malus, quæ vis re nocentior est.

Boni autem, ac perfecti aeris cōditiones traduntur ab Auicenna fen secunda, capite quinto, & octauo, his verbis. Aer ille optimus est, cui nec vapor malus, nec lacuum, nec stagnorum exhalatio, nec res extrinseca admiscetur, qui Cælo discoopertus est, neque inter parietes, & tecta, & montes conclusus, vbi venti boni spirant, & qui citò oriente Sole incalescit, & citò eodem occidente refrigeratur; sic Auicenna.

Aeris boni conditiones ex Auicenna.

Animaduertendum tamen est pro diuturnæ sanitatis tutela, ne aer sit admodùm calidus, quoniam ventriculi concoctionem impediet, affirmante Galeno in libri primi Aphorismorum, commento decimo quinto. Nam sicut immodicus aeris

ca-

calor humanum corpus aliquantulum debile reddit, ita & excedens ignis, vel Solis calor molestus etiam est, prouocando sudorem, & ex infernis corporis partibus sursum caput vapores trahendo, ijs præcipuè, qui vtrumque contemnunt: euitanda est quoque tam frigidi, & sicci aeris constitutio, veluti boreæ, quàm calidi, & humidi qualitas, austri sanè propria. Et quamuis ex tempestatibus anni, siccitates in vniuersum, assiduis imbribus salubriores, & minus mortiferæ sint ex Hippocrate, libro tertio Aphorismorum, decimo quinto Aphorismo. Nihilominùs boreæ subtilitas obest exprimendo, corporique torporem inducit. Austri verò humiditas, auditum hebetat, caliginem visui obducit, caput grauat, corpori tarditatem, & languorem conciliat ex eodem Hippocrate, libro tertio Aphorismorum, quinto; Ambo itaque venti sanitati aduersantur, & fluxionibus caput exponunt.

Boreæ, & Austri qualitas, & effectus ex Hippocrate.

Aer qualis euitandus.

Aer præterea non sit crassus, caliginosus, & humidus, non inclusus, ac suffocãs, vt sepè contingit, vbi frequens hominum turba versatur, atque congeritur, non sit denique fumo, vel mala infectus aura, siquidem diuinus senex Hippocrates, in libro de sacro morbo, scripsit aerem, qui inspiratur, cerebrum primò petere, & in eo vim suam relinquere.

Aer in omni sua dispositione corpora nostra exiccat, ex Auerroe Aeris boni qualitas, & effectus.

Animaduertendum est item quo ad fieri possit, ne in aere vndique ambiente, humanum corpus à nimio tam frigore, quàm calore lædatur, vt ait Galenus libro tertio Artis paruæ, textu vndecimo, licet ex Auerroe, secundo colliget, capite vltimo, aer in omni sua dispositione corpora nostra exiccet propter virtutem Solis, & stellarum; nihilominùs aer saluberrimus, temperatus est, vel huic saltem proximè accedens est eligendus, huiusmodi enim aer, vt potè qui serenus, purus, ac lucidus est, sanitatem affert, atque conseruat, sanguinem, ac spiritus clarificat, cor, & mentem exhilarat, operationes cunctas corroborat, ac senectutem remoratur, Galeno teste primo in libro de sanitate tuenda, capite vndecimo,

Senectutis retardatio, ex Aristotele.

Hac siquidem occasione intactus relinquendus non est Aristotelis locus, sectione decima quarta Problematum, septimo quidem problemate sic dicens. Cur qui loca edita, apertaque colunt, seriùs senescunt, qui autem caua, & palustria ociùs? An senectus quædam putredo est? putret autem quod quiescit, nullo modo, aut minùs ita afficitur, quod mouetur, vt aqua profluens, & conclusa: hec Aristoteles.

Verùm

Verùm si prædictæ conditionis aer naturaliter haberi non semper possit, tunc iuxtà proprias cuiuslibet facultates, loci, aut regionis facienda mutatio est, vel ingenio simul & arte corrigendus est aer, videlicet infrigidando cum frigidis, quando æstuat æther, vel moderatè calefaciendo cum calidis, vbique locorum frigus, & algor dominantur, itemque vrgente quomodocunque necessitate de cæteris respectiuè agendo; id autem fieri satis commodè poterit in ipsamet propria domo, quæ sit saltem lucida, et hyeme Solem recipiat, ac Septentrionem, vel Meridiem versus respiciat, iuxta Celsi mentem secundo in capite libri primi ita dicentis. Habitare verò ædificio lucido perflato, æstiuum, hibernumque Solem habente. sic Celsus. Qua item in domo quisquis vniuersaliter ita custodire se debet, vt fiat omninò tutus à temporũ iniurijs, alijsq; extrinsecis causis, quę sanitati, ac uitæ diuturnitati aduersari quoquomodo possint. Quandoquidem recta præcipuè aeris qualitas, dum consuetam naturæ temperiem non seruat, humana corpora vehementer alterat, ac morbis inopinanter subijcit, quemadmodùm optimè dixit Galenus primo in libro de morbis vulgaribus, sectione prima, commento primo, his quidem verbis. At aer nos ambiens, si immoderatiùs calefiat, refrigeretur, humescat, aut exiccetur, corporis contemperantiam, quæ sanitas est, confundit, conturbat, atque corrumpit.

Domus electio qualis, ex Celso.

Aeris inconstantia morbos inopinanter parit, ex Galeno.

De secunda Re non Naturali, quæ de Cibi, ac Potus Qualitate, & Quantitate, ac etiam de Antiquorum, & huius Seculi Prandio, & Cęna decernit.

NOTABILE OCTAVVM.

CVm inter cibum, & potum, connumerentur omnia, quæ naturali agente calore, in propriam nutrientis substan-

tiam

tiam sunt apta conuerti, videlicet in sanguinem, quo mediante corpus humanum restauratur, ac viuit, mirum propterea non est, si Galenus de alimentorum facultatibus libri primi initio, dixerit nullum sine alimentis, neque secunda, neque aduersa valetudine posse viuere; cuius quidem ratio satis euidens est, quia cùm quilibet viuentium quouis temporis momento, à Natiuitate vsque ad mortem, in continua, tum spirituum, tum humorum, tum solidarum etiam partium permutatione, ac resolutione reperiatur, ni altera eidem similis, pro deperdita restitueretur substantia, licet non ita perfecta, breuissimè ad interitum tenderet; Hinc igitur factum est, ut Spirituum substantia, ex humano corpore assiduè fluens, restituatur per aerem, in pulsatiua cordis uirtute, ac eò celeriùs unà cum gratis odoribus: Humorum uerò substantia, per potum reficiatur, ac per iucundum præcipuè uinum: Solidarum demum partium substantia, per bonum, & proportionatum cuique cibum reddatur. Quibus nimirùm de causis cùm primariò mediante aere uiuamus, ac secundariò subueniente cibo, & potu, in uita conseruemur, non immeritò Secunda Res non Naturalis, quæ de cibi, ac potus qualitate, & quantitate decernit, ut pote omninò necessaria ad uitæ conseruationem, secundum obtinuit locum: Attamen quia maior de uniuersalibus scientia, quàm de particularibus datur, idcircò uniuersaliter priùs, ac breuiter, de prædictis Sex Rebus non Naturalibus, posteà uerò particulariter, ac diffusè agendum decreui,

Humanum corpus ne citò destruatur, quid agendum.

Quamobrem inter uniuersum cibi genus, eligendus est semper bonus, qualis profectò est ille, qui facilè in uiuentium stomaco alteratur, ac benè concoquitur, probumque sanguinem gignit, ueluti sunt panis ex optimo tritico confectus, nec non mediocriter fermentatus, recens, albus, & æqualiter coctus; uinum quoque album, subdulce, ac leue; caro item hædina, uitulina recens nata, uel etiam cāpestris, & paruula, pro ut etiam ueruecina non uetusta, & eo modo capreolina, agnina uerò annualis, & omne iecur laudabile, paruæ similiter aues, ac montanæ, ueluti perdices, turtures, turdi, ficedulæ, utrique columbi, capones, gallinæ, & huiusmodi aues diligenti coquorum arte paratæ; sicut etiam oua præcipuè recentia, & sorbilia, uel tremula dicta, oriza, alica, caseus mollis, & recens, parumque salitus, poma dulcia, saccharum, passulæ, oliuæ, cucurbita, borrago, lupulus, & lactuca, quæ olera semper cocta lau-

Cibi boni qualitas in quo consistat.

laudantur; Inter pisces autem parui potiùs, quàm magni, & præcipuè squamosi, vel petrosi, alto in mari fluctibus agitati, veluti sunt Erythrinus, Aurata, Triglia, Sturio, cæterique friabilem carnem habentes.

Prædictum siquidem cibi genus, dummodò respectiuè, ac moderatè adhibeatur, temperatum, ac laudabilem procreat sanguinem, quemadmodùm Galenus etiam in libello de Succorum bonitate, ac vitio, capite quinto, his refert verbis. Optimum conciliatur alimentum corpori nostro ex ijs, quæ neque crassi, neque verò glutinosi succi sunt, vnde sanguis generetur mediocris, nam, qui tenuis valdè sit, vitiosus certè fuerit, quum enim exiguum ex hoc alimentum constet, imbecilla, ac macilenta fiunt corpora, quæ sic nutriuntur. Auicenna verò primo Canonis libro, fen tertia, doctrina secunda, capite septimo, de cibi qualitatibus humano corpori conferentibus agens, ita scripsit. Oportet autem, vt cibus sit talis, quales sunt carnes, & propriè carnes hædorum, & vitulorum lactentium paruorum, & agnorum annualium; & triticum ab extraneis rebus purgatum, quod ex messe sana fuerit collectum, cui nullum accidit nocumentum, & res dulcis conuenientis complexionis, & vinum bonum, odorem bonum habens, alia autem ab his non respiciat, nisi secundum modum fuerint medicationis, aut secundum præseruationem: Fructus tamen nutrienti magis similes sũt ficus, & vuæ valdè maturæ, dactyli in Regionibus, & Ciuitatibus, in quibus esse cõsueuerũt, veruntamen quum quis hæc comederit, si superfluitas indè prouenerit, ad ipsam festinet euacuandam. Sic Auicenna.

Alimenti perfecti conditiones.

Ex dictis Auicennæ verbis optimè patet, cibi quantumuis boni superfluitatem, posse quandoque nocere, pro vt etiam cognouit Aristoteles, secundo Ethycorum quinto, ad Eudemum, dum pro sanitatis tutela, quemlibet parcum debere esse in cibo, in laboribus autem potiùs excedere dixit, quam profectò sentẽtiam mutuatus est ab Hippocrate, sexto in libro de Morbis popularibus, sectione quarta, ità dicente. Exercitatio sanitatis est, vesci citra saturitatem, nõ refugere laborem. Cuius auream quidem sententiam experientia confirmat, quoniam quantitas alimenti superflua, licet optima, confici perfectè non potest, quin immò corpus grauat, indè verò somnolentum simul, & pigrum, ac siticulosum reddit, Quamobrem id etiã rectè cùm animaduertisset Plato, idcircò septima in epi-

Sanitatis documentum ex Aristotele.

Sanitatis cõseruandæ causa quæ nam sit ex Hipocrate.

I stola-

Vitæ regimen à Platone vituperatum, quale sit.

ſtola ad Dionem ſui familiariſſimum ſequenti modo ſcribere coactus eſt; Vitam illam quam beatam vocant, Italicarum Syracuſanatumque menſarum plenam; nullo modo probaui, bis videlicet in die ſaturum fieri, & nocte nunquam iacere ſolum, & cætera, quæ vitam huiuſmodi ſubſequuntur: nemo enim omniū qui ſub cælo ſunt, ſi huiuſmodi moribus ab adoleſcentia nutriatur, quamuis natura, & ingenio excellenti prædītus, nunquam tamen prudens euadet, temperatus eſſe certè curabit, eademque erit de cæteris virtutibus ratio: hæc Plato.

Ciborū perfecta cōcoctio ſanitati præ cæteris confert, ex Galeno.

Non autem prædictis Auctoribus obſtat Celſi doctrina, primo in capite, libri primi, quæ cibi normam, & quantitatem ſanis corporibus concedendam vniuerſaliter tradens, his demum verbis expreſſa notatur. Bis die potius, quàm ſemel cibum capere, & ſemper quàmplurimùm, dummodò hunc cōcoquat. Quoniam ibi cum conditione perfectæ ſemper concoctionis loquitur, quam item conditionem, præ cæteris laudat Galenus, dum in libello de Succorum bonitate, ac vitio, capite quinto, verſus dicti capitis finem, concludit nihil æquè ad ſucci bonitatem facere in cibis omnibus, quàm ſi probè in ventriculo concoquantur, vt qui ſecundam, & tertiam concoctionem faciliùs admittant.

Cibus, qui meliùs ſapit, meliùs nutrit, quomodo intelligendus iuxta Auicennam.

Hac item de re vulgatum Auicennæ dictum primo Canonis libro, fen tertia, doctrina ſecunda, capite ſeptimo, videlicet, cibus, qui meliùs ſapit, meliùs nutrit. Hoc inquam dictum, quia tam boni, quàm improbi ſucci cibum vniuerſaliter comprehendere videtur, vtrum tamen de vtroque intelligendum ſit, aliquam profectò difficultatem patitur, pro cuius dilucidatione.

Reſpondetur primo Auicennam, citato in loco, ita quidem ſe ſe declarare, dum dicit; Oportet præterea te ſcire, quòd nutriens melius eſt, quod meliùs ſapit, propterea quòd ſtomachus, & virtus retentiua vehementer ipſi applicantur, cum bonæ fuerit ſubſtantiæ, & fuerint omnia principalia membra ſecundum operationem, vel complexionem, ſibi ad inuicem conuenientia, & ſana, & iſta quidem eſt conditio, quod ſi complexiones ſanæ nō fuerint, & membra in ſuis complexionibus diuerſificentur, fueritque hepar à ſtomacho diuerſum, ſecundum diuerſitatem, quæ fit ſupra naturalem, non erit iſtud conſiderandum, hæc Auicenna; Ex cuius præcipuè verbis (nempè, cum bonæ fuerit ſubſtantiæ) percipitur eius dictum, de cibo

bo

bo bonæ ſubſtantiæ intelligendum principaliter eſſe, ſecundariò verò in hominibus tantùm inculpata ſanitate fruentibus, non autem in valetudinarijs, & ægrotantibus.

Reſpondetur ſecundo, dummodò cibus non ſit mali ſucci in totum, & in ea quantitate ſumatur, ità vt eius vitium ob violentum animi deſiderium, à natura corrigi, & probum in ſanguinem conuerti facilè poſſit, de hoc item eſſe intelligendam Auicennæ mentem, quoniam ſupra citato in loco, loquitur etiam in puncto, his nempè verbis. Regiones quoque naturas habent proprias, & vſus ſunt res extra rationem, & hoc quidem obſeruandum eſt. & oportet vt experimentum in hoc rationem vincat, eſt namque cibus, qui ſolet comedi, in quo aliquod exiſtit nocumentum, & eſt conuenientior bono non vſitato; ſic Auicenna; Huiuſmodi quoque cibum, veluti etiam prædictum, & ſanis corporibus, & ægrotantibus, pluribus item in locis conceſſit Hippocrates, quoniam cum conditione, ac reſpectiuè vtriſq; gratificari, eorumque appetitui deperdito præcipuè ſubuenire ſtuduit, atque proſpexit; nam ſectione Aphoriſmorum ſecunda, Aphoriſmo trigeſimo octauo ſic ait. Paulò deterior potus, & cibus, ſuauior tamen, melioribus quidem, ſed minùs ſuauibus, magis eſt eligendus; nec non item in libro de Affectionibus, textu quadrageſimo ſecundo. Quoſcunque cibos, aut obſonia, aut potus ægroti concupiſcunt, exhibeto, ſi non corpori damnum indè acceſſurum eſt; pro vt etiam libro ſexto de Morbis popularibus, ſectione quarta, ſic repetit. Aegrotantibus gratificationes, velut eſt purè parare potus, ac cibos, & ea, quæ videt, moliter ea, quæ non magnopere lædunt, aut facilè reparari poſſunt, velut frigida, vbi hac opus eſt; hæc Hippocrates. Quibus item conditionibus prædictis intelligendus eſt Celſi locus, primo in capite, libri primi, his nempe verbis expreſſus. Nullum cibi genus fuggere, quo populus vtatur.

Conſuetudo, vel vſus, ſũt res extra rationẽ, ex Auicenna.

Cibi omnes ad libitum ægrotantibus nõ concedi poſſint, & quomodo ex Hippocrate.

Reſpondetur tertio, dum cibus eſt ita mali ſucci, vt perniciofum omninò ſanguinem gignat, de hoc nullo modo eſſe intelligendum eius vſum, licet non deſinit aliqui perfectè ſani, qui huiuſmodi quoque cibum, ob guſtus voluptatem, ſine incommodo tamen immediatè manifeſto, rectè conficiant; attamen Auicenna primo Canonis libro, fen tertia, doctrina ſecunda, capite ſeptimo, de improbo ciborum vſu, ſic loquitur; Ille verò, in quo mala digeruntur nutrimenta, ob hoc non de-

Cibi praui effectus, & Auicennæ.

cipiatur, quoniam post dies, in ipso mali generabuntur humores, ægritudines facientes, & pernecantes, hæc Auicenna.

Cibi mali succi quales.

Cibi verò mali succi sunt, qui vitiosum, ac prauum humano corpori sanguinẽ subministrant, quẽmadmodũ sunt legumina ferè omnia, nec non oleræ quasi omnia, magis verò cruda cõmesa, omnia itẽ nimis acria, vel acerba, seu acuta, sicuti cuminum, sinapi, & huiusmodi, his item accedunt panicum, caseus vetus, milium, acetum, cucumis, allium, ascaloniæ, cæpæ, porri, rapæ, napi, fũgi, raphanus vterq; cibiq; similes; Inter aues, Grues Cygni, Struthiocameli, Anates, Qualeæ, Anseres, Pauones, Ciconiæ, & id auium genus; Inter carnes, Capræ, Cerui, Damæ, Arietes, Hirci, Leones; Asini, Cameli, Vrsi, Equi, Lupi, Vipes, Mures, Feles, hisq; similes, de quibus Ioannes Bruyerinus in libris de Re Cibaria inscriptis, & Francofurti impressis luculenter agit, præcipuè verò 13. nec nõ 15. in libro, vbi hac de re curiosis abundè satisfacit; Omniũ pariter animaliũ carnes valdè maceræ, vel admodũ salitæ, ac eò magis antiquæ; Inter pisces, Anguillæ, Capitones, Ranæ, Tincæ, omnesq; cœnosis, ac sordidis in aquis, paludibusq; morantes. Qui igitur extraneo, sed volũtariò ad libitũ gustu ducti, prædictis, vescũtur cibis, improbo, ac vitioso succo notatis, licet eosdẽ facilè cõcoquãt, nec valdè manifestã ab ipsis læsionẽ recipiãt, clam tamẽ, ac sensim diuturno vitæ cursu, prauos, ac perniciosos in venis cumulant succos, à quibus multiplices in dies morbi periculoso vitæ procreantur euentu, sicut etiam ab Auicenna vltimo in loco citato, dictum est satis; Naturalis enim calor improbam ciborũ qualitatem sibi assimilare quærens, in bonum vtiq; sanguinem conuertere minimè potest, quandoquidem qualis natura cibus est, vt plurimũ tale nostris corporibus alimentũ retribuit, siquidẽ iuxta philosophicum axioma, quod natura tale est, tale semper erit.

Hac similiter occasione satis pulchram, & notatu dignam Galeni historiam huc transferre, nec non vtpotè publicæ vtilitati maximè profuturam iudicaui; Galenus inquã, in libello de Succorum bonitate, ac vitio, capite primo sic narrat; Quãtum sit in mali succi cibis virium, ad procreandos morbos, facilè non omninò mente captis declarauit fames, quæ per plures Romano Imperio subditas gentes, sæuijt multis deinceps annis continuè, cum enim Ciues pro more suo (quo æstate quàm primùm solent frumenti, quod satis sit in reliquum anni tempus parare) quicquid in agris tritici fuerat, abstulissent, vnà cum hordeis, fabisque, ac lentibus, reliquos agrestibus le-

cere cereales fructus, id est legumina, simul etiam nō sanè paucis ex his in Vrbem exportatis; consumptis itaque hyeme ijs, quæ facta reliqua fuerant, agrestes necessariò vere toto succi praui alimentis vescebantur, adhibitis ad cibi vsum, arborum, fruticunque germinibus, ac turionibus; bulbisque, & stirpium succo malo præditarum radicibus, pleraque præterea agrestia, quæ vocant olera, pro vt cuique horum se copia suggerebat, abundè ad saturitatem vsque ingurgitātes, simul herbas virentes totas edebant elixas, quas anteà nunquam, ne periculi quidem faciundi gratia degustassent, itaque videre erat ex ijs quosdam desinente vere, plerosque certè omnes ineunte æstate visceribus in cute quamplurimùm correptos, quorum non vnica esset in ōnibus facies, siquidem erysipelas alia, phlegmonem alia referebant, atque alia herpetem, sicuti impetiginem alia, & psoram, & lepram alia, atque hæc quidem fuere ea, quæ per cutim efflorescentia placidissimè vitiosum succum è visceribus, profundoque corporis euacuarent. Alijs verò quibusdam carbunculi, & phagedenæ specie quum apparuissent cū febri, plurimos interfecere, paucissimis ægrè post multum temporis seruatis; at sine cutaneis affectibus febres plurimæ viguere, quas ipsas tum alui recrementa sequebantur graueolentia, & mordacia, intestinorumque difficultates, & tenasmos postremò afferentia, tum acres vrinas, atque eas grauiter olentes, quæ quorundam vesicam exulcerarunt; iam nonnulli dijudicati sudoribus sunt, ijsq; ipsis malè olentibus, abscessibusq; putredinosis; quibus nil horum accidit, interiere omnes, aut cùm manifesta visceris vnius alicuius phlegmone, aut ob vehementem, & malignam febrem; hæc profectò Galenus experientia vidit.

Quamobrē diuturnæ sanitatis cupidi, ex prædicta historia; tum salubrem ciborum non multiplicium qualitatem, tum etiam mediocrem quātitatem, & eo breuiorem in cœna, catharro, vel capitis destillatione vexati, sibimet ipsis eligere discant, & studeant, ne aduersæ valetudinis impetum experiri cogantur. *Cœna breuis quibus conpeniat.*

Notandū tamen est, quamuis boni succi cibi in rerum natura nō desinit, nihilominus, quia diuersis quandoque de causis posse illis vesci non omnibus præcipuè datur, vniuersalem idcircò modum necessariò docendū existimaui, quo quisquis propriæ salutis tutelæ prospicere tutò possit: modus autem in scientia, & arte consistit, attemperando nimirùm calida fri-

gidis,& frigida calidis, humida ficcis; & ficca humidis, verbi gratia, fi cibi fint nimis frigidi, aromatibus mediocriter corrigantur,fi valdè humidi,comedantur affi, fi vltra modum ficci, fiant elixi, fi aliquantulum flatuon, condimentis flatum difcutientibus emendentur,veluti funt anifum, cuminum,fœniculum, coriandrum, cynnamomum, caryophylli, & huiufmodi; fi autem cibi fint admodum craffi, vel ftyptici, & obftruentes, tunc acidis, & acutis attenuentur, & incidantur faporibus;fi mirum in modum faliti,infipidis mifceantur obfonijs: fi maximè dulces, acribus, vel amaris tēperentur liquoribus,quæcunque demùm cruda cibaria nocent,cocta fumantur, & fic de cæteris gulæ condimentis,& ad tuendam fanitatem fpectantibus: Vnufquifque præterea fuam diligenter naturam obferuet,quibus nam cibis aliquando repugnet,& quibus item libenter adhæreat,ad hoc,vt in pofterùm vtiles experientia probatos perfeueret ad libitum; nam, vt ait Auicenna primo Canonis libro, fen tertia, doctrina fecunda, capite feptimo, Vnaquæque præterea figura, & complexio hominis, cibum habet conuenientem, & confimilem, ad quem mutandum fi voluntas ei affuerit, nocumentum ei faciet,& impedimentum: ex hominibus quoque eft, cui aliquod nutrientium bonorum, & laudabilium nocet, ipfum ergò relinquere eft ei conueniens, hæc Auicenna.

Cibum cuilibet complexioni conuenientem, & confimilem permutare non expedit, ex Auicenna.

Notandum eft item, circa victus inftitutionem, non parum ætatis habendam effe rationem,etenim non eadem fenibus cibi, & potus qualitas, & quantitas, quæ iuuenibus, vel adolefcentibus, non longè à pubertate, pro vt etiam pueris, & infantibus profectò concedenda videtur: fenibus enim,& præcipuè decrepitis, vt pote natura frigidis,& ficcis,cibi,potufque calefacientes, & humectantes, parcè tamen fumpti mirificè conferunt, ob caloris naturalis paupertatem; his autem propinqui, videlicet crudi fenes, ita fanè dicti, tanquam à decrepitis non longè remoti, eodem victu,paulò tamen vberiùs vti prudenter poterunt: veruntamen ex his omnes non eodem modo, fed iuxtà malam,vel bonam complexionem, tam naturaliter,quàm accidentaliter exiftentem,& ob incertos naturæ limites, ocyùs, aut feriùs,& fenes,& decrepti fiunt;Iuuenibus autem,& non longè à pubertate adolefcentibus, vt plurimùm natura calidis, & ficcis exftentibus, refrigerantes, & humectantes cibi, ac potus, maximè conducunt, & bona

Senibus decrepitis,& his propinquis, quæ victus qualitas & quantitas conueniat.

Iuuenibus, & adolefcentibus quæ victus qualitas, & quantitas cō̄cedenda,Pueris,& infantibus, quæ victus qualitas & quantitas conferat.

etiam

etiam in quantitate, & qualitate ob calorem naturalem, cæteris prædictis fortiorem; Attamen pueris, quia calida, & humida constant natura, & ob natiui caloris copiam, sæpè sæpiùs alimentum calidum, & humidũ similiter offerre necesse est, quemadmodùm in infantibus præcipuè lactentibus patet; Nam ex Hippocratis doctrina, primo Aphorismorum libro, Aphorismo decimo quarto; Qui crescunt, plurimum innatum calidum habent, plurimo igitur egent alimento, alioqui corpus absumitur: senibus verò paucum est calidum, proptereà igitur paucis fomitibus egent, a plurimis enim extinguuntur, ita Hippocrates. Ex quo notum est, pueros nutrimẽto persæpè indigere, in virtute calidi tantum innati, licet id quoque tam ætatis mutatione, quàm humidum etiam alimentale, loco humidi radicalis proprij substitutum, in deterius paulatim corruat, vsque ad siccitatem, ac frigiditatem perfectè introductam, ac demùm ad mortem: quiuis enim calore viuit, humido nutritur, ac tandem frigore moritur.

Porrò temporum quatuor anni constitutiones, pro recto victus regimine, magna consideratione sunt dignæ, quandoquidem alia hyeme cibi, & potus quantitas, alia vere, alia æstate, vel autumno sumenda videtur, iuxtà Polybi, sub nomine Hippocratis, mentem, initio libri de Salubri diæta, sequenti modo descriptã; Hyeme quidem comedere quamplurima, bibere autem quàm parcissimè, sit potus vinum quàm meracissimum, cibi, panis, & obsonia, assata omnia, oleribus quàm paucissimis hoc tempore vtendum est, sic enim corpus maximè siccum, ac calidum reddetur. Vbi verò ver apprehenderit, tunc sanè potum ampliorem assumere oportet, vinum dilutius, & paulatim, cibis quoque mollioribus: ac paucioribus vtendum est: at verò æstate, maza molli nutriatur, & potu aquoso, ac multo, obsonijs omnibus coctis; in autumno verò rursus cibi plures exhibendi sunt, & sicciores, & obsonia iuxtà eandem rationem, potus verò pauciores, & meraciores. hæc Polybus. Verùm Hippocrates hac de re primo Aphorismorum libro, decimo quinto Aphorismo sic loquitur; Ventres hyeme, ac vere calidissimi natura, & somni longissimi, in hisce igitur temporibus alimenta plura sunt offerenda, si quidem plùs natiui caloris habent, quo fit vt copiosiore alimento egeant; Argumento sunt ætates, & Athletæ, sic Hippocrates, qui licet non meminerit æstatis, & autumni, ostendere tamen voluit viuentibus omnibus per antiperistasim summæ frigidita-

Victus regimen iuxta quatuor anni tempora ex Polybo.

tis hyemis, calidum innatū quouis alio tempore fortius inesse, ideoque copiosius etiam alimentum esse concedendum, sed vere non item, ob remissum hyemis frigus, & eò minus æstiuo tempore, ob excedentem aeris calorem, innatum calidum debilitantem, ac præcipuè ventriculi munus impedientem; autumno demum cibum æstiuo tempore copiosiorem exhibendum, non autem pro vt vere, ob idem calidum innatum, a præcedente æstatis calore debile adhuc existens.

Quamobrem ac de re magis vniuersaliter agens idem Hippocrates in primo Aphorismorū libro, decimo octauo Aphorismo, sic ait, æstate, & autumno, cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè, vere, secundo loco, hæc Hippocrates. Schola verò Salernitana capite decimo nono, breuiter, ac eleganter etiam complectitur salubre totius anni regimen, quatuor in versiculis contentum, videlicet.

Temporibus Veris, modicum prandere iuberis.
Sed calor Æstatis, dapibus nocet immoderatis.
Autumni fructus caueas, ne sint tibi luctus.
De mensa sume, quantum vis tempore brumæ.

De Antiquorum, & huius Seculi Prandio, & Cœna.

Ab omni æternitate verissimum fuit, quendam ordinem in cibo, ac potu, esse vniuersaliter assignandum, ad sanitatem diuturnam quauis in ætate conseruandam, quemadmodùm ab Antiquis tum Romanis, tum Græcis etiam nationibus, vtpotè magis exemplaribus, modo tamen, ac ordine aliquantulum à præsenti seculo diuerso factum, & obseruatum id esse notissimum est; Etenim plerique Antiquorum diuersis negotijs, & occupationibus detenti, mane quidem minimum cibi capiebant, quem vtique cibum, loco prandij sufficientem iudicabāt, vespere autem balneum ingrediebantur, & post ipsum in lectum introibant, ibique discumbentes, vel proprijs cubitis inhærentes, copiosè satis, ac liberaliter vescebantur, hunc autem edendi modum, & ordinem, cœnam nuncupare consueuerunt; verùm ijs, qui venereis voluptatibus fuissent eadem nocte fruituri, largè tantummodò prandere, parcè verò cœ-

Prandij, & cœnæ modus apud Antiquos.

Prandio copioso cœna verò parca qui n. ad vteretur ueti gari.

cœnare præscribebatur à Medicis; quod item Aristoteles, problemate trigesimo secundo, sectionis tertiæ manifestè confirmat.

Porrò balnei quoque vsus ante cœnam, fuit apud Antiquos valdè familiaris, & frequens, quod item balneum, non solum publicè, sed maioris voluptatis, ac vtilitatis gratia, propria in domo priuatim, et accuratè paratum reperiebatur, Galeno teste, libro sexto de sanitate tuenda, capite septimo, quem vtique morem Galenus met ipse secutus est, pro vt præcitato in loco sic propriè narrat. Ergo quod ipse facere assueni diebus ijs, quibus propter vel infirmos visitandos, vel ciuilia negocia, putaui me seriùs ad balneum accessurum, id dicere non grauabor; Ponatur dies, quo id fit, tredecim horas æquinoctiales longus, in decimam verò corporis curandi spem esse; hoc casu visum mihi est. circa quartam horam simplicissimum sumendum esse nutrimentum, quod vtique solus est panis, atque ipse quidem ita feci, quibusdam verò pane solo vesci sine obsonio non placet, sed eum cum palmulis, oliuis, melle, aut sale sumunt, sunt etiam, qui post eum bibunt, ego verò nec à tali cibo vnquam bibo, & solum panem comedo, ita Galenus.

Balnei vsus apud Antiquos frequētissimus fuit, ex Galeno

Sed quo ad Antiquorum cœnacula, Marcus ille Crassus Romanorum omnium ditissimus, in publicis conuiuijs magnifico semper apparatu epulabatur, sed splendidissimo quidem, hæc proferens verba, nimirum, (Cœnabimus in Appolline) ita vt Cæsaris, Magnique Pompeij, aut Heliogabali fastum, & luxum, nulla memoria sibi æquiparari posse, indubitatum sit; Non ita fuere profectò Græcorum cœnacula, de quibus Athenæus in Dipnosophistarum libris, varia eruditione conscriptis, conuenienter agit, longè item differens à prædictis, triclinium fuit, quod erat veluti conclaue, in quo pręcipuè Scopas, fortunatus, ac nobilis vir, frequenter epulabatur, ac in eodem pariter Antiqui discumbere, atque cœnare solebant, à tribus enim lectis, quos in eo sternebant, proprium recepit nomen, ideòque vt ait Vitruuius libro quarto, in triclinijs, cæterisque conclanibus, maximus est vsus luminum, vndè Horatius libro primo Sermonum, Satyra quarta,

Marci Crassi cœnaculum.

Triclinium, quale apud Antiquos, & ad quid instructū.

Sæpè tribus lectis videas cœnare quaternos.

& libro tertio carminum iuxtà nocturnum epulandi morem, sic ad Mæcenatem cecinit.

Sume Mæcenas cyathos amici

K Sos-

Sospitis centum, & vigiles lucernas
Perfer in lucem; procul omnis esto
Clamor, & ira.

Virgilius item circa primi Aeneidos finem, antiquum cœnandi morem ita describit.

Cœna Antiquorum descriptio ex Virgilio.

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ.
Crateras magnos statuunt, & vina coronant.
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.

Cœnæ vsus, cur magis prandio fuerint ab Antiquis celebratus.

Cur autem Antiqui non ita solemniter prandium, sicuti cœnam celebrarent, vnus Mercurialis inter Foroliuienses, maximus verè sapiens, in fine vndecimi capitis libri primi Artis Gymnasticæ, rationem reddit his demum verbis. Quod porrò vespertinam horam cœnæ dedicarint, in causa fuisse præcipuè vitæ commoditatem existimo, siquidem difficilè fuisset post exercitationes, balnea, & cibum, agendis rebus operam nauare, præterea cùm accumbentes cœnarent, alij statim somno capiebantur, alij modico temporis spatio vigilantes, dormitum ibant; ex quo hæc omnia, nulla opportunior hora, quam vespertina inueniebatur, quanquam etiam nonnullos, & præsertim Medicos, in hoc, valetudinis quoque rationem spectasse opinor, quando in nocte meliùs, quàm interdiù, cibi conficiuntur, tuncque perspicuum est plùs edendum, quando plùs coquitur, hæc Mercurialis.

prandij, & cœnæ regimen, hoc in seculo viueat.bus vtile.

Quod ad huius autem seculi prandium, ac cœnam, hortor vehementer, vt homines, qui firma sanitate fruuntur, diùque incolumes in eadem persistere volunt, manè dum surgunt à nocturno somno probè confecto, iuxtà proprias vires exercitio fungantur, consueta deindè prandij, ac cœnæ hora vesci non desinant, habita semper ratione tum ætatis, & complexionis, tum propriæ consuetudinis, tum denique qualitatis, & quantitatis cibi, & potus, plùs, aut minùs adhibendi, sed circa potum seruandus est ordo Salernitani versiculi dicentis.

Inter prandendum, sit sæpè, parumque bibendum.

Reperiuntur enim quidam, qui solùm à prandio, & cœna, more belluarum bibunt, quorum profectò vituperandus est vsus, quin immò tam in prandio, quàm in cœna, modò cibus, modò potus temperatè frigidus, plus, minùsue, sunt ad inuicem moderatè permiscendi, nec ob frigidi potus voluptatem

sæ-

ſæpiùs eſt conuenienti neceſſitate bibendum, nec item ob timorem, potandum eſt parciùs, quàm par ſit, quoniam vtroque modo natura in concoctione laborat.

Recordentur prætereà ſemper à menſa cum fame diſcedere, pro vt docet Auicenna primo Canonis libro, ſen tertia, doctrina ſecunda, capite ſeptimo, his verbis. Ex cibo etiam nullus ita eſt replendus, vt non ſit ibi locus ſuperfluus, ſed ab eo eſt remouendus reliquijs deſiderij in anima remanentibus, hæ enim famis reliquiæ poſt horam vnam deſtruuntur, & in hoc vſus eſt conſeruandus, quoniam deterior comeſtio eſt, quæ ſtomachi facit grauitatem, & deterior vini quantitas. hæc Auicenna, qui vini quantitatem ſtomacho deteriorem ipſo met cibo eſſe, ſapienter dixit, ſicut ante ipſum rectè cognouit Hippocrates quinto Aphoriſmorum libro, & quinto etiam Aphoriſmo, his quidem verbis. Si ebrius quiſpiam repentè obmutuerit, conuulſus moritur, niſi febre corripiatur, vel ad horam perueniens in qua crapulæ ſoluuntur, vocem recuperet.

Stomachi grauitas, & moleſtia, ex vini copia genita, deterior eſt, quã ſi ex cibo ſuperfluo fieret, ex Auicenna.

Caueant etiam ne priore non dum confecto cibo, iterùm epulentur, alioquin indigeſtionibus, & cruditatibus locum dabunt, quæ breui temporis proceſſu diuerſos parient morbos, nec ad optatam ſenectutem peruenient Galeno teſte in libello de ſuccorum bonitate, & vitio, capite decimo quarto, his verbis. Maximè autem ad ſucci mali, morborumque generationem facit cruditas aſſidua, ſiue ea boni, ſiue mali ſucci cibos ſequatur, liquet tamen deteriorem eſſe in mali ſucci cibis, qui cum bipartiti ſint; in ijs, qui ſuccum gignunt tenuem, morbi fiunt acuti, cum malignis vnà febribus, ſique in partem vnam aliquando decumbat ſuccus malus, tum eryſipelata, tum herpetes, & ſi quis alius prætereà eſt calidus ita affectus; in ijs verò, qui craſſum ſuccum creant, articulares morbi, podagræ, nephritides, aſthmata, lienisque, ac iecoris ſcirrhoſi affectus; at quorum ſuccus malus malencholicus fuerit, cancri his, & lepræ, & pſoræ, & quartanæ febres, & melancholiæ, & decolorationes accidunt nigræ, cum lienis vnà tumore non diſſimili, quin & nigras pleriſque varices, & hæmorrhoides attulit huiuſmodi ſuccus, ita Galenus.

Cibi tam boni, quàm praui ſucci cruditas quos pariat morbos, ex Galeno.

Ad euitandos igitur tot impendentes morbos à Galeno deſcriptos, comedendum eſt naturali tantummodò ſtimulante, ac vrgente fame, quæ vt plurimùm octo, vel nouem horarum interuallo, & aliquando citiùs in complexionibus reſpectiuè

Prandij, & cœnæ hora neceſſaria.

K 2 for-

fortioribus redire naturaliter non obliuiſcitur, nec pro ſanitatis tutela eſt aliter agendum, ſiquidem Auicenna præcitato in loco, rem ſequenti videlicet modo definit; neque omnes, qui ſanitatem cuſtodire volunt, aliquid comedant, niſi deſiderium fuerit certum, & ſtomachus,& ſuperiora inteſtina à primo nutriente euacuata fuerint; hæc Auicenna.

Si qui etiam quotidie ſemel, aut bis, cibum aſſumendi conſuetudinem retinuerint, ab eodem nullo modo recedant, quoniam conſuetudo eſt tanquam altera natura, parum, vel nihil offendens, nam vt ait Auerroes primo Phyſicorum, commento ſexageſimo, qui conſueti ſunt comedere venenum, illud eis eſt, vti cibus. Hippocrates item primo de ratione victus in acutis, textu vigeſimo, ſic loquitur, Qui bis die cibari conſueuerunt, bis ptiſanam dare oportet, qui ſemel, ſemel quidem primo die detur, deinde ſenſim, paulatimque ſi fieri poteſt, bis quoque detur, ſi quid putes adijciendum;& ſecundo Aphoriſmorum libro, quadrageſimo nono Aphoriſmo. Quotidianis laboribus aſſueti, etiam ſi inualidi ſint, aut ſenes, inſuetis quamuis robuſtis,& iuuenibus, faciliùs conſueta ferunt exercitia; pro vt etiam quinquageſimo Aphoriſmo eiuſdem libri. Quæ multo tempore conſueta ſunt, quamuis peiora non aſſuetis, minùs moleſtare ſolent. Et primo Aphoriſmorum libro, decimo ſeptimo Aphoriſmo; & quibus ſemel, aut bis, aut plùs, aut minùs, & per partes, dandum autem eſt aliquid tempori, ætati, & conſuetudini, hæc Hippocrates, à quo nihil diſſentit Galenus libro Methodi octauo, capite ſecundo, ita ſcribens. Sed & qui bis die comedere conſueuerunt, ij ſi non prandent, ægrotant, tum imbecilli, & infirmi fiunt, ac timidi ad quoduis opus; prætereà cordis dolorem ſentiunt, ſiquidem ſuſpenſa illis viſcera videntur, & calidum, pallidumque mingunt, & deiectio vritur, ſunt prætereà quibus os ventris amaricat, oculi cauantur, tempora palpitant, & extremæ partes frigent, hæc de conſuetudine Galenus, qui etiam nono Methodi, capite decimo ſexto, dixit in remediorum inuentione ad profligandos morbos, vel in ſanitatis quoque conſeruatione, non minimum à conſuetudine deſumi.

Conſuetudinis effectus, ex Auerroe.

Conſuetudinis vis, ex Galeno.

Quamobrem ex prædictis auctoribus grauiſſimis, iuxtà cuiuſuis naturæ conditionem, & vſum, vel exercitium diù introductum, conſuetudini quidem eſt condonandum, nam quotidiana experientia perſæpè confirmat quoſdam ſemel, aut bis,

Conſuetudinis exempla.

quoſ-

quosdam verò terque, quaterque singulis diebus ad libitum diuersa ciborum genera comedere, videlicet fructus, & præcipuè bellaria multiplicia, tanquam gulæ irritamenta, sicut etiam sallamenta, caseum, lac, olera, legumina, vel cuiuslibet generis carnes, ac pisces quouis modo conditos, nonnullos item ad multam noctem, vigilare, nonnullos diuersa hora necessariò surgere, in excubijs præsertim agendis, aliquos dormire interdiù, alios venereis voluptatibus, alios Bacco vehementer incumbere, multos denique quoquomodo vitam ducere, qui omnes nihilominùs bene se habere fatetur. Introducta igitur in ijs consuetudo ad ita viuendum, causam potissimam habet, nec mirum est item, si vt ait Philosophus vigesimæ nonæ sectionis problematum initio. Cur aliqui ægrotent, vbi vitam luxuriosam viuere assueti, agere luxuriosè cessarunt? vt Dionysius tyrannus, quòd in Vrbis suæ obsidione aliquantulum temporis à potu solito destitit, tabe protinùs interea laborauit. An consuetudo res magna cuique sit? iam enim in naturæ habitum fermè absoluitur. hæc Philosophus. Quandoque igitur intemperantes intemperantia iuuat ratione consuetudinis, & meritò etiam Rabbi Moises in libro de sanitate, magnam nempè radicem in sanitatis conseruatione, & ægritudinum curatione, dixit esse consuetudinem; cuius profectò vim licet optimè calleret Aristoteles, nihilominùs contigit, vt innocenter, ac inuitus, ex hac vita migraret, quemadmodum narrat Galenus in libello de consuetudinibus, capite primo his verbis. Aristoteles igitur Mitylenæus, vir in speculatione peripatetica primatum tenens, dum in morbum quendam incidisset, qui à frigidæ sanè potione iuuari poterat, quia talem potum nunquam ingessisset, Medicis eum bibere consulentibus, repugnabat, manifestò se scire affirmans, se, frigida gustata, spasmo correptum iri, nam, & hoc ipsum asserebat se vidisse in alio, qui sibi, & corporis habitu, & temperamento erat similis, calidæque potioni erat assuetus, quòd si tali potui sicuti nonnulli assueuisset, maximè quidem, nec ipse illius oblationem timuisset, tandem, tunc Medicis eum omninò compellentibus, frigidam potauit, ac ille quidem ita obijt, vt audiui, sic profectò Galenus de Aristotelis morte, & causa refert.

Consuetudinis exemplum, ex Aristotele.

Aristotelis mortis causa, ex Galeno.

Si quando tamen contingeret, vt aliqnis ex prædictis, ob cibi, vel potus quantitatem plùs iusto sumptam, vehementer sto-

ſtomacho grauaretur, illicò ſibi vomitum leuiter prouocet, ſi ad illum pronus, ac promptus naturaliter erit, vel ſaltem prandium, aut cœnam ſubſequentem ieiunus tranſeat. Si pariter quiſpiã bis die rectè digerere non poterit quantum cibi, ac potus conuenienter ſaluti ſuæ ſufficeret, ac poſtmodùm eiuſdem cibi, ac potus quantitatem, ſe nihilominùs debilitari cognouerit, eò quòd ſi ſufficiens non ſit, licet diminutum ſic cibum, & potum benè concoquat, tunc demùm prædictam victus menſuram, quâ bis die veſcebatur, tripartiri iterùm debet, eandemq; nimirùm ter, ſingulis quoque diebus comedere, nam id itẽ cõfirmat Auicenna primo Canonis libro, fen tertia, doctrina ſecunda, capite ſeptimo, his quidem verbis. Ampliùs, qui, quantum ei ſufficit, digerere non poteſt, comedendi numerum multiplicet, & quantitatem minuat, ſic Auicenna, cuius inquam regimine ſalubrem digeſtionis effectũ experietur, dummodò cibum dentibus priùs rectè confecerit; hæc enim præparatio neceſſariò requiritur ad concoctionem in ventriculo celebrandam, quoniam cibus imperfectè attritus in ore, perfectam ſemper digeſtionem impedit, atque retardat, præſertim verò in ijs, dentibus quouis modo vexatis.

Cibum in prandio, & cœnæ rectè non digerentibus, regiminis modus, ex Auicenna.

Cibus dentibus malè attritus, perfectam in ventriculo digeſtionem impedit.

Nimia quoque ciborum diuerſitas in prandio, & cœna ſemper eſt euitanda, quoniam ob multiplicem eorum ſubſtantiæ qualitatem, quandoque inter ſe repugnantem, raró contingit quin difficulter in ventriculo concoctionem admittat, ideòque mirum non eſt, ſi Philoſophus quidam interrogatus, cur pauco, & ſimplici cibo in prandio, & cœna contentus eſſet? Ne perſæpè cogar Medico indigere, reſpondit. Qua item de cauſa Cicero in dialogo de ſenectute, ſcripſit, tantum cibi, & potionis adhibendum, vt reficiantur vires, non opprimantur: ſiquidem vt ait Hippocrates ſecundo Aphoriſmorum libro, decimo ſeptimo Aphoriſmo. vbi cibus præter naturam ingeingeſtus eſt, hìc morbum facit; Et ex Diuo Paulo, plures occidit gula, quàm gladius; Cibi demum, ac potus, moderatus ſit vſus, nam ſicut nimia repletio ſanitati aduerſatur, nimia pariter abſtinentia non prodeſt.

Ciborum nimis diuerſitas in prandio, & cœna, ſanitati obeſt.

Attamen circa prandium, & cœnam, vtrum ſcilicet noſtra ætate viuentes Antiquorum cœnandi morem prandio copioſiorem imitari debeant, eò quòd Galenus illum quoque fuerit ſecutus, quemadmodùm ſexto in libro de ſanitate tuenda, capite ſeptimo ſuperiùs item citato, de ſe met ipſo diligenter nar-

Prandij, & cœnę Antiquorum vſus, ac modus, an hiſce temporibus viuentibus conuenire videatur.

narrat, de quo quidem coenandi more sexto etiam in libro de dissolutione continua Galenus idem, siue alius Auctor sub eius nomine, circa primi capitis finem, sic reddit rationem. Et propter hoc est quòd Antiqui præferebant coenam prandio, præcipiẽtes quòd sumerent plùs in cœna, propter aggregationem caloris in interiora corporis, frigiditate noctis, & somnũ, quia caliditas in somno reuocatur, & calefacit interiùs corpus, & infrigidat extrinsecùs, sed in vigilia accidit contrarium huiusmodi, quia calor extenditur in exteriora corporis, & debilitatur in interioribus; ita Galenus, siue alius Auctor sub eius nomine.

Quo ad prædictum quæsitum, quia distintione aliquantulum indiget, ob diuersas viuentium naturas; liceat idcirco mihi, vt ita dicam, viuentes omnes in triplici sanitatis gradu respectiuè diuidere. Primo vtique in gradu sanitatis constituti, tanquam optima corporis constitutione præditi, ac perfectiori valetudine cæteris alijs muniti, ad libitum quidem vitam ducere volunt, & possunt; His igitur tam cœna, quàm prandium, vtrumque copiosum, nec non item cœna prandio copiosior meritò negari non potest, vnà cum quouis genere vini ad libitum quoque diluti, præsertim verò hyeme, ac vere dominantibus, ex Hippocratis, & Galeni rationibus paulò ante deductis, non tamen ijsdem conceditur supra modum, vel vsque ad miraculum esse comedendum, atque bibendum, quoniam omne nimium naturæ inimicum ex Hippocrate tertio Aphorismorum, quinquagesimo primo; Veruntamen hac de re, si rectè perpendatur Celsi locus, primo in capite libri primi, hisce verbis notatus, nempè. Sanus homo, qui, & bene valet, ac suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque Medico; sicut etiàm paulò inferiùs, dum subdit. Bis die potiùs, quã semel cibũ capere, & semper quàm plurimùm dummodò hùc cõcoquat. Celsus profectò amplissimam, atque spontaneam viuendi licentiam quibuscunque concedit optima tantùm, & omninò inculpata sanitate fruentibus, verùm enimverò, qui ita se se habent, caueant etiam, ne Medico in posterùm egeant, propterea quòd eo in statu incolumes, diù permanere non possunt, pro vt septem, ac viginti annorum spatio medicum agens, non raró sum expertus.

Cœna prandio copiosior iuxta Antiquorum morē, quibus conueniat

Secundus his proximus eorum est gradus, qui non mediocrem valetudinem, quin immò satis laudabilem corporis ha- bi-

bitum retinent: his tamen non vti prædictis, prandium, ac cœna conuenire videtur, nec minùs velut ijs, qui tertio in gradu sanitatis collocantur, de quibus etiam paulò post agetur, sed moderatum victus regimen, vtpotè in prandio, & cœna maximè conferens, indubitanter est concedendum, iuxtà sequentes versiculos, ita etiam confirmantes, nimirùm.

Est modus in rebus, certi sunt denique fines.

Quos vltrà, citràque nequit consistere rectum.

Cœna parca quibus conueniat.

Tertium veluti debiliorem in sanitatis latitudine gradum sequuntur ij, qui ob caloris naturalis paupertatem, vel sunt raræ texturæ, ac tenuis valetudinis tanquam proximè decidentis, vel complexionis interdum valetudinariæ, vel capitis destillationibus, videlicet catarrho, asthmati, tussi, grauedini, similibusque affectionibus noctu præcipuè subiecti, pro vt si essent in senio constituti; His igitur prandium toto anno valdè moderatum conuenit; verùm cœna, hyeme, vere, nec non autumno, parca, æstate verò parcior esse debet; nam iuxtà scholæ Salernitanæ distichon capite quinto descriptum.

Ex magna cœna stomacho fit maxima pœna.

Vt sis nocte leuis, sit tibi cœna breuis.

Hoc autem Salernitanæ scholæ celebratum distichon, magis peculiariter de ijs, hoc in tertio sanitatis gradu vitam ducentibus intelligendum videtur, quàm de illis in primo, vel secunco sanitatis gradu perfectè constitutis, quibus ob sanitatem omninò inculpatam rarò magna cœna nocet, sicuti breuis cœna sæpissimè molesta est.

Porrò in tertio sanitatis gradu viuentes, ob natiui caloris inopiam, ac frigidi, & humidi, vel frigidi, & sicci præcipuè stomachi debilitatem, nec non ob æstiui temporis æstum, ac noctium breuitatem, alimentum copiosum rectè digerere non possunt, licet illud naturaliter appetant; qui item diminuta cibi, & potus copia, virium defectum non semel experti sunt, quoniam vndique sunt angustiæ; ijdem igitur, vt propriæ saluti in posterùm prospicere possint, ter die semper, vel saltem vt plurimùm, naturali magis, aut minùs, vrgente quandóque fame, vesci necessariò debent, in minori tamen quantitate, quàm anteà soliti essent bis quotidiè comedere, habita nimirùm conuenienti ratione, tum salubris quantitatis, & qualitatis cibi, tum etiam potus, stomachum in coctione nullo modo grauantis, vel perturbantis, quas vtique conditiones re-

spi-

picere ſemper debent, ſi optatã ſenectutis metam incolumes attingere demum velint; Nec prætereà debent exercitio ſe da-re, niſi tribus, vel quatuor elapſis poſt prandium horis, quandoquidem exercitium ſtatim à cibo, debilem præcipuè reti-nẽtibus complexionem, digeſtionem impedit, atque retardat, ſed quies eo ſanè tempore cibi concoctionem maximè iuuat, ſicuti ſcribit Celſus libro primo, circa ſecundi capitis finem, his tandem verbis. Si quis interdiù ſe impleuit, poſt cibum neque frigori, neque æſtui, neque labori ſe debet committe-re, neque enim tã facilè hæc inani corpori, quàm repleto no-cent; ſic Celſus. Quapropter quiſquis virium ſuarum limitem nullo modo tranſcendat, nimirum quia medicorum præce-ptis, vitam præſeruantibus, maximè ſubijciuntur ij, quibus ſa-nitas omninò perfecta non eſt, veluti mihi hæc ſcribenti ſa-nè contigit, qui viuendi regimen paulò ante deſcriptum, vni-uerſo quandoque anno, nec non æſtiuo præſertim tempore magis integrè nõ præterire cogor, & quamuis ex Celſi doctri-na ſani homines ſint, qui ex ſanis parentibus ortum duxerũt, & ego à ſanis quidem parentibus, & valde fortibus fuerim ge-nitus, nihilominùs contra Celſi doctrinam (quia vniuerſalis interdum regula fallit) mea mala ſorte, hoc in tertio tan-quam debiliori ſanitatis gradu, fui materno in vtero gẽitus, & à natura productus; & id etiam quo ad naturalem ſtoma-chi debilitatem ab ipſo met natiuitatis die fuit manifeſtè co-gnitum, nempè quia pro vt a parentibus mihi relatum fuiſſe recordor, plùs viginti quatuor horis, ſponte ieiunus trãſiui, & licet per vim parentum quouis modo cibus mihi propinare-tur, ſemper tamen illum naturaliter recuſaui, quod fuit ma-gnum profectò ſignũ ſtomachi à generatione valdè languen-tis, ita vt ſpes vitæ tunc anceps, ac penè deſtituta maneret; Elapſis nihilominùs viginti quatuor horis. & paulò plùs, ali-mentum ori ſuppeditatum inuitus aliquantulũ ſugere cœpi, & ſic deinceps paulatim cibo ſponte aſſueui, quouſque gran-dis natu factus, non ſolùm recordari, ſed propriam ſtomachi debilitatem, in cibi, quamuis probi digeſtione, experiri non ſemel potui, quamobrem tẽporis deinde proceſſu, præter ſto-machum debilem, naturaliter exiſtentem, mihi alterum valde moleſtum acceſſit incommodum, videlicet quia ob multipli-ces calamitates, & anxias animi curas diù permanentes, & hinc, inde reſurgentes, factum eſt, vt propriùs met habitus, na-

Exercitium ſtatim à cibo quibus præcipuè noceat.

Auctoris vita, b[...] ab ipſa met natiuitate deſcripta.

L tura

tura biliosus, & gracilis, octauum, & vigesimum circiter annum, in melancholicum hypochōdriacum ex accidenti fuerit permutatus, ac intemperies iterùm frigida, & sicca fuerit addita languenti naturaliter stomacho, vnà cum turbulentis insomnijs, præseferentibus modò monstra formæ peregrinæ, modò propriæ domus incendium, modò oberrationes, vel mare turbatum, & fluctibus agitatum, vel diuersa horrenda phantasmata, omnia profectò melancholiæ characterem, & animæ tristitiam denotantia, ex Hippocrate in libro de Insomnijs; quibus omnibus de causis, octo annorum interuallo, sæpè sæpiùs corpore, ac mente fui nimis vehementer cruciatus, ac sine febre, vel capitis dolore, penè consumptus; Attamen his non obstantibus diuino concomitante auxilio, nec non prædicta victus ratione pertinaciter diù perseuerata, vnà cum requisitis remedijs opportunè adhibitis, præter hominum opinionem, ac spem, ad sextum, & quadragesimum annum huc vsque perueni, ac demùm sanitate, licet non penitùs inculpata, satis tamen laudabili, lætus vtique fruor, & hac item vitæ cōditione, me me ad completam, & consummatam senectutem peruenturum spero. Qui igitur mecum nauigat, me quoque sequatur, & à me discat; num quid Medice cura te ipsum? sicut ait Diuus Lucas quarto; num ne ars, & artifex, sanitatis causæ fiunt? Auctore Galeno, vndecimo Methodi capite primo. Nō ne Plato in dialogo tertio de Republica dixit, Medicos tunc fieri excellentissimos, quādo à pueritia artem discere auspicati, cum plurimis ægris versati fuerint, ipsique omnes morbos experti, ac præterea natura valetudinarij sint? hæc Plato. Quamuis etiam non me lateat Hippocratem initio libri de Medico scriptum reliquisse, Medicum bona, & carnosa corporis habitudine præditum esse debere, iuxtà existentem in ipso naturam: Vulgus enim existimat eos, qui non sic benè dispositum corpus habent, neque alijs benè prospicere posse: ita Hippocrates.

Medici excellentissimi quales, ex Platone.

Medici qualitas, ex Hippocrate.

Hactenùs in vniuersum de cibo, & potu dictum, sit satis, nunc tamen de vtroque iterùm peculiariter, ac sigillatim agendum diffusiùs est, ideòque primùm à pane, vtpote ciborum omnium principe, atque omninò ad vitam necessario, nō desinam exordiri.

De

De Pane.

Panis ex optimi, ac purissimi tritici farina, vnà cum aqua, & fermento æquè confectus, ac debita diligentia coctus, nec non etiam parum salitus, vel nullo modo salitus, iuxtà comedentium consuetudinem, vel potiùs libitum, cum quouis alio frumenti genere, hisce temporibus comparari non potest: Italicum siquidem triticum præ cæteris, candore, ac pondere tale est, veluti scribit Plinius, libro decimo octauo Naturalis Historiæ, capite septimo. Verumtamen syncerus omninò panis, & cum prædictis conditionibus factus, ob consuetam furnariorum fere omnium fraudem, hic Romæ non semper conficitur, prout sæpè, sæpiùs vidi, ac experientia cognoui. Prædictus itaq; panis verè similaceus dictus, cùm temperatæ sit qualitatis, quouis alio pane faciliorem concoctionem admittit, ac laudabilem sãguinem gignit, licet siligineus quidem panis apud antiquos Romanos, quia maximo erat in vsu, aliquo forsan iure, ob iucundum videlicet saporem tantùm, similaceo præferretur, Galeno teste, primo de Alimentorum facultatibus, capite secundo, quem vtique sequutus est etiam Paulus Aegineta, libro primo, capite de frumentaceis inscripto, vbi sic loquitur. Inter panes, firmissimus est siligineus, deinde ex simila, tertius, à quo nihil cribro excussum est, Græci syncomiston, quasi dicas confusaneum appellant, sordidus panis, minùs quidem nutrit, sed magis per aluum deijcitur. hæc Paulus Aegineta, qui sordidum panem, id est, furfuraceum intellexit.

Panis ex optimo tritico cõdicione, & qualitatis obseruandæ.

Panis sordidus qualis intelligentur, iuxta Paulum Aegineam.

Panis præterea gustui iucundior, ac celeriùs nutriens, recens est, vtpote qui primũ, vel alterum ad summum attingit diem, calidus autem nullo modo est comedendus; iuxtà Auicennæ mentem, secundo Canonis libro, tractatu secundo, capite quingentesimo septuagesimo secundo ita expressam. Panis enim calidus non est apud naturam receptibilis, & acceptio eius, qui est de furno, & reliquorum sibi similium, est mala, & paulò inferius item; Panis calidus facit sitim sua caliditate, & natat propter suam humiditatem vaporosam, & satiat velociter propter illud, & calidus quidem est velocis digestionis, & tardæ descensionis. hæc Auicenna.

Panis recentis vtilitates.

Panis calidi molestiæ.

Panis diù cõseruati, & eiusdem qualitas, & effectus.

Panis verò, qui plurium dierũ interuallo cõseruatur domi, non solùm insipidus redditur, sed etiam ventrem astringit, tardè nutrit, & exiccandi vim habet, ac cò magis panis biscoctus diutiùs custoditus; Verùm si cum fœniculi, vel anisorum seminibus, & saccharo, diligentèr idem fiet, atq; coquetur, ac demum in optimarum carnium iure, vel grato etiam vino infusus comedetur, melius quidem, ac iucundius viuentibus nutrimentum retribuet.

Omnes item diuturnæ sanitatis desiderio flagrantes, & a morbis præseruari cupientes, curare maximè debent, vt redũdantibus fortunæ bonis, vel saltem sufficientibus non careant facultatibus, quæ præsupponi semper debent, ac etiam necessariò præerequiruntur ad opportunum viuendi regimen, hoc primo in libro vniuersaliter huc vsque descriptum, iisque tamen magis præcipuè conferens, qui complexionis naturaliter sunt imbecillis, vel capitis, aut stomachi debilitatem, & incommodum, vel aliquam imperfectionem inculpata sanitate indignam quandoque patiuntur, quemadmodum sæpissimè contingit ijs, litterarum, vel artium liberalium studio summoperè dicatis, vel grauibus item negocijs, & assiduis animi curis vehementer oppressis. His igitur magis, magisq; cœteris alijs, cauẽdum est à quouis genere artolagani, siue pastæ, quoquomodo sine fermento coctæ, atque conditæ, sicut etiam à pane azimo, & incocto, vel torrefacto, quoniam huiusmodi cibus, licet stomacho gratus videatur, nihilominus illum grauat & comprimit, difficilemq; transitum ad membra nutritionis admittit, nec non prauos gignit humores, auctore Galeno, primo de Alimentorum facultatibus, capite secundo, ita dicente. Is deterrimus panis censendus est, & ventriculo inimicus, qui in crustaceis admodùm aduritur, in intimis verò incoctus relinquitur; ideòq; schola Salernitana capite vigesimo quarto sapienter item dixit.

Panis azimi, & incocti, vel torrefacti detrimenta.

Non comedas crustam, choleram quia gignit adustam.

Quo ad cæteros frumentaceos vtique panes, veluti sunt, qui fiunt ex Hordeo, Zeia, Lolio, Auena, Oryza, Milio, Panico, Castaneis, similibusque frugibus, vtpote sanitati non conferentibus, omnes profectò sunt euitandi, & rusticis, tanquàm sordidè viuentibus, maxima tantùm vrgente penuria melioris cibi, non autem vrbanis viris nobiliter educatis, & lautè viuẽtibus conuenire videntur. Hordaceus enim panis parum

Panis hordeacei qualitas.

nu-

nutrit, quin immò difficulter digeritur, flatus excitat, nec nō frigidos,ac viſcidos producit humores.Panes verò ex Zeia nemo affatim citra ſanitatis diſpendiū mandit, quòd ſi quis ei pani non aſſueuerit,etiā ſi minimum ſumpſerit,ægrotabit, eſt enim grauis,& concoctu difficilis, Galeno teſte primō de Alimentorum facultatibus,capite decimo tertio.Panis ex Lolio confectus,caput dolore afficit,& vna cum vertigine viſum obtenebrat,itemque moleſtum,atque profundum generat sōnum , ſicut experientia patet. Panis tamen ex Auena, ex eodem Galeno primo de Alimētorum facultatibus capite decimo quarto, iumentorum eſt alimentum, non hominum, niſi vtique aliquādo extrema fame ad panes ex eo quoque ſemine conficiendos compellātur; Panis autem,qui ſit ex Oryza, difficilis eſt concoctionis, ac pauci eſt nutrimenti, nec non ventrem ſtypticum reddit. De pane item ex Milio,& Panico, Galenus primo de Alimentorum facultatibus, capite decimo quinto,ſic loquitur. His item in pane non nunqam vtuntur, vrgente dictarum frugum penuria,panis tamen,qui ex eis fit, exigui eſt alimenti,ac frigidus, perſpicuumque eſt quód præaridus eſt,ac friabilis,nihil enim in ſe habet,neq: lētoris,neq: pinguitudinis, iure ergo aluū humentē deſiccat, ita Galenus. Ex Caſtaneis demū exiccatis, & à corticibus diligēter purgatis,à montanis præſertim ruſticis, vbique triticum etiam pro conuenienti viuentium alimento non ſufficit, farina conficitur,ex qua fit panis,qui ſummā tritici penuriam vehementer ſupplet; Hic tamen panis duræ digeſtionis eſt, flatum gignit, aluumque aſtrigendi vim habet,ex Matthiolo, primo in Dioſcoridem libro, ſuper caput centeſimum vigeſimum tertium.

Panis ex Zeia facultates.

Panis ex lolio effectus.

Panis ex auena, quibus cō-

Panis ex oryza effectus.

Panis ex milio & panico facultates.

Panis ex caſtaneis qualitas.

De Vini, & Aquæ, Niuiſque, & Calidi potus Vſu.

Vinum profectò quēlibet potum,ac cibum longē ſuperare videtur,proptereà quòd vtraque facultate ſit naturaliter præditum,cùm potus,ac cibi ſimul,vicem gerat. Etenim tanquam potus,quouis alio potu celeriùs humido radicali ſubuenit, tanquam etiam cibus,alio quocunque cibo citiùs reficit, ac nutrit,quicquid enim nutrit,cibum dixit eſſe Galenus,tertio

Vinum, eſt potus, & cibu ſimul.

tio

tio de Alimẽtorum facultatibus, capite quadragesimo, quod etiam ante ipsum cognouit Hipppocrates, Aphorismorum libro secundo, vigesimi primi Aphorismi, dum scripsit famem vini meri potione solui; scilicet quia vinum conuenienter adhibitum pro humanæ vitæ sustentatione, ac deficientium refectione spirituum, non solum vehementer alit, ac præstò est, sed vnicum vitæ refugium potest meritò nuncupari; Vinum item respectiuè in sanitatis regimine conuenientiùs est aqua, quandoquidem ob summam delectationem, tenuemque transitum, libentiùs à natura recipitur, ac permiscetur in stomacho cibis ad vniuersum corpus velociter alendum, dummodo temperantiæ limitem non excedat, sicut etiam ob propriam quam habet virtutem exhilarandi cor, & ingenium acuendi, ac mentem, ad mirificè speculandum pro scientijs, ac liberalibus artibus acquirendis, amborum potentiam perspicaciorem vtique reddit, qua nempè de causa fuit in lucem editus versiculus ille.

Vinum in sanitatis regimine conuenientiùs est aqua.

Fœcundi calices quem non fecere disertum?

Quos quidem effectus cum aqua producere nullo modo possit, idcircò nõ temerè sequens distichon fuit olim decãtatũ:

Vina bibant homines, animalia cætera fontes.

Absit ab humano pectore potus aquæ.

Non mirum est item si diligentissimus rerum omnium inquisitor Aristoteles, trigesimæ sectionis Problematũ primo, de quibusdam vini effectibus, ad hanc rem spectantibus, disertissimè scripserit his quidem verbis. Vbi enim vinum hominem frigentem, taciturnumq; à sobrietate accepit, paulò liberaliori poculo refouet, excitatque ad verba, tum largiori potu, verborum vberem, eloquentem, fidentemque reddit; posthac processu potandi ampliori, audacem, propensumque facit ad agendum, deinde pleniùs amplificato, in contumeliam, & petulantiam vertit, mox ad insaniam propemodum accendit, postremò nimio ex potu resoluit; stultumque agit in modum eorum, qui a pueris, morbo laborant comitiali, aut etiam eorum, qui vitijs atræ bilis maiorem in modum continentur, igitur vt homo idem, inter bibendum moribus immutetur varijs, vinique mensura quadam idem crebrò à se discrepat, ita sunt, qui singulis morum generibus adeò inualuerint, vt aliorsum nequeant commutari; hæc Aristoteles, qui valdè ingeniosè de supradictis vini effectibus, veridica experientia duce,

Vini effectus ex Aristotele.

tum

tum iuxtà liberaliorem potum, plùs, minùſue ſumptum; tum etiam iuxtà diuerſas hominum naturas, atque diſpoſitiones demonſtrare conatus eſt; ſed cum facilè ſit inuentis addere, pro vt fertur adagium, quid mirum ſi Ariſtoteles quo ad prædictos, & proprios vini effectus, primarium vtique lumen, non tam cautè, quam ad arbitrium, ac etiam lepidè a Principe Medicorū Hippocrate omnino detraxerit, pro vt in libro de veteri Medicina numero trigeſimo ſeptimo hiſce verbis apparet, videlicet, Proferatur autem mihi verbi cauſa aliquid, velut vinum meracum multum potum, hominem aliquo modo debilem reddit, & omnes, qui viderint, hoc fatentur, & cognoſcūt, quod hęc eſt vis vini, & quod ipſum eſt cauſa, & in quas in homine partes maximè poſſit, nouimus. hęc Hippocrates. cui tamen ingratus aliquantulum fuiſſe videtur Ariſtoteles, quandoquidē iuxta morem ſuū iam conſuetum, hic, nec alibi vnquam illius meminit.

Porò quia vinum diuerſi generis reperiri nō eſt nouum, ita quoque diuerſam ijſdem ineſſe proprietatē, tum calefaciendi, & humectandi, tum comparatiuè refrigerandi, nō eſt mirum, iuxtà propriam vini cuiuſuis qualitatē. atque naturam, pluribus in locis a Galeno demonſtratā, præcipuè verò tertio in libro de Simpliciū medicamentorū facultatibus, capite vigeſimo, vbi vini calidioris notas ita deſcribit. In ſumma quod tenui, perlucidaque ſubſtātia eſt, colore vermiculo, aut flauo, odore gratum, quodque dum temperatur, plurimam aquam expoſcit, id tum admodùm excalefacere eſt natum, tum facilè vndique per corpus vniuerſum deferri, tale ergo natura vinū ætate vetus, ita Galēus, qui etiam duodecimo Methodi medēdi, capite quarto, frigidioris vini manifeſta ſigna docet his verbis. Neque enim inuenies ex albo vinorum genere calidū vllum, quin etiam auſtera, & mediocriter alba, cùm inueterauerint, fuluiora quodammodò reddantur. Quotquot autem in ipſis calidiſſima ſunt, omnia certè flaua ſunt. Hæc Galenus.

Vini calidioris notæ, ex Galeno.

Vini frigidioris notæ, ex Galeno.

Animaduertendum nihilominùs eſt, tam potum vini puri, præſertim generoſi, & potentis, quàm aquæ puræ, in prandio & cœna, ſanitatem diù cuſtodire cupientibus non minimùm aduerſari, Purum ſiquidem vinum, & eò magis copioſè, ac ſine ratione hauſtum, vniuerſum corpus hebetat, caput tētat, ac naturalem cerebri, & memoriæ cōſtitutionem deſtruit, re-

Vini puri detrimenta.

ctam

ctam sanguinis generationem impedit, stomachum lædit, ac neruos, vnà cum cæteris vitæ incommodis, vini causa prouenientibus, vt refert Galenus quinto Aphorismorum libro, commento quinto.

Aquæ incommoda. Aqua pariter non minora viuentibus detrimenta retribuit; etenim pura, & per se, non nutrit, sed nutrimentum attenuat, vt faciliùs in propriam viuentis substantiam conuertatur, pectus item, ac frigidum lædit stomachum, digestionem impedit, crudos gignit humores, lieni, ac neruis obest, prout etiam obstructiones, hydropem, dolores colicos, & similes producit affectiones. Aqua demùm post cibum tantùm salutaris est,

Aquæ vtilitas quando. dummodò frigida potetur, ita Dioscorides libro quinto, versus quinti capitis finem, his quidem verbis. Sed aquam post violentiam bibere oportet, siquidem valetudinis alicuius gratia factæ temulentiæ remedium affert frigida: huic item opinioni adhæret Celsus, dum primi libri capite secundo sic ait. Vbi expletus est aliquis, faciliùs concoquit, si quicquid assumpsit, potione aquæ frigidæ includit. Rasis autem libro quarto, capite quinto scribens ad Almansorem Regem, hac de re sic loquitur.

Aqua ieiuno ventre an bibenda, ex Rhasi. Nullus aquam ieiunus bibat, nisi qui magnum stomachi habet ardorem, aut ratione temporis, ac complexionis calidæ, eius humiditatem exiccantis. Hippocrates demum in libro de Ratione victus in acutis, textu trigesimo, sic ait. Aquæ, quæ in acutis bibitur morbis, nullum sanè aliud habeo quod illi cōcedam officium, neque enim in peripneumonicis tussim sedat, neque sputum educit, immo cæteris minùs, si quis aquæ potione prorsus vtatur; verùm si inter oxymeli, & mulsum, paulùm aquæ instilletur, ob qualitatis potionum transmutationem, sputum educit, nempè intus inundationem quandam parit, aliàs, neque sitim sedat, sed amarescit. nēpè ei, qui suapte natura biliosus existit, ea est biliosa; hypochōdrio prætereà est mala, atque etiam pessima, biliosissimaque, & vires maximè labefactat, vbi in vacuitatem venerit, adde quod lienem auget, iecurque, vbi inflammata sunt, fluctuatque, & innatat, tardè siquidem meat, quòd subfrigida, & incoctibilis sit, neque aluum deijcit, neque vrinas mouet. Hæc Hippocrates.

Nihilominùs quia pro humano vsu multiplices in Mundo reperiuntur aquæ, proptereà, quæ nam sint eligendæ, quæ verò fugiendæ, mox euidenter patebit. De his igitur Hippocrates,

tes,

tes, in libro de Aere, Aquis, & locis, ita scripsit. Optimæ verò sunt, quæ in sublimibus locis, ac terreis collibus fluunt, hæ enim, & dulces sunt, & albæ, & vinum modicum ferre possunt, & hyeme calidæ sunt, æstate verò frigidæ, tales enim fuerint ex profundissimis fontibus, maximè verò laudare eas oportet, quarum fluxiones ad Solis exortus erumpunt, & præsertim ad æstiuos, necesse est enim odoratas esse, ac leues. Quæcunque verò salsæ, & crudæ, ac duræ sunt, ad hoc quidem, vt eas homines bibant, non bonæ sunt, hæc Hippocrates, à quo nec dissentit etiam Galenus, primo de simplicium medicamentorum facultatibus capite quinto, vbi de purissimis, ac perfectissimis dignoscendis aquis propriam sententiam profert his verbis. Iudicantur autem hæ tribus sensibus, nempè gustu, visu, & odoratu; Gustu, pura est, si nullam offerat qualitatem, sed ad vnguem qualitatis expers appareat; Visu, cum syncera fuerit, ac planè perlucida; Sic nec odoratu vllam præseferre qualitatem debet, vt sunt quædam extremæ prauitatis, quæ aut aciditatem, aut acrimoniam, aut fœditatem, aut putredinem, aut aliud indicibile aliquod vitium præferunt; ita Galenus.

Aquæ optimæ conditiones ex Hippocrate.

Aquæ optimæ conditiones, ex Galeno.

Ex prædictis igitur Auctoribus, quæuis aqua, tam ex fonte, quàm ex cisterna, vel ex puteo desumpta, dummodo syncera, leuis, clara, & lucidissima ipsismet oculis perspiciatur, nullumque odorem, atq; saporem retineat, optima semper est iudicanda, & vt ex proprijs defertur locis, pro quotidiano vsu bibẽda, precipuè verò ab ijs, vinũ naturaliter abhorrẽtibus. Verũ si quandoq; contigerit, vt nonnulli ob aquæ frigiditatem stomachi, vel intestinorum dolorem patiantur, tunc aquam penè tepidam, hyeme præsertim potent, aut hydromel in aqua misceant, vel tantillum coriãdrorum, vel anisorum, aut cinnamomi, vel frondium, & cymarum citri in duabus, vel tribus aquæ libris infundant per horam in amphora, & sitim extinguant; Si verò iucundiori obiectentur potui, eidem aquæ minimam sacchari fini partem addant, & ad vnici tantum feruoris eleuationem in proportionato vasculo propè ignem bulliant, ac plùs, minùsuè frigidam, ad propriæ cuiusque naturæ vtilitatem, ac libitum potent. Æstiuo verò tempore vtantur polca, quæ est potio bonæ quantitatis aquæ puræ vnà cum parte aceti minima, ita vt saporem vix acidum retineat, hic etenim potus est gustui gratus, & salubris, citòque sitim expellit, vel deinum si fieri possit, vino imbecilli, & benè diluto paulatim assuescant,

Aquis potu naturaliter abhorrentibus stomachum retinentibus quo modo potus concedendus eisdem salubrior.

Posca quid sit.

iuxtà diuini senis mentem, libro secundo Aphorismorum, quinquagesimo, ita dicentis. Consueta longo tempore, etiam si deteriora sint, insuetis minùs molesta solent esse, quare ad insolita quoque facienda mutatio. ita Hippocrates.

Aquæ Tyberinæ vsus apud Antiquos Romanos fuit experimento derelictus, ac iterùm ex necessitate introductus.

Aqua verò Tyberina, hisce temporibus, ea in veneratione, ac vsu non est, pro vt fuit apud Antiquos Romanos, qui cùm quadringentis, & quinquaginta annis eam potassent, fuere nihilominùs coacti eius vsum dimittere, ob aliquot vitæ incommoda, non semel ab ea reportata, qua demùm causa, & occasione, innumeris Reipublicæ sumptibus, primo Aquam Appiam, postmocùm quoque maiori vrgente necessitate, Aquam Marciam, postremò autem Aquam Virginem, Triuiam item dictam, omnium optimam, Romam longè omninò duxerunt; temporis deinde processu, deficientibus prædictis aquæ ductibus, ac penè corruentibus, Romani ad Aquam Tyberis iterùm inuiti confugerunt, quo vtique tempore, sicut etiam anteà, Tyberinum semper Flumen fuit à sordibus omnibus expurgatum, & à futuris inquinamentis diligenter custoditum, contra nostri sæculi morem, quemadmodum narrat Baccius primo in libro de Aqua Tyberis, pagina vigesima nona, vbi diuersis, ac euidentibus probat argumentis, Tyberinam Aquam pro potu non esse ita perfectam, sicuti vulgus existimat.

Vinum cuiuscunque generis, nò omnibus vtile.

Quamobrem redeuntes iterùm ad vinum, non omnibus vtique ætatibus quodcunque vini genus est temerè concedendum, siquidem pueris, & infantibus præcipuè lactentibus generosum vinum, & potens nullo modo conuenire videtur, quin immò rarò etiam imbecillum, quod etiam oligophoron à Galeno vocatur, licet aqua corrigatur. Veruntamen id à Romana plebe parum obseruatur; quemadmodùm vti Medicus ad curandos infantes requisitus, experientia persæpè cognoui.

Vermes, & Epilepsia in pueris vnde.

Quid igitur mirum si prædicti puelli ob insatiabilem voracitatem, ac temerariam parentum voluntatem, modò vermibus, & alui fluxu, vnà cum perniciosa febri, modò epilepsia cum ipsorum interitu corripiantur; siquidem vinum, & lac simul, non benè conueniunt, quoniam tam in stomacho, quàm in intestinis, ac vniuerso genere venoso, praua potissimùm putredine corrumpuntur, ex qua prædictos, & alios item morbos produci non est nouum.

Vini oligophori qualitas, & natura ex Galeno.

Porrò vinum oligophoron inter omnia vina minimum est, sicuti

ſicuti Galenus ſeptimo Methodi, circa ſexti capitis medium, ſequenti modo deſcribit. Eſt autem oligophoron, quod ſi diluatur, minimam ſuſtinet aquæ mixtionem, id eſt ſanè imbecilliſſimum, & , vt in vinis, aquoſiſſimum, ita Galenus. Huiuſmodi vinum igitur, non autem potens, & antiquum Hippocrates, vel Polybus eius diſcipulus, infantibus, & pueris concedit in libro de Salubri diæta, textu nono, his quidem verbis. Cæterùm puerulos infantes per multum tempus in aqua calida madefacere oportet, & vinum bibendum dare aquoſum, & non penitùs frigidum, dandum eſt, & id vinum, quod minimè ventrem eleuet, ac inflet, hæc autem facere oportet, vt, & conuulſionibus minùs corripiantur, & maiores fiant, ac meliorem colorem adipiſcantur, hæc Hippocrates, vel Polybus.

Vinum pueris conueniens quale ex Hippocrate, seu Polybo.

Verùm Galenus primo in libro de ſanitate tuenda, capite vndecimo, hac de re ſic loquitur; Sanè vinum quàm diutiſſimè, qui à natura puer eſt, ne guſtare quidem ſuaſerim, quippe quod auſtum, & humectat nimiùm, & calefacit corpus, tum caput aſtu replet ijs, qui humido, calidoque temperamento ſunt, quale eſt eiuſmodi puerorum: at qui neque repleri his caput eſt vtile, nec ipſos ſupra, quàm par eſt, humidos, calidoſque fieri, quoniam eò iam caloris, humoriſque peruenerunt, vt, ſi paululum vtramuis qualitatem auxeris, iam modum exceſſerint; cum autem ſit omnis exceſſus fugiendus, maximè hunc fugere expedit, ex quo, non corpori modò, verùm etiam animo damnum accedit, ita Galenus. At enimuerò ſapientem eius opinionem de generoſo, ac potenti ſolùm vino, non autem de imbecilli, & aquoſo, velut eſt oligophoron, intelligendam cenſeo, ſicut ex inferiùs item dicendis euidenter patebit.

Senibus autem vinum maximè conducere, quin immò eſſe lac, vim, ac propriam ſenum vitam certiſſimum eſt. Quandoquidem cùm ſint frigidi, & ſicci, vinum verò ſit calidum, & humidum, ſenilem quodammodò ætatem ad ſymmetriam quandam ferè temperatam reducere tentat, atque conatur, cuius item beneficio ſenes meliùs dormiunt, faciliùs mingunt, & hilarem diù vitam ducunt; vinum prætereà potens, ac vetus; ſemper eſt eligendum, & aliquantulum dilutum, eſt in prandio, & cœna potandum, vel etiam ad libitum, & conſuetudinem alicuius naturæ ſenilis moderatè bibentis, quod item Vinum

Vinum eſt lac, vis, & vita ſenum.

sit aurei coloris, aut citrini, vel flaui, boniquę simul odoris, atque saporis, parumper ad dulcedinem tendentis, vtpote naturæ magis grati, cæterisque celerius nutrientis; Sed inter vina potentia, & vetera, cùm Romæ multiplicia reperiantur, ea siquidem, tanquam senibus præ cæteris vtiliora, sunt seligenda, veluti sunt, pro vt vulgò dicuntur, il Greco, il Termine, il Trebiano, il Chiarello, il Beluedere, il Moscatello, la Maluasia, la Guarnaccia, la Pietra nera, & cætera huiusmodi generosa vina, dummodò non sint nigra. Ex his enim quædam sunt crassa, quædam verò astringentia, nec per vrinam serosos emittentia humores, quibus maximè abundant senes.

Vinum naturæ humanæ magis gratum, ac celerius nutriens, quale, [illegible]

Quòd item prædicta generosa vina, & antiqua, senibus sanitate fruentibus magis conferent cæteris alijs imbecillis, & aquosis vinis, adolescentibus, ac pueris potius idoneis, confirmatur etiam à Galeno, quinto de Sanitate tuenda, capitis quinti initio, ita loquente: Sanè vinum sicuti pueris est alienissimum, ita senibus est aptissimum. Esto autem id ex ijs, quæ calidioris naturæ sunt, qualia sunt in Græcia quidem Ariusium, & Lesbium, & quod Mysium vocant, cum cæteris, quæ ibi recenset, paulò post demum ita subdit. Calidissimum ergò ex iam dictis, si colorem spectes, flauum est, minimè verò calidum, quæ media inter hæc sunt, pro vt alterutri magis accedunt, ita vim eius exhibent; Vnum igitur illud maximum senibus commodum ex vino accidit, quòd omnia eorum membra calfacit, alterum, quòd per vrinas serum sanguinis expurgat; hæc Galenus; ex cuius verbis, dum senilem ætatem cum puerili comparat, manifestè apparet, vinum potens, & eò magis antiquum, vtpote cæteris calidius, senibus prodesse, ob frigidam, & exanguem eorum naturam, vini calore vehementer adiutam: contrà verò pueris obesse, veluti calidis, & humidis natura existentibus, nec vini potentis calore indigentibus; quin immò eorum naturæ contrario. Verùm quia vinum aquosum, & oligophoron proximè accedit aquæ naturæ, & inter imbecilla vina minimum, & aquosissimum est, ex Galeno, septimo Methodi, capite sexto superius citato, & quia prædicta etiam detrimenta, & incommoda eisdem puellis afferre nullo modo potest, quæ vinum generosum, & antiquum omninò produceret, ideircò illud tacitè pueris concedit Galenus, pro vt etiam concessit Hippocrates, vel Polybus eius discipulus in libro de salubri diæta, textu vigesimo nono.

Vinorum caliditas, vel frigiditas, ex colore cognoscitur iuxta Galenum.

[illegible]

De quouis imbecilli demum vino lactentibus puerulis concedendo, dummodò temperetur aqua, sequenti modo decernendum iudico, nimirùm, si natura infantes fuerint graciles, aut aliquantulum extenuati, ob materni lactis defectum; vel ætatem, vel item ob maternum lac valde biliosum, aut melancholicum, nec tamen infantium parentes, ad peius incommodum euitandum, aliam nutricem eligere velint, aut possint, tunc pro iisdem reficiendis, ad vinum oligophoron, tanquam inter imbecilla vina minimum, in vitiosi, vel pauci lactis materni supplementum, iure optimo est confugiendum, sicut etiam ad oua recentia, & præcipuè sorbilia, vel ad panem in prædicto vino infusum, aut in laudabilium carnium iure coctum, & ad quæcunque salubria, similibus demùm puellis consueta côcedi; nam dictum prçtereà vinum satis dilutum, puerulis prædicto in statu existentibus, magis aqua pura prodesse quidem poterit. Si verò infantes ob lactis materni salubritatem, & copiam, formosi, pingues, & alacres apparuerint, tunc ipsis vinum supradictis conditionibus præditum propinare, sicuti superfluum esset, ita & inconueniens.

Vinum aquosissimum, an infantibus concedendum.

Iuuenibus tandem vinum pro quotidiano vsu moderatè sęper conuenit, si Galeno credimus, primo sanitatis tuendæ, capite vndecimo, ita scribere non recusanti. Quare neque iam adultis vinum, nisi modicè sumptum, existimandum est esse vtile, quod videlicet ad iram præcipites, & ad iniuriam incontinentes facit, & partem animæ rationalem hebetem, turbidamque reddit: cęterùm his ipsis ad bilis excrementa, vel mitiganda, vel expellenda, est sanè non vtile, non minimè verò ad eam sanitatem, quæ in solidis partibus, aut ex immodicis laboribus, aut ex proprio ætatis temperamento prouenit, idoneum est vinum, humectat nanque, ac nutrit quicquid immodicè siccatum est, tum bilis amaræ acrimoniam mitigat, ac frangit, prætereà per sudores, vrinasque vacuat, hæc Galenus.

Vinum iuuenibus quo modo conueniat, ac e'utcę, et effectus.

Nihilominùs vinum, si fuerit generosum, & vetus, eò vsque diluendum est, donec per aquæ mistionem debile reddatur., quæ mistio de Arnoldi Villanouani mente, paulò ante prandium, & cœnam in vasculo vitreo facienda est, vt spiritus vini calidiores, eo modo nô solû refrigerentur, sed etiâ vt caput fumosis eorum vaporibus liberetur, quod item de cæteris vinis magis, minùsuè potêtibus, vel imbecillis est omninò intelligendum, atque faciendum, non tamen vinum supra modum

Vini dilutio, in prandio, & cœna, quo modo facienda, & quare ex Arnoldo.

est

tio de Alimẽtorum facultatibus, capite quadragesimo, quod etiam ante ipsum cognouit Hipppocrates, Aphorismorum libro secundo, vigesimi primi Aphorismi, dum scripsit famem vini meri potione solui; scilicet quia vinum conuenienter adhibitum pro humanæ vitæ sustentatione, ac deficientium refectione spirituum, non solum vehementer alit, ac præstò est, sed vnicum vitæ refugium potest meritò nuncupari; Vinum item respectiuè in sanitatis regimine conuenientiùs est aqua, quandoquidem ob summam delectationem, tenuemque transitum, libentiùs à natura recipitur, ac permiscetur in stomacho cibis ad vniuersum corpus velociter alendum, dummodo temperantiæ limitem non excedat, sicut etiam ob propriam quam habet virtutem exhilarandi cor, & ingenium acuendi, ac mentem, ad mirificè speculandum pro scientijs, ac liberalibus artibus acquirendis, amborum potentiam perspicaciorem vtique reddit, qua nempè de causa fuit in lucem editus versiculus ille.

Vinum in sanitatis regimine conuenientiùs est aqua.

Fœcundi calices quem non fecere disertum?

Quos quidem effectus cum aqua producere nullo modo possit, idcirco nō temerè sequens distichon fuit olim decãtatũ:

Vina bibant homines, animalia cætera fontes.
Absit ab humano pectore potus aquæ.

Non mirum est item si diligentissimus rerum omnium inquisitor Aristoteles, trigesimæ sectionis Problematũ primo, de quibusdam vini effectibus, ad hanc rem spectantibus, disertissimè scripserit his quidem verbis. Vbi enim vinum hominem frigentem, taciturnumq; à sobrietate accepit, paulò liberaliori poculo refouet, excitatque ad verba, tum largiori potu, verborum vberem, eloquentem, fidentemque reddit; posthac processu potandi ampliori, audacem, propensumque facit ad agendum, deinde pleniùs amplificato, in contumeliam, & petulantiam vertit, mox ad insaniam propemodum accendit, postremò nimio ex potu resoluit, stultumque agit in modum eorum, qui a pueris morbo laborant comitiali, aut etiam eorum, qui vitijs atræ bilis maiorem in modum continentur, igitur vt homo idem, inter bibendum moribus immutetur varijs, vinique mensura quadam idem crebrò à se discrepat, ità sunt, qui singulis morum generibus adeò inualuerint, vt aliorsum nequeant commutari; hæc Aristoteles, qui valdè ingeniosè de supradictis vini effectibus, vendica experientia duce,

Vini effectus ex Aristotele.

tum

tum iuxtà liberaliorem potum, plùs, minùsue sumptum, tum etiam iuxtà diuersas hominum naturas, atque dispositiones demonstrare conatus est; sed cum facile sit inuentis addere, pro vt fertur adagium, quid mirum si Aristoteles quo ad prædictos, & proprios vini effectus, primarium vtique lumen, non tam cautè, quam ad arbitrium, ac etiam lepidè a Principe Medicorũ Hippocrate omnino detraxerit, pro vt in libro de veteri Medicina numero trigesimo septimo hisce verbis apparet, videlicet, Proferatur autem mihi verbi causa aliquid, velut vinum meracum multum potum, hominem aliquo modo debilem reddit, & omnes, qui viderint, hoc fatentur, & cognoscũt, quod hęc est vis vini, & quod ipsum est causa, & in quas in homine partes maximè possit, nouimus. hęc Hippocrates. cui tamen ingratus aliquantulum fuisse videtur Aristoteles, quandoquidē iuxta morem suũ iam consuetum, hic, nec alibi vnquam illius meminit.

Porò quia vinum diuersi generis reperiri nō est nouum, ita quoque diuersam ijsdem inesse proprietatē, tum calefaciendi, & humectandi, tum comparatiuè refrigerandi, nō est mirum, iuxtà propriam vini cuiusuis qualitatē. atque naturam, pluribus in locis a Galeno demonstratã, præcipuè verò tertio in libro de Simpliciũ medicamentorũ facultatibus, capite vigesimo, vbi vini calidioris notas ita describit. In summa quod tenuī, perlucidaque substãtia est, colore vermiculo, aut flauo, odore gratum, quodque dum temperatur, plurimam aquam exposcit, id tum admodùm excalefacere est natum, tum facilè vndique per corpus vniuersum deferri, tale ergo natura vinũ ætate vetus, ita Galēus, qui etiam duodecimo Methodi medēdi, capite quarto, frigidioris vini manifesta signa docet his verbis. Neque enim inuenies ex albo vinorum genere calidũ vllum, quin etiam austera, & mediocriter alba, cùm inueterauerint, fuluiora quodammodò reddantur. Quotquot autem in ipsis calidissima sunt, omnia certè flaua sunt. Hæc Galenus.

Vini calidioris nota, ex Galeno.

Vini frigidioris notæ, ex Galeno.

Animaduertendum nihilominùs est, tam potum vini puri, præsertim generosi, & potentis, quàm aquæ puræ, in prandio & cœna, sanitatem diù custodire cupientibus non minimùm aduersari, Purum siquidem vinum, & eò magis copiosè, ac sine ratione haustum, vniuersum corpus hebetat, caput tētat, ac naturalem cerebri, & memoriæ cõstitutionem destruit, re-

Vini puri detrimenta.

ctam

ctam sanguinis generationem impedit, stomachum lædit, ac neruos, vnà cum cæteris vitæ incommodis, vini causa prouenientibus, vt refert Galenus quinto Aphorismorum libro, commento quinto.

Aquæ incommoda. Aqua pariter non minora viuentibus detrimenta retribuit; etenim pura, & per se, non nutrit, sed nutrimentum attenuat, vt faciliùs in propriam viuentis substantiam conuertatur, pectus item, ac frigidum lædit stomachum, digestionem impedit, crudos gignit humores, lieni, ac neruis obest, prout etiam obstructiones, hydropem, dolores colicos, & similes producit affectiones. Aqua demùm post cibum tantùm salutaris est, Aquæ vtilitas quando. dummodò frigida potetur, ita Dioscorides libro quinto, versus quinti capitis finem, his quidem verbis. Sed aquam post vinolétiam bibere oportet, siquidem valetudinis alicuius gratia factæ temulentiæ remedium affert frigida: huic item opinioni adhæret Celsus, dum primi libri capite secundo sic ait. Vbi expletus est aliquis, faciliùs concoquit, si quicquid assumpsit, potione aquæ frigidæ includit. Rasis autem libro quarto, capite quinto scribens ad Almanforem Regem, hac de re sic loquitur. Aqua ieiuno ventre an bibenda, ex Rhasi. Nullus aquam ieiunus bibat, nisi qui magnum stomachi habet ardorem, aut ratione temporis, ac complexionis calidæ, eius humiditatem exiccantis. Hippocrates demum in libro de Ratione victus in acutis, textu trigesimo, sic ait. Aquæ, quæ in acutis bibitur morbis, nullum sanè aliud habeo quod illi cócedam officium, neque enim in peripneumonicis tussim sedat, neque sputum educit, immo cæteris minùs, si quis aquæ potione prorsus vtatur; verùm si inter oxymeli, & mulsum, paulùm aquæ instilletur, ob qualitatis potionum transmutationem, sputum educit, nempè intus inundationem quandam parit, aliàs, neque sitim sedat, sed amarescit. nepè ei, qui suapte natura biliosus existit, ea est biliosa; hypochódrio præterea est mala, atque etiam pessima, biliosissimaque, & vires maximè labefactat, vbi in vacuitatem venerit, adde quod lienem auget, iecurque, vbi inflammata sunt, fluctuatque, & innatat, tardè siquidem meat, quód subfrigida, & incoctibilis sit, neque aluum deijcit, neque vrinas mouet. Hæc Hippocrates.

Nihilominùs quia pro humano vsu multiplices in Mundo reperiuntur aquæ, propterea, quæ nam sint eligendæ, quæ verò fugiendæ, mox euidenter patebit. De his igitur Hippocrates,

tes, in libro de Aere, Aquis, & locis; ita scripsit. Optimæ verò sunt, quæ in sublimibus locis, ac terreis collibus fluunt, hæ enim, & dulces sunt, & albæ, & vinum modicum ferre possunt, & hyeme calidæ sunt, æstate verò frigidæ, tales enim fuerint ex profundissimis fontibus, maximè verò laudare eas oportet, quarum fluxiones ad Solis exortus erumpunt, & præsertim ad æstiuos, necesse est enim odoratas esse, ac leues. Quæcunque verò salsæ, & crudæ, ac duræ sunt, ad hoc quidem, vt eas homines bibant, non bonæ sunt; hæc Hippocrates, à quo nec dissentit etiam Galenus, primo de simplicium medicamentorum facultatibus capite quinto, vbi de purissimis, ac perfectissimis dignoscendis aquis propriam sententiam profert his verbis. Iudicantur autem hæ tribus sensibus, nempè gustu, visu, & odoratu; Gustu, pura est, si nullam offerat qualitatem, sed ad vnguem qualitatis expers appareat; Visu, cum syncera fuerit, ac planè perlucida; Sic nec odoratu vllam præseferre qualitatem debet, vt sunt quædam extremæ prauitatis, quæ aut aciditatem, aut acrimoniam, aut salsedinem, aut putredinem; aut aliud indicibile aliquod vitium præferunt; ita Galenus.

Aquæ optimæ conditiones ex Hippocrate.

Aquæ optimæ conditiones ex Galeno.

Ex prædictis igitur Auctoribus, quæuis aqua, tam ex fonte, quàm ex cisterna, vel ex puteo desumpta, dummodo syncera, leuis, clara, & lucidissima ipsismet oculis perspiciatur, nullumque odorem, atq; saporem retineat, optima semper est iudicanda, & vt ex proprijs defertur locis, pro quotidiano vsu bibẽda, precipuè verò ab ijs, vinũ naturaliter abhorrẽtibus. Verũ si quandoq; contigerit, vt non nulli ob aquæ frigiditatem stomachi, vel intestinorum dolorem patiantur, tunc aquam penè tepidam, hyeme præsertim potent, aut hydromel in aqua misceant, vel tantillum corãdrorum, vel anisorum, aut cinnamomi, vel frondium, & cymarum citri in duabus, vel tribus aquæ libris infundant per horam in amphora, & sitim extinguant; Si verò iucundiori oblectentur potu, eidem aquæ minimam sacchari fini partem addant, & ad vnici tantum feruoris eleuationem in proportionato vasculo propè ignem bulliant, ac plùs, minùsuè frigidam, ad propriæ cuiusque naturæ vtilitatem, ac libitum potent. Æstiuo verò tempore vtantur posca, quæ est potio bonæ quantitatis aquæ puræ vnà cum parte aceti minima ita vt saporem vix acidum retineat, hic etenim potus est gustui gratus, & salubris, citòque sitim expellit, vel deinum si fieri possit, vino imbecilli, & benè diluto paulatim assuescant,

Aquam puram naturaliter [illegible] bilem stomachum retinentibus quo modo potus concedendus eisdem salubrior.

Posca quid sit.

iuxtà diuini senis mentem, libro secundo Aphorismorum, quinquagesimo, ita dicentis. Consueta longo tempore, etiam si deteriora sint, insuetis minùs molesta solent esse, quare ad insolita quoque facienda mutatio. ita Hippocrates.

Aquæ Tyberinæ vsus apud Antiquos Romanos fuit experimento derelictus, ac iterùm ex necessitate introductus.

Aqua verò Tyberina, hisce temporibus, ea in veneratione, ac vsu non est, pro vt fuit apud Antiquos Romanos, qui cùm quadringentis, & quinquaginta annis eam potassent, fuere nihilominùs coacti eius vsum dimittere, ob aliquot vitæ incommoda, non semel ab ea reportata, qua demùm causa, & occasione, innumeris Reipublicæ sumptibus, primo Aquam Appiam, postmodùm quoque maiori vrgente necessitate, Aquam Marciam, postremò autem Aquam Virginem, Triuiam item dictam, omnium optimam, Romam longè omninò duxerunt; temporis deinde processu, deficientibus prædictis aquæ ductibus, ac penè corruentibus, Romani ad Aquam Tyberis iterùm inuiti confugerunt, quo vtique tempore, sicut etiam anteà, Tyberinum semper Flumen fuit à sordibus omnibus expurgatum, & à futuris inquinamentis diligenter custoditum, contra nostri sæculi morem, quemadmodum narrat Baccius primo in libro de Aqua Tyberis, pagina vigesima nona, vbi diuersis, ac euidentibus probat argumentis, Tyberinam Aquam pro potu non esse ita perfectam, sicuti vulgus existimat.

Vinum cuiuscunque generis, nõ omnibus vtile.

Quamobrem redeuntes iterùm ad vinum, non omnibus vtique ætatibus quodcunque vini genus est temerè concedendum, siquidem pueris, & infantibus præcipuè lactentibus generosum vinum, & potens nullo modo conuenire videtur, quin immò rarò etiam imbecillum, quod etiam oligophoron á Galeno vocatur, licet aqua corrigatur. Veruntamen id à Romana plebe parum obseruatur; quemadmodùm vti Medicus ad curandos infantes requisitus, experientia persæpè cognoui.

Vermes, & Epilepsia in pueris vnde.

Quid igitur mirum si prædicti puelli ob insatiabilem voracitatem, ac temerariam parentum voluntatem, modò vermibus, & alui fluxu, vnà cum perniciosa febri, modò epilepsia cum ipsorum interitu corripiantur; siquidem vinum, & lac simul, non benè conueniunt, quoniam tam in stomacho, quàm in intestinis, ac vniuerso genere venoso, praua potissimùm putredine corrumpuntur, ex qua prædictos, & alios item morbos produci non est nouum.

Vini oligophori qualitas, & natura ex Galeno.

Porrò vinum oligophoron inter omnia vina minimum est, sicuti

ficuti Galenus feptimo Methodi, circa fexti capitis medium, fequenti modo defcribit. Eft autem oligophoron, quod fi diluatur, minimam fuftinet aquæ mixtionem, id eft fanè imbecilliffimum, &, vt in vinis, aquofiffimum, ita Galenus. Huiufmodi vinum igitur, nón autem potens, & antiquum, Hippocrates, vel Polybus eius difcipulus, infantibus, & pueris concedit in libro de Salubri diæta, textu nono, his quidem verbis. Cæterùm puerulos infantes per multum tempus in aqua calida madefacere oportet, & vinum bibendum dare aquofum, & non penitùs frigidum, dandum eft, & id vinum, quod minimè ventrem eleuet, ac inflet, hæc autem facere oportet, vt, & conuulfionibus minùs corripiantur, & maiores fiant, ac meliorem colorem adipifcantur, hæc Hippocrates, vel Polybus.

Vinum puerilis conueniens quale ex Hippocrate, fiue Polybo.

Verùm Galenus primo in libro de fanitate tuenda, capite vndecimo, hac de re fic loquitur; Sanè vinùm quàm diutiffimè, qui à natura puer eft, ne guftare quidem fuaferim, quippe quod auftum, & humectat nimiùm, & calefacit corpus, tum caput alitu replet ijs, qui humido, calidoque temperamento funt, quale eft eiufmodi puerorum: at qui neque repleri his caput eft vtile, nec ipfos fupra, quàm par eft, humidos, calidofque fieri, quoniam eò iam caloris, humorifque peruenerunt, vt, fi paululum vtramuis qualitatem auxeris, iam modum exceſſerint; cum autem fit omnis exceſſus fugiendus, maximè hunc fugere expedit, ex quo, non corpori modò, verùm etiam animo damnum accedit, ita Galenus. At enimuerò fapientem eius opinionem de generofo, ac potenti folùm vino, non autem de imbecilli, & aquofo, velut eft oligophoron, intelligendam cenfeo, ficut ex inferiùs item dicendis euidenter patebit.

Senibus autem vinum maximè conducere, quin immò effe lac, vim, ac propriam fenum vitam certiffimum eft. Quandoquidem cùm fint frigidi, & ficci, vinum verò fit calidum, & humidum, fenilem quodammodò ætatem ad fymmetriam quandam ferè temperatam reducere tentat, atque conatur, cuius item beneficio fenes meliùs dormiunt, faciliùs mingunt, & hilarem diù vitam ducunt; vinum prætereà potens, ac vetus femper eft eligendum, & aliquantulum dilutum, eft in prandio, & cœna potandum, vel etiam ad libitum, & confuetudinem alicuius naturæ fenilis moderatè bibentis, quod item Vinum

Vinum eft lac, vis, & vita fenum.

Vinum aquosissimum, an infantibus concedendum.

De quouis imbecilli demum vino lactentibus puerulis concedendo, dummodò temperetur aqua, sequenti modo decernendum iudico, nimirùm, si natura infantes fuerint graciles, aut aliquantulum extenuati, ob materni lactis defectum, vel ætatem, vel item ob maternum lac valde biliosum, aut melancholicum, nec tamen infantium parentes, ad peius incommodum euitandum, aliam nutricem eligere velint, aut possint, tunc pro iisdem reficiendis, ad vinum oligophoron, tanquam inter imbecilla vina minimum, in vitioli, vel pauci lactis materni supplementum, iure optimo est confugiendum, sicut etiam ad oua recentia, & præcipuè sorbilia, vel ad panem in prædicto vino infusum, aut in laudabilium carnium iure coctum, & ad quæcunque salubria, similibus demùm puellis consueta côcedi; nam dictum præterea vinum satis dilutum, puerulis prædicto in statu existentibus, magis aqua pura prodesse quidem poterit. Si verò infantes ob lactis materni salubritatem, & copiam, formosi, pingues, & alacres apparuerint, tunc ipsis vinum supradictis conditionibus præditum propinare, sicuti superfluum esset, ita & inconueniens.

Vinum iuuenibus quo modo conueniat, ac e contra effectus.

Iuuenibus tandem vinum pro quotidiano vsu moderatè semper conuenit, si Galeno credimus, primo sanitatis tuendæ, capite vndecimo, ita scribere non recusanti. Quare neque iam adultis vinum, nisi modicè sumptum, existimandum est esse vtile, quod videlicet ad iram præcipites, & ad iniuriam incontinentes facit, & partem animæ rationalem hebetem, turbidamque reddit: cęterùm his ipsis ad bilis excrementa, vel mitiganda, vel expellenda, est sanè non vtile, non minimè verò ad eam sanitatem, quæ in solidis partibus, aut ex immodicis laboribus, aut ex proprio ætatis temperamento prouenit, idoneum est vinum, humectat nanque, ac nutrit quicquid immodicè siccatum est, tum bilis amaræ acrimoniam mitigat, ac frangit, præterea per sudores, vrinasque vacuat, hæc Galenus.

Vini dilutio, in prandio, & cœna, quo modo facienda, & quare ex Arnaldo.

Nihilominùs vinum, si fuerit generosum, & vetus, eò vsque diluendum est, donec per aquæ mistionem debile reddatur, quæ mistio de Arnoldi Villanouani mente, paulò ante prandium, & cœnam in vasculo vitreo facienda est, vt spiritus vini calidiores, eo modo nô solû refrigerentur, sed etiâ vt caput fumosis eorum vaporibus liberetur, quod item de cæteris vinis magis, minùsuè potêtibus, vel imbecillis est omninò intelligendum, atque faciendum, non tamen vinum supra modum

est

Ventriculus natura debilis, qua vina requirat, & quo modo.

est aqua castigandum, nempè quia flatus in intestinis excitat, stomachum grauat, atque relaxat, ijs præsertim, debilem ventriculum naturaliter habentibus, qui pro ipsius met corroboratione, vinum quoduis valdè imbecillum, meracum potiùs, itemque libentiùs, quàm potens, ac dilutum potare deberent. Quo quidem in genere collocantur diuersa videlicet vina, vulgò dicta, il vino di Gianzano, il Vernotico, il Mazzacane, l'Albano, l'Asperino, il Romanesco, & il vino d'Oruieto, quod præcipuè vinum in œnophoris diligenter custoditum, Romam transfertur, veluti cæteris alijs Romæ existentibus gustui magis gratum, atque iucundum. Vinum igitur præscripto regimine sumptum, stimulante cibi, vel potus necessitate, facilè, ac citò in alimentum vertitur, cunctas cerebri functiones corroborat, & vnà cum celeri vitæ humanæ refectione, ac sustentatione, eo certè non abutentibus, diuturnæ quoque sanitatis spem maximam pollicetur.

Potus frigidus, qualis intelligendus.

De niuis tamen; & calidi potus vsu, videlicet, an æstate præcipuè, vel toto etiam anno, vinum dilutum, niue, vel glacie refrigeratum, an verò calidum, pro humana salute diù conseruanda sit bibendum, in dubium reuocari videtur, propterea quòd in festis præcipuè solemnibus, in splendidissimis cœnis superiùs dictis, in Natalitijs, in Nuptijs, in triumphalibus pompis mirificè celebrandis, nobiliores antiquę nationes tam frigido, quàm calido potu fuerint vniuersaliter vsæ; quemadmodum veteres Auctores, etiam grauissimi, nunc dicendi, fidem optimam præstant.

De frigido siquidem potu (qui semper niue, vel glacie refrigeratus, est intelligendus) primo sese offerens Plinius libro decimo nono, capite quarto, hæc refert. Hi niues, illi glaciem potant, & libro septimo, capite quinquagesimo tertio, calidi etiam potus meminit, dum de Marci Ofilij conuiuio loquens hæc ait; Is, cùm populo admodùm placuisset, natali die suo conuiuiumque haberet, edita cœna. calidam potionem in pultario poposcit, hæc Plinius.

Potus frigidi, & calidi vsus, fuit apud Antiquos frequentissimus.

Athenæus item de frigidi, & calidi potus vsu apud Antiquos, libro tertio, octauo, vndecimo, & decimo tertio Dipnosophistarum, diffusè agit.

Philo Hebræus, de frigido, calidoque potu narrat in libro de Contemplatione, vbi de conuiuijs discipulorum Moysis, ita scripsit. Vinum per illos dies non præbetur, sed aqua limpidissi-

diſſima,cæteris frigida, calida verò,his, qui inter ſeniores tractantur delicatius.

Martialis libro decimo quarto, de vtroque potu diſtichon ſequens cecinit.

Frigida non deſit, nec deerit calda petenti,
Sed tu moroſa ludere parce ſiti.

Iuuenalis item ſatyra quinta.

Quando vocatus adeſt calidæ, gelidæque miniſter.

Galenus denique ſeptimo Methodi,capite ſexto, idem confirmat his verbis. Bibunt quoque alij calidum, alij frigidum, & vinum, vel liberaliter, vel parciùs, vel omnino nullum, vel hoc genus, vel illud.

Nihilominùs prædictus ne potus, niue refrigeratus, an potiùs calidus, pro quotidiano vſu ſit vniuerſaliter recipiendus, hic quidem punctus, quoniam difficultates hinc inde non deſunt; nam vt ait Hippocrates quinti Aphoriſmorum, vigeſimo quarto Aphoriſmo, Frigida veluti nix, & glacies pectori inimica, tuſſes mouet, venarum ruptiones,& deſtillationes efficiunt; & libro de Humidorum vſu, textu tertio, vtriuſque detrimenta hiſce verbis deſcribit. Harum porrò vtraque lædit, & calida quidem ampliùs ea vtentibus,has læſiones inducit, carnium effœminationem, neruorum debilitatem, mentis ſtuporem, ſanguinis eruptiones; animi deliquia, hæc ad mortem; Frigida verò conuulſiones, tenſiones, nigrores, rigores febriles. Mediocritas quidem extra noxam eſt. hæc Hippocrates, cui adhæret etiam Auicenna fen, & doctrina ſecunda, libri primi, circa decimi ſexti capitis finem, vbi de aquæ tum frigidæ, tum calidæ potu, ſic loquitur: Aqua prætereà temperatè frigida, ſanis melior eſt aquis omnibus, licèt neruos impediat, & apoſtemata in interioribus habentes lædat, ipſa enim appetitum excitat, & ſtomachum fortem efficit; Aqua verò calida digeſtionem corrumpit, & facit natare cibum,neque illicò extinguit ſitim, & eſt cùm ad hydropiſim adducit, & hecticam, & conſumit corpus. Aqua autem calefacta, cùm fuerit tepida, facit nauſeam. hæc Auicenna.

Potus ne frigidus, an calidus viuentibus magis conducat.

Potus frigidi, & calidi detrimenta, ex Hippocrate.

Aqua temperatè frigida ſanis melior eſt aquis omnibus ex Auicenna.

Verùm enimuerò ex doctrinis huc vſque deductis, circa frigidi, vel calidi potus electionem, vndique ſunt anguſtiæ, pro quibus demum euitandis animaduertendum ſemper eſt, iuxta complexionum diuerſitates, & conſuetudines, alijs frigidiſſimum, alijs minùs frigidum, nonnullis temperatum,aliquibus cali-

Potus tam frigidus, quàm calidus, viuentibus prodeſt, iuxtà complexionum diuerſitates.

calidum denique potum conferre, pro vt magis, minusuè inculpata sanitate frui, vnicuique datum à natura est; Etenim quod vnico individuò prodest, vniuersalem illicò regulam nō admittit. Hanc autem opinionem Mercurialis libro primò Variarum lectionum, capite octauo confirmat his verbis. Nisi pro sanis, ad remittendam, cùm vinorum, tum aquarum vehementiorem frigiditatem, vsurpatam calidam quoque fatemur, quando rationi consentaneum est, inter multos conuiuas fuisse, qui frigidissimo potu, alios qui subfrigido, egelidoue delectarentur, rursum alios, qui ab omnibus frigidis læsi, calidum amarent, & idcircò adhiberi in conuiuijs solitum fuisse calefactam, atque refrigeratam aquam, vt cuicunque, quàm magis optasset potus temperaturam, efficere liceret. Quod autem aliqui demonstrare sunt conati, aquæ calefactæ potum, quàm frigidæ iucundiorem esse, & ob delectationem potiùs, quàm ob salubritatem fuisse à veteribus vsurpatum, haud facilè persuadebunt illis, qui voluptatem potiùs, quàm sanitatem prosequuntur. hæc Mercurialis.

Qua de re quid mirum, si Heliogabalus, qui maximè fastum, atque delitias inter Imperatores Romanos semper adamauit, in suæ domus viridario montem excauari iusserit, vt in ipsum hybernas niues, & glaciem, ad æstus refrigerium reconderet, pro vt scripsit in eius vita Lampridius.

Galeni documentum de potu niue, vel fonte refrigerando.

Hac item occasione Galenus, quando in libro de Succorum bonitate, ac vitio, capite decimo tertio, scripsit de vino diluto, niueq; refrigerato, æstate vigente, sanis corporibus concedendo, fuit cum distinctione loquutus his nempè verbis. Neque vnus tamen sit vnicuique refrigerantis cibi, potusq; modus: Qui quidem niue vti consueuerunt, hac ipsa refrigerent antè, qui verò fontana, eadem hac recenti aqua vtantur, nulla nimis necessitate; sit porrò dilutum quoque vinum, ad hunc modum ante refrigeratum, sic namque vocare Medici solent vina anteà gelidissima aqua refrigerata, vase videlicet, quo vinum continetur, aquæ indito: Atque hæc ego ijs consulo, qui vitam negocijs plenam degunt, cuiusmodi sunt, qui gentibus, ac ciuitatibus regendis præsunt, horumque in primis ministri, nec sanè minùs, qui militiam exercent, aut iter longinquum ingrediuntur. At quicunque negocijs his soluti degunt, ijs, si quidem, vt soliti sunt, se exerceant, per quàm raro frigidæ vsus necessarius fuerit, qui si non exerceant, ac caloris

loris multum præsentiant, æstate vigente, tutò ij fontanam biberint, repudiata niue: nam tametsi ipsa statim nix noxa sensibili non videatur iuuenum corporibus officere, increscente tamen temporis processu, occulta paulatim noxa, vergente nempè ætate, articuli his neruique, ac viscera morbis corripiuntur, vix, aut nunquam sanandis; ita Galenus.

Potus niue refrigerati, temporis processu detrimentosi, ex Galeno.

Quiuis igitur sanitatis diù custodiendæ studiosus, nō ad calidum confugiat potum, frigidi, vel gelidi potus timore perterritus, hunc item non cupiat sola voluptate stimulatus, & ductus, sed vti perfectus naturæ suæ medicus, salubriorem, quem aliàs expertus est potum, nullo modo dimittat, modus enim sanitatem conseruans, prætereundus non est. Si qui tamen robustissimo corporis habitu, ac optima sanitate muniti, potu niue refrigerato, sine damno tunc euidenti, ne dum æstate vigente, sed toto etiam oblectentur anno, ijdem profectò declinante postmodū ætate, si ad eam peruenerint, delictorum præteritæ iuuentutis rarò pœnas effugient.

Sanitatis diu tutnæ cupidi, frigidone potu an calido vti debeant.

De Carnibus.

ANimalium domesticorum, & syluestrium carnes, quoniam ob differentes eorum qualitates, & naturas, viuentibus salutem non omnes afferunt, idcircò de salubribus pro humano victu eligendis, ac insalubribus recusandis, agendum breuiter est.

Salubres quidem carnes vniuersaliter dicuntur illæ, quæ ex iuuenibus animalibus tam pedestribus, quàm volatilibus, non solùm medium obtinent locum inter nimis pingues, ac nimis graciles, verùm etiam, quæ non laboriosè digeruntur, ac optimum viuentibus alimentum præbent: carnes enim valdè pingues, licet facilè concoctionem admittant, superfluis nihilominùs excrementis abundant, parumque nutriunt, quin immò appetitum deijciunt, nauseam excitant, ac digestionem perturbant: carnes verò valdè macræ vituperantur, siquidem animalia huiusmodi carnibus prædita, vel naturaliter malè se habent, vel ob prauum pascuorum alimentum, aut ob cibi defectum, ita macra facta fuere; quæ demùm carnes inter prædictas, medio modo se habent, vti cæteris præstantiores, ac iucundiores, temperatum etiam in sanguinem conuertuntur.

Carnes vniuersaliter salubres, quæ sint.

Carnium pinguium effectus.

Carnes cæteris præstantiores, quæ iudicentur.

Animalium domesticorũ, & syluestrium differentia. Animalia tamen domestica aliquantulum à syluestribus differunt, nempè quia domestica, calida sunt, & humida, syluestria verò calida quidem sunt, sed minùs humida. Ex omnibus tamen mascula, fœminis meliora censentur.

Animalia mascula fœminis meliora cẽsentur.

Animalia quadrupeda, & domestica, sanitati conferentia, quæ sint. Porrò inter animalia quadrupeda, & domestica, sanitati cõferentia recensentur lactentes vituli, vel etiam campestres, hædi, castrati, agnique annuales ex Auicenna, fen, & doctrina secunda, libri primi Canonis, in decimi quinti capitis fine. Verùm agni potiùs assi, quàm elixi sunt comedendi, pro vt etiam cuniculi, qui lepores item domestici nuncupantur. Quoniam tamen caro assa valdè nutrit, & sanguinem crassum gignit, ac laboriosè digeritur, ideò parcus sit eius vsus debili stomacho natis; Elixa quidem caro citò digeritur, & in alimentum satis laudabile transit. Attamen carnes valdè pingues, & humidæ, semper sunt in veru, vel furno coquendæ, quoniam ignis pinguedinem consumit, ac humiditatem diminuit. Macræ demùm carnes semper sunt elixandæ, nimirùm quia humiditas aquæ, carnis macræ siccitatem attemperat.

Carnis assæ qualitas, & effectus. Carnis elixæ vtilitas. Carnis valde pignis, & humidæ salubrior cocura, qualis. Carnis macræ salubrior coctura qualis: Aues domesticæ, sanitati magis conferẽtes, quæ sint.

Inter aues item domesticas, laudantur capones, gallinæ, quæ non dùm oua fecerint, de quibus Auerroes, quinto colliget, capite vigesimo tertio hæc refert. Melior caro ex volatilibus est caro gallinæ iuuenis, sanæ, & pinguis, & mirabilem habet proprietatem in temperando complexionem humanam, hæc Auerroes. His autem accedunt pulli gallinacei paruuli, coitum non dùm experti, nec non eorum præcipuè testiculi, pro vt etiam galli indi, qui tamen occisi aliquot post dies hyeme sub diò seruandi sunt, priùs quàm comedantur, deindè verò columbi, & eorum pulli, qui ambo senibus præcipuè conueniunt.

Animalia quadrupeda & syluestria, sanitati magis cõferentia, quæ sint. Quo ad animalia verò quadrupeda, & syluestria sanè conuenire possunt hyeme capreoli, leporesque iuuenculi plurium dierum interuallo mactati, & aeri nocturno expositi, de capreolis enim Isaac, vbi de vniuersali diæta sermonem instituit, hæc planè scripsit. Syluestria animalia non sunt sapida sicut domestica, præter capreolos, qui præstantiores alijs, ac sapidiores existunt, & idem Isaac citato in loco, lepores tantum pingues, & à natiuitate recentes, vtpotè cæteris meliores, pro victu humano commendat, nempè quia recens natiuitas naturalem eorum siccitatem attemperat.

Quo ad agrestes quidem aues, viuentibus idoneas, primatum

tum tenent phasiani, tum ob pretium, tum ob temperatam, quam habent naturam, satis eximiam impinguandi; hos autem Auicenna quinto Canonis libro, summa prima, tractatu primo de Theriacis, & confectionibus magnis, gallos existimauit esse syluestres; His tamen proximæ sunt starnæ, de quibus Rasis, tertio ad Almansorem Regem, capite quadragesimo tertio, ita scribens, hæc ait. Starnæ caro omni carne auium leuior inuenitur, atque his, qui subtili volunt custodiri regimine conuenientior, quoniam temperata est, ac purum sanguinem gignit, Magnis item laudibus celebrantur perdices, ac turtures iuuenes, nimirùm quia in vtrisque caliditas ad siccitatem vergit, tum etiam quia memoriam, & ingenium acuendi, tum denique deficienti senum calori subueniendi insita proprietas est; nec derelinquendæ sunt etiam auiculæ, in arboribus, ac montibus degentes, ac siccis, & apricis libenter in locis, victum trahentes, quæ faciliùs cibis quibuslibet (excepto vino, ac recentibus ouis) purissimum in sanguinem transmutantur, videlicet quia ob maximum earum exercitium, nec superflua pinguedine, nec excrementis abundant quarum præcipuè in numero sunt ficedulæ, turdi, merulæ, palumbi, galeritæ, hirundines, cardueles, passerculi, & huiusmodi scilicet aues, quas item Galenus, in libro de attenuante victus ratione, capite octauo, mirificè pro quotidiano victu commendat his quidem verbis. Passeres igitur, turdos, merulas, perdices, & reliquas id genus aues monticulas comedas. Quod quidem Galeni consilium quilibet diuturnæ sanitatis amator amplecti nō desinat, vnà cum prædictis quoque carnibus, quæ vrbanis, & nobilibus cuiùsque ætatis profectò viris, mentis præcipuè, & corporis exercitijs deditis moderatè omninò conueniunt.

Aues agrestes, viuëtibus salubriores, quæ sint.

Phasiani sūt galli syluestres ex Auicenna.

Starnæ qualitas.

Perdices, ac turtures, ingenio, & memoriæ, ac senibus præcipuè conferunt.

Auiculæ syluestres, viuentibus valde salubres, quæ sint

Insalubres demùm carnes cuiusuis animantium generis, intelligendæ sunt quęcunque temporis vetustate, terrestris alimenti naturam sortitæ fuerint, ipsæ met enim melancholicum, & adustum in sanguinem tranſmutantur, quemadmodùm profectò sunt carnes taurorum, ceruorum, caprarum, arietum, capreolorum, & castratorum, omnium vetustorum, pro vt etiam caro vaccina, & bubula, vel huiusmodi quælibet alia. Nam de carne vaccina Princeps Auicenna secundo Canonis libro, tractatu secundo, capite centesimo, quadragesimo quinto sic loquitur. Caro vaccina plurimi est nutrimenti, grossa, melancho-

Carnes vniuersaliter insalubres, quæ sint.

Vaccinæ carnis qualitas.

cholica, generans ægritudines melancholicas, & in dicti capitis fine. Caro vaccina, & ceruorum, & hircorum ſylueſtrium, & magnarum auium facit euenire febres quartanas; De carne tamen bubula Galenus tertio de alimentorum facultatibus, capite primo, hæc ait; Bubula verò alimentum ipſa quoque non exiguum, nec diſcuſſu leue preſtat; ſed ſanguinem craſſiorem quàm par eſt progignit. Verùm quo ad aues magnas, præcipuè vituperantur longum collũ habentes, ac in ſtagnis, ac lacubus, vel immundis in fluminibus vitam ducentes, propterea quod ipſarum caro excrementitia, duræque digeſtionis, ac melancolici ſit nutrimenti, veluti ſunt anates, anſeres, cygni, ciconiæ, milui, ſtruthiocameli, grues, pauones, & huiuſmodi. Qua de re Galenus tertio de alimentorum facultatibus, capite vigeſimo narrans de quodam ſophiſta, non tam argutè, quam contentiosè probare conante, ſtruthiocamelos nunc eſſe aues, nunc verò non eſſe, eo ſiquidem contempto, concludit eos demùm, & grues, & anſeres, multis abundare excrementis, ac difficillimè concoqui. Porrò ab his item pauones non differunt, qui ſi rectè conſiderentur, caput ſerpentis habent, caudam verò ſpecioſiſſimam, vocem tamen horrendo modo ſtridentem, turpes demùm pedes, ac veluti furtiuos mouent. Quamobrem ipſorum pulchritudo potiùs quàm probitas laudabilis eſt; ſi quis tamẽ extraneo veluti prægnãtiũ appetitu ductus, non ſolùm pauones, qui calidi ſunt, & humidi circa ſecundum gradum, verùm etiam vulpes, feles, mures, vel prædictas aues magnas deguſtare vehementer appeteret, ex quibuslibet ſemper iuuenes, ac pingues, vt potè minus malas eligat, ac aliquot poſt dies ab interitu macerandas hyeme ſub dio relinquat, ad hoc, vt concoqui poſſint, omnes enim carnem ſatis duram habent, ac ſanitati penitùs aduerſantur.

Bubulę carnis qualitas.

Aues magnę & inſalubres, quæ ſint.

Struthiocameli natura.

Gruis natura.

Pauonis qualitas, & conſideratio.

Vulpes feles, & mures, an comedendi.

Inſalubres item carnes iudicantur quælibet nimis frigidæ, vel humidæ, quarum in numero ſunt glires, herinacei, oues, agni nuper nati, atque porcelli, & his ſimiles; At ſues annuales, licet porcellis minùs humidi ſint, non ſunt omninò laudabiles, vt ait Galenus, ſeptimo Methodi, capite ſexto, his verbis. Porrò omnium, quos nouimus ciborum, maximè nutriens ſuilla caro eſt, verùm non æquè, ac prædicta, concoctu facilis eſt, præterea glutinoſum ſuccum, craſſumque generat, quod etiam confirmat Auicenna ſecundo Canonis libro, tractatu ſecundo, capite centeſimo, quadrageſimo quinto, vbi ſic dicit. Caro enim porci ſylueſtris, & domeſtici, ſecundum quod

Carnes nimis frigidæ, vel humidæ, iudicantur inſalubres.

Suillæ carnis qualitas, ex Galeno, & Auicenna.

Suillæ carnis cum humana, similitudo connaturalis, ex Auerroe, & Galeno.

quod dicitur, est velocis digestionis, & descentionis, est fortis nutrimenti, viscosi,& grossi. Sed vt dixit Auerroes quinto colliget, capite vigesimo tertio, suilla caro ex animalibus ambulantibus est magis homini naturalis, quod etiam optimè sciuit Galenus, dum tertio de alimentorum facultatibus, capite secundo ita scriptum reliquit. Suillæ autem carnis similitudinem cum humana, ex eo poteris intelligere, quòd quidam carnes humanas pro suillis, siue vlla in gustu, vel olfactu suspicione comederunt,id enim ab improbis hospitibus, & alijs quibusdam factum fuisse, iam compertum est. ita Galenus.

Suilla caro, quibus, & qua conditione cõueniat.

In gratiam igitur iucundi sapores, & gustus, ac humanæ item sympatiæ, satis cum suilla carne conuenientis, superflua eiusdem humiditas, priùs in virtute salis per diem aliquantulum exiccata, posteà verò diligenter torrefacta, hyeme quidem à sanis, & robustis hominibus, præsertim verò iuuenibus, poterit moderatè comedi, sicut & alijs non ita fortibus, calidam tamen, & siccam complexionem habentibus, poterit etiam aliquandò parcè concedi.

Animalium volatilium partes cæteris meliores, quæ censeantur.

Animalium præterea partes, aliæ sunt magis laudabiles, aliæ verò minùs laudabiles; Inter magis laudabiles, vt pote cæteris alijs partibus iucundiores, ac meliores, recensentur ex volatilibus, alæ, collum, & dorsum, nec non testiculi paruorum animalium, & iuuenum, veluti Phasianorum, & pullorum gallinaceorum, Perdicum, Pauonum, & similium; ex pedestribus item præstantiores habentur, hedorum, agnorum, ac vitulorum testes, qui omnes calidi sunt, & humidi. Ex ijsdem pariter animulæ, collum, humeri, dorsum,& nates sunt eligendæ, nimirùm quia hæc præcipuè membra soli exponuntur, & acri, valdèque exercentur. His quoque accedunt ex volatilibus, Gallinarum, Caponum, Columborum, Gallorum indorum, Anatum, Anserum, & huiusmodi animantium hepata. Ex quadrupedibus autem, Hædorum, Suum, Caprarum, Capreolorum lactentium similiter hepata, quæ omnia calida sunt, & humida, verùm elixa, nec valdè cocta sunt comedenda, vt meliùs in stomacho concoqui possint, licet sanguinem etiam crassum aliquantulum gignant. Linguæ verò Suum, ac Vitulorum lactentium, cæteris meliores habentur, ac temperatæ sunt qualitatis, probique nutrimenti, ac item facilè digeruntur.

Animalium pedestrium partes respectiuè meliores, quæ sint.

Linguæ animalium, quæ sint cæteris meliores.

Animalium partes minùs cæteris laudabiles, quæ sint.

Inter minùs laudabiles animalium partes, numerantur Caput,

put, Oculi, Cerebrum, Medulla, Cor, Pulmo, Mamillæ, Renes, stomachus, Lien, Intestina, & Pedes; Caput enim, & Oculi, frigidi sunt, & humidi, nec aliquali viscositate carent, meliori tamen nutrimento præ cæteris, constant Hædorum, ac Vitulorum lactentium Capita, & Oculi, vna cum Agnorum, ac Veruecum Oculis. Cerebrum quoque frigidum est, & humidum ex Philosopho, libro secundo de partibus animalium, capite septimo. De cerebro item Galenus tertio de alimentorum facultatibus, capite octauo, sic loquitur. Cerebrum omne, cibus est pituitosior, crassique succi, & tardè permeans, adcoquendum difficilis, non minimùm etiam cerebrum omne stomacho nocet, & nauseam excitat. hæc Galenus. Attamen cerebrum Gallinæ, seu Perdicis, vel Turturis, ac Starnæ, humano cerebro debilitato, memoriæ corroborandæ maximè confert, ac eò magis vnà cum eiusdem animalis corpore prodest. Sed Vitulorum, ac Hædorum cerebrum, vel Suum, & Arietum, initio cibi est comedendum, sale tamen, ac pipere, vel cinnamomo, etiamque aranciorum, siuè limonum succo, iusto modo conditum, ne frigido nocere stomacho, vel item nauseam excitare possit, siquidem cerebrum, dum rectè concoquitur, alimentum corpori non contemnendum præstare non desinit. Medulla verò, calida est & humida, de qua Galenus tertio de alimentorum facultatibus, capite nono, hæc ait. Medulla, quæ in ossibus reperitur, cerebro est dulcior, iucundior, ac pinguior, adeò vt, si ea inter se comparando gustes, putaturus sis, cerebrum austerum etiam aliquid inter se habere, porrò medulla nauseam prouocat, si liberaliùs sumatur, quemadmodùm & cerebrum, nutrit tamen & ipsa, si probè conficiatur. hæc Galenus. Ex cuius verbis raro medullam, & in pauca quantitate, pro sanitatis regimine comedendam censeo. Cor tamen calidum est, & siccum, ac difficilis digestionis. At pulmo frigidus est, & humidus, ideòque phlegmaticum, ac paucum viuentibus alimentum præbet, cuius item qualitatis existunt mamillæ, licet magis nutriant, ac difficiliùs digerantur, ex Galeno, tertio de alimentorum facultatibus, capite sexto. Sed renes calidi sunt, & sicci; prædictisque animalium partibus vti peiores iudicantur, tum ob iniucũdum saporem, tum ob paruum, quem producunt humorem, satis in digestione laboriosum; renes hædorum tamen, ac suum, quibuscumque meliores existimantur; Ab ijs item non differunt stomachus,

Cerebri cuiusuis qualitas, ex Galeno.

Cerebrum gallinæ, seu perdicis, vel turturis, memoriæ corroborãdæ mirificè prodest.

Medullæ cuiusuis qualitas, & facultas in cibo, ex Galeno.

Cordis qualitas, & facultas in cibo.

Pulmonis qualitas, & facultas in cibo.

Mamillarum qualitas, & facultas in cibo.

Renum qualitas & facultas in cibo.

Stomachi, lienis, & intestinorum qualitates, & facultates quo ad cibum.

chus, lien, & inteſtina, omnia quidem frigida, ſicca, neque concoctu facilia, quæ minimum prætereà ſanguinem, paruumque producunt. Animalium denique pedes, glutinoſum aliquantulum gignunt humorem, ad temperatum accedentem, ſed quia valde neruoſa conſtāt natura, poſt longam, & perfectiſſimam in aqua, ſine ſale cocturam, modico iterùm aceto, ſale, ac pipere ſunt præparandi, potiſſimùm verò vitulorum, ſuum, atque veruecum pedes, tanquam cæteris meliores, vt hoc ſcilicet modo appetitum excitent, ac faciliores concoctu reddantur, nec non item aluum emollire quandoque poſſint, dummodò cibi initio parcè ſumantur.

Pedum qualitas, & facultas, eorumque præparatio melior, quo ad cibum.

De Piſcibus.

VNiuerſaliter piſces, cæteris animantibus frigidiore conſtant natura, propterea quòd pauciſſimo, uel nullo ſint ferè ſanguine præditi, Galeno teſte, ſexto de uſu partium, capite nono; ſed quia præter frigiditatem, humidam quoque naturam retinent, prepterea frigidum, & humidum uiuentibus alimentum reddunt, quod quidem reſpectu carnium, magis excrementitium eſt, ac minùs etiam nutrit, itemque ſitim non rarò excitat, præſertim cùm debita piſcium quantitas in cibo tranſcenditur, uel ob longam in ſtomacho moram, aliquando corrumpitur. Quamobrem piſces, non uti carnes humanis corporibus conferunt. Nam ut ait Hippocrates, uel Polybus eius diſcipulus in libro de affectionibus, numero quadrageſimo ſexto. Piſces leue ſunt edulium, & cocti, & aſſi, & ipſi per ſe, & cum alijs cibis, ipſi uerò inter ſe ipſos ſic differunt; ſtagnorum piſces, & pingues, & fluuiatiles grauiores ſunt. Littorales autem marini, leuiores, & percocti aſſatis ſunt leuiores. hæc Hippocrates, uel Polybus.

Piſces frigidiore conſtant natura cæteris animantibus, ex Galeno.

Piſces, leue ſunt edulium, ex Hippocrate.

Verùm inter magnos præſertim piſces, partes aliquæ non parum inter ſe differunt ex eodem Hippocrate, ſecundo in libro de diæta, numero duodecimo, his quidem uerbis. Ex piſcibus ſicciſſimæ ſunt ſupernæ partes, leuiſſimæ ſub uentre, & capita ipſorum humidiora ſunt propter pinguedinem, ac cerebrum. hæc Hippocrates.

Piſcium partes, diuerſæ ſūt qualitatis ex Hippocrate

Piſces prætereà ſimul cum carnibus, aut lacticinijs, uel ouis, comedendi non ſunt, quoniam ſanitati aduerſantur, & eò magis,

Piſces vnà cum carnibus, lacticinijs, & ouis, comedendi non ſunt.

gis, qui in lacubus, stagnisque cœnosis, ac putridis morantur in aquis, quemadmodùm sunt Anguillæ, Capitones, Ranæ, Tinchę, ac similes. Inter crustaceos verò pisces, Canchri, Astaci, seu Cammari, sicuti quælibet conchilium, seu testaceorum sub nomine piscium genera, veluti sunt Limaces, Tellinæ, ac Ostrea, quibus in ambobus tantùm postremis, ob salsum in carne succum, quandoque aluum subducendi vis est, Galeno teste, tertio de alimentorum facultatibus, capite trigesimo tertio, quippe qui etiam in libro de bonitate, & vitio succorum, capite nono, de Anguilla sic narrat. Anguilla etiamsi ex aqua pura sit; nedum ex ea, quæ ciuitatis alicuius purgamenta excipit, boni succi edulium non est; ita Galenus, cuius item ratione de Ranis idem dicendum est. Has enim intestinorum dolorem, ac vrinæ difficultatem comedentibus commouisse, non rarò sum expertus, cuius efficientem profectò causam iudico, quia ex putredine nascuntur, ac cœnosis, & fœtidis in aquis vitam ociosam degunt. Si qui demùm satis, superque incolumes reperiantur, qui prauis huiusmodi piscibus mucosis, & excrementitijs, atque concoctu laboriosis libenter vescantur, id item contigit, quoniam ijdem vtpote sibi met ipsis omninò indulgentes, licet vitæ diuturnitatem sanè cupiant, modum tamen, ac viam eiusdem consequendæ recusant, & negligunt.

Anguillæ qualitas, ex Galeno.

Ranæ, vrinæ difficultatem, ac intestinorum dolorem quandoque gignũt.

Quamobrem vituperandi similiter, ac fugiendi sunt Polypi, Squatinæ, Loligines, Raiæ, Sepiæ, similesque plani, & cartilaginosi pisces, duræ digestionis, prauique alimenti, sicut & Capitones, de quibus Aristoteles octauo in libro de historia animalium, capite secundo sic refert. Capito, & Mugilis, soli, carne omninò abstinent, & paulò inferiùs hæc verba subscribit. Pascuntur limo omnes Capitones, quo fit, vt graues, & sordidi sint. Notandum hìc tamen est, Cephalum, seu Mugilem, vel Capitonem pariter dictum, licet palato gratum, perfectũ in sanguinem non conuerti, nec eiusdem esse speciei cum Capitone ab Aristotele supra narrato, quoniam ibi Capitonem à Mugili omninò distinguit.

Capito & Mugilis differunt inter se, per Aristo. clem.

Si quis autem percontaretur vtrum Testudines, Limaces, & Cancri, quemadmodùm prosunt Hecticis, ita etiam conueniant sanis, diuturnam, & inculpatam requirentibus præcipuè vitam.

Respondetur Testudines, Limaces, & Cancros, Hecticis, non tan-

tanquam cibum, sed veluti medicamentum prodesse. Quod autem prout cibus non prosint, ratio est, quia cum naturalis Hecticorum calor sit debilis, atque in dies valde deficiat, idcircò facilis concoctionis, & optimi nutrimenti cibum, pro humidi radicalis deperditi substitutione requirit, verùm Testudines, Limaces, & Cancri, cùm sint cibi difficilis digestionis, ac phlegmaticum, & melancholicum gignant humorem, Hecticis propterea tanquam cibus non conueniunt, sicuti nec sanis, & phlegmaticis, præcipuè viris, & melancholicis, cæterisque diuturnam, & inculpatam requirentibus valetudinem, ob allatam à Galeno rationem, vltimo in loco citato. Quòd verò Testudines, Limaces, & Cancri, prosint Hecticis, veluti medicamentum, ex eo patet, quia omnes copiosa humiditate, ac mucoso lentore, febrilem extensiuè calorem, in Hecticis confirmatum, humectare, solidorumque membrorum colliquationi subuenire, ac vehementer resistere possunt, pro vt ex ijsdem pariter aqua per Mariæ balneum extracta mirificè prodest.

Veruntamen quia tempore quadragesimali, cæterisque statutis de Christiana Lege ieiunijs, homines inculpata sanitate viuentes, piscibus vesci solent, propterea de salubrium electione inter Fluuiales, & Maritimos agendum nunc superest.

Fluuiales igitur inter pisces, digni sunt laude saxatiles, quique in aqua fluminis rapida viuunt, atque capiuntur. Horum enim caro minùs excrementitia, atque mucosa remanet, quemadmodùm tertio de alimentorum facultatibus, capite vigesimo octauo, Galenus refert his verbis. Porrò alimentum, quod ex eis sumitur, non modò ad coquendum est facile, verùm etiã hominum corporibus saluberrimum, vt quod mediæ constitutionis sanguinem procreet, medium autem voco sanguinem, qui neque admodùm tenuis est, neque aquosus, neque vehementer crassus; Tales enim minùs nocui sunt, atque in torrẽtibus capiuntur, & præsertim, vbi saxorum copia abundat. Ex quibus Galeni verbis, inter huiusmodi conditionis pisces possunt meritò recenseri Carpio, Perca, Scarus, Lampetra, Trutta, Lucius, similique generis pisces, quouis modo conditi, iuxtà gustus, & gulæ stilum, ac sanitatis etiam custodiam. — *Piscium Fluuialium alimentum quale ex Galeni sententia.*

De Carpione siquidem pisce, celebris fama est apud Benacos, esse lacum Cisalpinæ Galliæ, vbi solummodò hic reperitur piscis, valde peculiaris, & bonus, eò quòd aureas euolat arenas, ac ijsdem victitet. — *Carpionis piscis fama.*

O De

Percæ piscis laus.

De Perca verò lautissimo pisce inter saxatiles, Ausonius in Mosella sic cecinit.

Nec te delicias mensarum Perca silebo.

Scari piscis, peculiaris natura.

Scarus item piscis, tanquam rarus celebratur cibus, quoniã hic solus herbis, nec alijs piscibus vesci, ac etiam rúminare dicitur, de quo sapienter quidem Oppianus hæc protulit.

Scarus saxa frequentat,
Qui mites inter pisces, clamore tremendo
Intonat, & solus pallentes ruminat herbas.

Huic etiam accedit Lampetra piscis, ita dictus, eò quòd in aquis, circa petras frequentissimè reperiatur, ac eas quasi lãbere videatur.

Pisces maritimi vniuersis aquæ dulcis piscibus meliores habentur.

Maritimi verò pisces vniuersis aquæ dulcis piscibus meliores vtique censentur, propterea quòd ob aquæ salsedinem minùs humidi existant, quamobrem ipsorum nutrimentum carnium alimento magis accedit.

Inter maritimos, & fluuiatiles item pisces, tam squamosi, quàm petrosi, & parui potiùs, quàm magni, salubriores habentur, quique prætereà saxosis in locis,& libero, altoque in mari huc illuc ventorum impetu agitantur, & viuunt. Nam vt dixit Galenus tertio de alimentorum facultatibus, capite vigesimo quarto; In mari quieto, nullisque agitato fluctibus, tantò piscium caro fit deterior, quantò minùs exercitatur, & vigesimo nono in capite prædicti libri, de piscium electione sic loquitur. Præstantissimus autem piscis ad voluptatem, concoctionem, distributionem, & ad succi bonitatem est,qui in arenosis littoribus, ac saxosis viuit.

Pisces, inter maritimos, vel fluuiales,cæteris præstantiores,quales habeantur.

Attamen præter hæc, maritimi, vel fluuiatiles quoque pisces, non duræ, nec siccæ carnis, multæque pinguedinis, verùm friabilis, mollisque carnis, bonique odoris, & saporis præcipuè laudantur, quemadmodùm inter maritimos numerantur Sturio, Lupus, aut Variolus, vulgò Spigola, Gobius, Erythrinus, Aurata, Sarda, Lingulaca, Dentalis, Cuculus, vulgò Capone, Mullus, vel Trigla, de quo pisce, Plinius libro nono Naturalis Historiæ, capite decimo septimo, sic refert. Gratia maxima est, & copia Mullis, sicut magnitudo modica,binasque libras ponderis raro admodùm exuperat, pauló tamen inferiùs hæc pergit. Asinius Celer, è Consularibus,hoc pisce prodigus, Claudio Principe,vnum mercatus octo millibus nummorum. hæc Plinius. Ab his autem parum differunt Zilia, Vopa,

pi-

piſcis Palumbes, piſcis Merulutius, & genus omne, ſub Fri-ctur æ nomine piſcis.

Verùm, quia modus comedendi cibos, non minimùm ſanitati confert, itemque vita meliùs hac protrahitur via, ſalubriorem idcircò modum, & regulam, circa rectum piſcium vſum, vniuerſaliter docendam neceſſariò decreui.

Qua de re, cùm vniuerſæ hominum complexiones inter ſe, quadrupliciter diſtinguantur, videlicet, in ſanguineas, in bilioſas, in phlegmaticas, & in melancholicas. Inter has quidẽ, piſcem quouis modo coctum, phlegmaticis magis, quàm melancholicis aduerſari certiſſimum eſt, & eò magis, ſi ſtomacho fuerint imbecilli: ſanguineis verò, & præcipuè bilioſis, plurimùm conferre indubitatum eſt. Ad hæc obſeruanda eſt etiam conſuetudo in religioſis potiſſimùm viris, atque virginibus, in clauſtris incluſis, & piſce viuentibus, præter plurimos item in ſeculo, qui piſcibus perſæpè veſcuntur. Etenim conſuetudo eſt altera veluti natura, parum, vel nihil offendens, teſte Hippocrate, ſecũdo Aphoriſmorum quinquageſimo. his verbis. Quæ multo tempore, conſueta ſunt, quamuis peiora nõ aſſuetis, minùs moleſtare ſolent.

Piſcium vſus, quibus minus, aut magis conueniat.

Veruntamen iuxtà communem Medicorum doctrinam, primo vtique loco piſces in craticula cocti, magis quauis alia coctura celebrantur, quandoquidem ſiccus, & adurens ignis, excrementoſam ipſorum humiditatem diſſipat, atque conſumit, quod quidem elixis, aut frixis piſcibus contingere minimè poteſt. Secundo verò loco piſces elixi ſalubriores frixis habentur, elixi enim poſſunt ægrotis quandoque concedi: In corporibus tamen ſanis piſces frixi, vtpote meliores, & iucundiores, anteponuntur aliis, pro vt etiam elixis, ex Galeni ſententia, libro tertio, de alimentorum facultatibus, capite trigeſimo, his verbis expreſſa. Quibus verò inculpata eſt ſanitas, ijs piſcium in ſattagine frixorum; ſecundo loco ſuper craticula aſſorum præparatio eſt accommoda; poſtremò autem elixorũ præparatio ægrotis ipſis accommoda eſt; Ex qua demùm Galeni ſententia, qui optima ſanitate fruitur, piſces non ſolùm frixos, verùm etiam quouis modo conditos, & eò ipsò coctos, & calentes, potiùs, quam refrigeratos, ad libitum comedet. Quoniam ſanus homo, qui, & benè valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque Medico, ſicuti primo in capite libri primi, Celſi omninò voluntas apparet.

Piſcium coctura ſalubrior, qualis.

Piſces quouismodo cocti, & conditi, quibus concedantur.

O 2 Ni-

Nihilominùs quia tum hic de sanitate tuenda, tum proroganda agitur vita, propterea quisquis iuxta suæ naturæ qualitatem, ac vires, vtilitatem experiatur, vel damnum, iustus item sit iudex, ac se met ipsum regere discat, si diù viuere sanus velit.

De Sale, & omnibus Salitis.

Sal, calidus est, & siccus, in secundo gradu.

QVemadmodùm semper in Mundo Iuppiter pro salute viuentium, (vt antiquitas credidit) & pro vita semper anima prærequiritur, ita propemodùm sal, qui calidus est, & siccus, in secundo gradu, pro ciborum ferè omnium condimento, ac iucunditate, humanæ omninò vitæ necessarius est; salem enim prudenter adhibitum, ciborum animam sapienter vocauit Heraclitus; Quinimmò Mercurialis nostra tempestate Medicus valdè insignis, in quinto Prælectionum libro, propè octaui capitis finem, cibos etiam sale conditos ægrotantibus concedit his verbis. Siquidem existimo febricitantibus omnibus posse impunè concedi cibos, modico sale percoctos, modò tamen sal administretur, non vt dapes fiant salitæ, sed vt adimatur insipiditas, & iniucunditas a cibis; hæc Mercurialis.

Salem ciborum animam vocauit Heraclitus.

Sal vtrum febricitãtibus possit impune concedi, ex Mercuriali.

Salita, quænam sanitati aduersentur, & quos producãt effectus.

Verùm quo ad omnia salita; si fuerint nimis dura, vel sicca, vel nimis item salsa, tunc sunt, ac erunt omninò fugienda, siquidem quæcunque nimia siccitate vnà cum salsedine prædita, sanitati vehementer obsunt, nimirùm quia sitim excitant. visum debilitant, sanguinem adurunt, coitum minuunt, cutaneos producunt affectus, veluti pruritum, scabiem, vel impetiginem, itemque vrinæ ardorem, & excoriationem in penis ductibus, vel dolorosas etiam per secessum excretiones gignunt, sicuti scribit Rasis, tertio ad Almansorem, in capite de sale. Quid mirùm est item, si prægnantes dum sale immodico vsæ fuerint, sine vnguibus fœtus pariant, Philosopho teste, septimo de Historia animalium, in quarti capitis fine; si verò fuerint parùm salita, & mollia; dummodò parcè adhibeantur, non omninò prohibentur, de Celsi mente, dicentis, principium cibi debere esse à salsamentis, secundo in capite libri primi. Ad hæc respicienda est etiam consuetudo, quandoquidem salita consueta, sunt plùs prouocantia appetitus, vt scribit Auicenna, tertio Canonis libro, fen de-

Salitorũ frequens in prægnãtibus vsus, fœtus sine vnguibus nasci permittit, ex Philosopho.

Salita, quænam sanitati non obsint.

cima tertia, tractatu secundo, capite nono. Galenus item in libri tertij de alimentorum facultatibus, capite quadragesimo primo, inter quascunque salitas animalium carnes; præcipuè suillas, ætate florentes commendat, sicut etiam inter vniuersos pisces, sardiaca salsamenta peculiariter celebrat, à quibus tamen non differunt halices, & his pariter accedunt Gracculi, Pelamydes, Myli, & Aselli, & quælibet saxatina dicta vtpote quæ præ cæteris salitis crassam pituitam in stomacho existentem incidere, ac superfluas humiditates leuiter exiccare toto in corpore possunt, pro vt etiam appetitum excitant, nauseam prohibent, putredini resistunt, flatus discutiunt, ac ventriculi munus in concoctione corroborant. Salita quibuscunque salitis meliora, quæ sint ex Galeni sententia.

Porrò quæcunque salita, sunt etiam arte paranda, & corrigenda, remouendo eorum salsedinem, tum per elixationem, tum per longam infusionem, & ablutionem in aqua, toties iterata, donec salis acrimonia satis ablata, per olei, & aceti, vel acidorum succorum, veluti aranciorum, agrestæ, aut limonum condimentum, gustui grata reddantur, ideoque oua taricha, & halec, seu garum, vulgò, caniarum, & huius generis alia, prædictis quoque succis, & oleo parata, iucundiora quidem, & salubriora fiunt. Attamen qui diuturnam, & incolumen cupiunt vitam, quique gracili præsertim habitu, & imbecilli cōplexione sunt præditi, raro huiusmodi vescantur cibis, qui etiam hyeme potiùs, quàm æstate cōuenire videntur. Salita omnia, qua arte sint corrigenda.

De Oleo, & Aceto.

OLeum ex oliuis benè maturis diligenter confectum, calidum est, & humidum in primo gradu, quando autem inueterascit, calidius est: Attamen quoniam ob substantiæ raritatem, ac leuitatem, innatat super aquam, & ardet, idcircò quintæ veluti essentiæ virtutem retinet, ac pro necessario victu, humanæ saluti, tanquam butyro magis vtile, confert, præter quàm quòd etiam ad vncias quinque, vel sex potatum, cuilibet veneno est vtile, illudque per vomitum, vel secessum ex corpore pellit, & pro vt ait Auerroes in capite proprio quinti libri Colliget; Oleum impinguat, & augmentat substantiam hepatis, & generaliter est conueniens homini multùm, secundùm substantiam suam: Olei qualitas. Oleum est veluti quinta essentia, & butyro meliùs est, & cuilibet veneno confert.

Ace-

Aceti quali-tas diuersa, iuxta vinorum diuersitatem.

Acetum verò licet ex frigida, & calida substantia sit mixtum, eius tamen frigiditas prævalet, ac magna desiccandi vi pollet: Attamen quando ex debiliori vino, nec antiquo constiterit, tunc magis frigidum erit, dum verò ex potentiori, & antiquiori extiterit vino, minùs quidem frigidum erit habendum, vel ad calidum potiùs tendet, pro vt colligitur ex Galeni, & Auicennæ locis nunc adducendis: nam primo de alimentorum facultatibus capite vigesimo, & sequentibus, Gale. diligētissimus artis medicæ perscrutator, de aceto sic ait: Acetum mistæ esse substantiæ, nempe frigidæ, pariter, & calidæ, eiusque vtriusque tenuium partium, demonstratum est: cæterùm calidam frigida exuperat: Porrò magnam desiccandi facultatem obtinet; adeò vt sit tertij ordinis desiccantium iam completi, vtique cùm validum extiterit. hæc Galenus, qui hac de re libro vndecimo de simplicium medicamentorum facultatibus, capite de pinguedine, & adipe, sic etiam ait. Vinum, mel, acetum, caseus, butyrum, adeps, & oleum, vetustate, & calidiora, & tenuioris essentiæ efficiuntur, ac proinde gustantibus apparent acriora, & ad inueteratos, ægrèque solubiles affectus adhibentibus, potentiùs digerentia; Hoc item confirmat Auicenna, secundo Canonis libro, tractatu secundo, capite septuagesimo septimo, his quidem verbis: Acetum natura est compositum ex caliditate, & frigiditate, & ambæ substantiæ sunt subtiles, & frigiditas quidem est magis dominans, & illud, in quo est acredo, est calidius, si verò non est, est frigidum, & humidum, & decoctio minuit de eius frigiditate aliquid, est fortis exiccationis, & prohibet effusiones materierum ad interiora, & subtiliat, & incidit, hæc Auicenna.

Acetum mista substantiæ est, nempe frigidæ, pariter, & calidæ, ex Galeno.

Acetum quando calidius, ex Galeno.

Acetum quando frigidum, & humidum, ex Auicenna.

Aceti vsus, viris ne, an mulieribus magis conueniat.

Verùm aceti vsus, viris ne, an mulieribus magis conuenire videatur, rectè decernit Hippocrates tertio de ratione victus in morbis acutis, textu trigesimo octauo, & trigesimo nono: nam quoad viros pertinet, primo in loco citato sic definit; vt autem in summa dicatur, quæ ab aceto est acredo, pichrocolis, id est biliosis magis, quàm melancholicis prodest, amara siquidem dissoluuntur, desciscuntque in pituitam, cum ab aceto in sublime attolluntur, nigra autem fermentantur: Quo ad mulieres autem secundo in loco citato Hippocretes concludit his verbis: Mulieribus autem longè magis, quàm viris aduersatur acetum, nam vterum dolore afficit,

cit, hæc Hippocrates, Ex cuius vtique verbis colligitur biliosis cõplexionibus acetum idcircò prodesse propterea quòd sua frigiditate biliosum humorem, natura calidum, & siccum, valdè refrigeret, melancholicis autem naturis aduersari, videlicet quia melancholicum humorem naturaliter frigidum, & siccum, vehementer auget acetum, quod mulieribus item ratione vteri nocet, vt pote qui valdè sensiles habens partes, atque neruosas, ab aceti frigiditate, neruis inimica, vnà cum tenui siccitate, vi penetrandi adiuncta, facillimè læditur; etenim vt ait Hippocrates quinto Aphorismorum libro, Aphorismo decimo octauo. Frigidum inimicum ossibus, dẽtibus, neruis, cerebro, & spinali medullæ: calidũ verò vtile: Porrò graciles, & extenuatæ complexiones, aceti vsum recusent, pro vt etiam qui coitum sæpenumerò exercent, vel visus, ac neruorum, & stomachi debilitatem patiuntur, acetum præterea pectus, iecur, intestina, & vesicam lædit, maciemque pariter, ac senectutem accelerat: timeant ideò frequentem aceti vsum, qui longæua frui sanitate vehementer cupiunt.

Acetum cur melancholicis noceat.

Acetum cur mulieribus obsit propter vterum.

Frigidum, quibus inimicum, ex Hippocrate.

Aceti detrimenta.

His tamen non obstantibus, acetum eximijs item virtutibus est præditum, siquidem vt inquit Auicenna primo Canonis libro, fen tertia, doctrina quinta, capitulo vnico, & summa prima. Aceto in cibo, & potu vti in pestilentia, est nocumenti ipsius securatio: vt autem apud Medicos experientia notissimum est, acetum præcipuè desiccat, tenaces, ac viscidos incidit humores, phlegma digerit, obstructiones aperit, lieni confert, putredini resistit, appetitum prouocat, digestionem adiuuat, & stomacho calido, & humido conducit. Hæc igitur, & similia bona ab aceto, debito modo administrato fiunt, quemadmodùm confirmat etiam Dioscorides quinto in libro, vndecimi capitis initio, his quidem verbis. Acetum refrigerat, & astringit, stomacho est vtile, & appetitum excitat, erumpentem vndique sanguinem potu, infesuue sistit, cum cæteris prædicto in capite contentis.

Aceti virtutes, ex Auicenna, & alijs Medicis.

20

De Saccharo, & Melle.

Saccharum, iuxta cocturæ diuersitatem, plùs, minùsue calidum, vel etiam temperatum dici potest, quandoquidem primam, secundam, ac tertiam, vt plurimum cocturam recipit;

Saccharum quando calidum circa primum gradum, vel temperatum dici potest.

pit, per primam vtique coctúram, calidum in fine primi gradus existit, per secundam verò minùs calidum, per tertiam denique temperatum euadit, propterea quòd subtiles, & igneæ sacchari partes per vlteriorem coctionem resolutæ magis fuerint, ac idem saccharum idcircò temperatam, acquisiuerit qualitatem, quod item si fuerit antiquum respectu noui, maioris tum caliditatis, tum etiam siccitatis particeps erit.

Sacchari virtutes.

Præ cæteris igitur eligendum est saccharum ad tertiam vsq; coctură arte paratum, quod in albos, & speciosos redigitur panes. Hoc enim pro vt decet adhibitum, stomacho, tam frigido, quam humido, vel sicco maximè prodest, calido verò non item, pectus etiam lenit, phlegma digerit, visum acuit, emollit ventrem, renibus, & vesicæ confert, obstructiones aperit, quouis tempore conuenit, & magis melle nutrit, omnibusque pariter cibis saccharum requirentibus, gustui satis gratum, atque iucundum est condimentum: Attamen in oris amaritudine cum siti, & in biliosis præcipuè naturis, ob periculum conuersionis in bilem, tutò adhiberi non potest, prout patet ex Auicenna, secundo Canonis libro, tractatu secundo, capite septingentesimo quinquagesimo quinto, vbi sic loquitur: Zuccarum quid est? Arundo zuccari, in natura zuccari existit, & est vehementioris lenificationis quam ipsum; & paulò inferiùs dicere sic pergit. Zuccarum est bonum stomacho, in quo non generatur cholera, ipsum enim lædit, propterea quia ad choleram conuertitur, & est aperitiuum oppilationum, & in ipso est virtus faciens sitim, minorem tamen sitim, quam facit mel propriè antiquum, sic Auicenna.

Saccharum quando, & quibus non conuenit.

Saccharum quid sit, ex Auicenna.

Saccharum excitat sitim.

Mellis qualitas

Mel antem calidum est, & siccum in gradu secundo, eligendum tamen est colore aureum, suaui dulcedine gratum, & odore fragrans, ex Virgilio, Georgicorum quarto, dum ait.

Feruet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

Veruntamen primatum tenet in mellis genere vernum, deinde æstiuum: hybernum verò, vtpote quod crassius constet, deterrimum, reputatur a Dioscoride, libro secundo, capite septuagesimo quarto, licet Aristoteles quinto de historia animalium, capite vigesimo secundo, mel autumnale satis celebret, crudum tamen ventrem inflat, doloresque colicos infert, tussim irritat, hepatis, ac lienis ostructiones, & febres gignit, ideòque diligenter coquendum, ac despumandum est, quoniam ita paratum, & sumptum abstergendi vim habet, pul-

Mellis crudi documenta.

Mellis despumati vtilitates.

pulmoni, ac pectori præstò esse non desinit, crassos per sputum, atque secessum educit humores, obstructiones aperit, vrinam prouocat, phlegmaticis, frigidisque complexionibus, ac senibus maximè confert, verùm calidis aduersatur naturis ex Galeni sententia, septimo Methodi capite septimo his verbis: Quin, & mel ipsum despumatum, per se optimum nutrimentum frigido ventriculo est, ita, vt calido aduersissimum.

Sed quia dulcia sicut mel, & saccharum, facilè conuertuntur in bilem, in stomachis præcipuè biliosis; Mel quidem ob suam caliditatem, ac siccitatem, biliosæ naturæ valdè cognatam, Saccharum verò propter suam temperatam qualitatem vicissim in bilem libenter permutabilem, idcircò euitentur ambo, vel parcius eorum sit vsus in prædictis, pro vt etiam cuiusque cibi, ijsdem met ipsis conditi. Porrò mel hyeme tantùm conuenire videtur, æstate verò, pro vt quouis etiam tempore, saccharum complexionibus præsertim frigidis, cæterisque prædictis est concedendum, quandoquidem vtrunque viuentibus nutrimentum laudabile præstat, ideòque mirùm non est, sapientissimum Pythagoram præcipuè melle, vel fauo, & pane sæpissimè contentum vixisse, sicuti de Philosophorum vita, octauo in libro Laertius narrat.

Mel, & saccharum facilè conuertuntur in bilem.

Pythagoras melle sæpissimè vescebatur.

De Saporum, & Aromatum Condimentis.

AD appetitum quandoque deperditum, vel gustum penè sopitum in viuentibus excitandum, & ad sanitatis etiam tutelam, non minimùm possunt diuersa saporum, cum aromatibus condimenta, quibus vnà cum carnibus, vel piscibus, prædicta vrgente necessitate, humana corpora vti necessariò debent, aliàs autem damnantur tanquam superflua gulæ irritamenta, inexplebilem ciborum auiditatem, non sine pernicie, mortalibus afferentia, quandoquidem onerato magis ventre, quàm par est, sanus totius corporis status paulatim decidit, siquidem vt dixit Hippocrates libro sexto de Morbis popularibus, sectione quarta; Exercitatio sanitatis est, vesci citra saturitatem, non refugere laborem.

Saporum condimenta quibus concedenda.

Sanitatis effectus, quales ex Hippocrate.

Veruntamen æstiuo potiùs tempore sapores ad frigidum

Sapores diuersos iuxta temporum diuersitatem eligendi.

 ten-

tentes, erunt data opera eligendi, veluti sunt, qui modò ex agrestæ, vel granatorum, aut limonum succis conficiuntur, modò ex aceto cum tantillo piperis, ac cinnamomi, & comis petroselini, serpylli, anethi, sampsuchi, mentæque simul cum saccharo, & panis mica leuiter assa, de coquorum arte, vel more, iuxtà complexionum diuersitates, plùs, minùsue parantur sapores, pro carnibus edendis non ingrati; Pro piscibus item fiunt condimenta ex oleo, sale, aceto, sapa, caryophyllis, croco, saluia, & roremarino, quæ omnia ad vnicum feruorem simul mista, coctisque piscibus imposita, quouis anni tempore gustui non ingrata redduntur; Hyeme verò sapores ad calidum vergent, inter quos locum principem tenet qui priùs ex vuuis, pomisque dulcibus in lebete coctis conficitur, additisque deindè corticibus aranciorum, & pulpa citri, ambobus diligenter melle conditis, cum aromatibus tandem, & sinapi puluere, in aceto, vel feruenti aqua macerato, sapidum adipiscitur condimentum satis palato iucundum, ac vulgò dicitur (mostarda cedrata;) prædictis igitur similibusque saporibus, licet non omninò sanitati conferentibus, prostratus nihilominùs appetitus, poterit humanis in corporibus opportunè reparari, quoniam vt scripsit Hippocrates libro secundo Aphorismorum, vigesimo octauo Aphorismo; paulò peior, sed suauior cibus, ac potus, meliori quidem, at ingrato præferendus.

De Ouis.

Ouorum e... dicto qualis, videlicet: ex gallinis, phasianis, perdicibus, ac etiam starnis.

OVa profectò, quæ ex gallinis iuuenibus, & pinguibus, itemque Phasianis, Perdicibus, Starnisque fiunt, cum recentia fuerint, ac mediocriter cocta, veluti sunt tremula, vel sorbilla dicta, nec non ob albuminis viscíditatem sacchari tantillo condita, vt celeriùs nutriant, dummodò ante alios comedantur cibos, cæteris præstantiora modis habentur, quoniam optimi succi, ac concoctionis alimentum conualescentibus, ac senibus præbent, ipsorum tamen albumen frigidam, & astringentem virtutem retinet, glutinosumque gignit alimentum: sed oui luteum, temperatum est, ac inter vniuersos quidem cibos, virium, ac spirituum defectui, quauis de causa contingenti mirificè subuenit, Auicenna teste in libello

Oui albumen frigidum, & astringens est, sed eius luteum temperatum est.

bello de Viribus cordis, tractatu secundo, capite de ouis, his nempè verbis; Oua quamuis medicina non sint, ad confortationem cordis tamen recipiuntur, ipsum enim valdè confortant, vitella videlicet, dummodò tamen accipiantur ex ouis volatilium laudabilis carnis, sicut Gallinæ, ac Perdicum, & Starnæ, & Phasiani, ista enim vitella temperatæ complexionis sunt, quibus tria conueniunt, scilicet velociter in sanguinem transmutari, & parùm superfluitatis post transmutationem relinquere, & sanguinem generare conformem sanguini, quo nutritur cor. hæc Auicenna.

Ouorum qualitas, & effectus ex Auicenna.

De ouis item Galenus agens tertio in libro de Alimẽtorum facultatibus, capite vigesimo secundo, sic scriptum reliquit; Tremula igitur ad nutriendum, omnium sunt præstantissima, sorbilia autem minùs quidem nutriunt, sed faciliùs subducuntur, & faucium asperitates læuigant; elixa verò, & ad coquendum sunt difficilia, & tardi transitus, crassiusque alimentum corpori tribuunt; His verò adhùc tardiùs permeant, ac peioris sunt succi, quæ in calidis cineribus assantur; quæ verò in sartagine sunt inspissata, pessimum habent omnibus modis alimentum, nam interim dum coquuntur, in nidorem vertuntur, & præterquàm quòd succum crassum gignunt, ipsum etiam prauum gignunt, atque excrementitium: paulò tamen inferiùs idem Galenus, Oua recentia cum veteribus comparans, hæc item scribere pergit; oua autem recentia veteribus plurimùm præstant, quippe optima sunt recentissima, vetustissima autem pessima, quæ verò in horum medio sunt, proportione recessus ab extremis, bonitate, aut prauitate, inter se differunt, ita Galenus.

Ouorum differentia quo ad coctura͂m, & ætatem ex Galeno.

Verùm quidem anatum, anserum, ac struthiocamelorum, auiumque similium oua, tum ob minorem substantiam, & probitatem, tum ob ingratum gustui quem tribuunt odorem, tum etiam ob molestum in actu digestionis effectum, à prædictis non minimùm distant.

Ouorum anatis, anseris, & struthiocameli qualitas.

Ex ouorum item vitellis arte conficitur oleum, ad faciei maculas, & plurima cutis vitia delenda, necnõ ad capillos iterum producendos aptissimum.

Oleum ex vitellis ouorum, augendis capillis, & faciei maculis proficit.

De Lacte.

Lac humanũ quouis lacte præstantius.

PRo humani corporis alimento diuersa reperiuntur lactis genera, quæ temperatæ accedunt qualitati, inter quæ principem tenet locum lac humanum, deindè caprinum, post hoc ouinum, postremò vaccinum. Porrò caprinum idcircò præponitur ouino, & Vaccino, scilicet, quia medium est inter crassum, & subtile, lac autem ouinum, satis crassam retinet substantiam, & eò crassiorem etiam, vaccinùm, quod etiam confirmat Rasis, tertio ad Almansorem, capite decimo quinto, his verbis; Lac vaccinum quorumlibet aliorum animalium lacte crassius iudicatur, atque ob id, corporis molem, & obesitatem adipisci volentibus, accomodatissimum habetur; Quamobrem rectè quidem Galenus, omnium ferè quæ mandimus, lac optimum, optimi esse succi, dixit tertio de alimentorum facultatibus, capite decimo quinto. Etenim Philinus nullo alio cibo, vel potu, quàm lactis alimonia, toto vitæ curriculo vsus fuit, pro vt in decimo quarto Memorabili centuriæ primæ scriptum reliquit Mizaldus.

Lactis caprini qualitas.

Lac vaccinum quorumlibet aliorum animalium lacte, crassius iudicatur, ex Rhasi.

Lac optimũ optimi est succi, ex Galeno.

Philinus lacte tantummodò vixit.

Lac coagulatum difficilis est concoctionis.

Verùm quia lac, præsertim verò, quod coagulatum, & summè frigidum comeditur, difficilis est concoctionis, & inculpatam profectò sanitatem requirit, nec omninò tamen sufficit, si eidem Galeno credimus quinto Aphorismorum libro, commento sexagesimo quarto, ita dicenti; Lac tamen, si benè concoquatur, alit multùm, succumque corpori præbet laudabilem, cæterùm inter coquendum sanis etiam hypocondria attollit, & caput ferit; Ex cuius Galeni verbis colligitur, lac in via cibi a sanis hominibus quoquomodo sumptum in ipsamet concoctione multas interdum non leues pati difficultates, nam dum ægrè concoquitur, crassum producit succum, obstructionum parentem; phlegmaticis, ac melancholicis aduersatur naturis, debilique stomacho, & capite præditis obest, necnon flatus in ventre, calculosque in renibus gignit, quod item caseus, magis tamen vetus, & salitus, peculiariter facit; dum verò lac perfectam consequitur digestionem, citò reficit eo vescentes, extenuatos impinguat, ac decenter humectat, senibus pariter subuenit, vitamque prorogat, seruatis tamen conditionibus ab Auicenna præcipuè descriptis secundo Canonis

Lac, & caseus, calculos in renibus gignendi vim habet.

Lactis virtutes, & effectus, qua conditione succedant, ex Auicenna.

nonis libro, tractatu secundo, capite quadringentesimo quadragesimo primo, his nempè verbis; Illum autem qui bibit lac, post ipsum quiescere oportet, vt non corrumpatur, & acescat, verùm oportet, vt [illegible] super ipsum non dormiat, neque suscipiat super ipsum cibum alium, donec descendat, & est magis conueniens consistentibus, quàm adolescentibus calidam habentibus complexionem, nam conuertitur in ipsis ad choleram, & confert senibus etiam, propterea quòd humectat, & remouet pruritum, qui eis est proprius, sed oportet, vt iuuentur ad ipsum digerendum cum melle; sic Auicenna.

Lac, quibus magis conueniat, ex Auicenna.

De Caseo.

QVoniam inter lacticinia caseus primum vtique locum tenere videtur, propterea quòd toto anno vbique locorum semper abundat, & quouis etiam tempore omnes ferè viuentes eo libenter solo, & vnà cum pane, vel cum diuersis item obsonijs mixto, quandoque vesci non desinunt, idcircò de casei nutrimento præcisè quidem agendum nunc est.

In primis itaque caseus ex iniecto lacti coagulo formatur, de quo Galenus agens tertio in libro de Alimentorum facultatibus, capite decimo septimo, sic loquitur; Nam caseus dum paratur, assumit ab iniecto coagulo acrimoniam, humiditatemque omnem deponit, & potissimùm si inueterarit, tum enim quàm priùs, acrior euadit, & manifestè calidior redditur, atque ardentior, ob id ipsum siticulosior, & ad coquendum difficilior, & peioris succi efficitur; ita Galenus, qui nihilominùs circa præcitati capitis finem, diuersa caseorum genera rectè considerans, de tot casei differentijs ita decernit; Quod autem ad eam dignotionem, quæ fit gustu, pertinet, is, omnium est præstantissimus, qui nullam vehementē habet qualitatem, sed dulcem habet supra alias parum eminētem; suauis item insuaui est præstātior, & mediocriter salitus, eo, qui est permultum, & eo, qui omninò salis est expers. ita Galenus.

Casei natura, & descriptio, ex Galeno.

Caseus præstantissimus, quis ex Galeno.

Hac item de causa magnus senex Hippocrates, qui diutissimè fuit ante Galenum, tam ob multiplicia caseorum genera, quam ob diuersas hominum complexiones, quoscunque vniuersaliter de caseo non rectè sentientes coactus est redargue-

guere in libro precipuè de Veteri medicina, numero trigesimo sexto, his quidem verbis; Et non simpliciter existimare, quòd malum edulium est caseus, dolorem enim affert repletio ex ipso, sed quem dolorem, & propter quid, & cui parti intra hominem existenti incommodum existit; nam & alia multa edulia, ac pocula, natura mala sunt, & afficiunt hominem non eodem modo. hæc Hippocrates, qui præcitato tamen in loco, numero trigesimo septimo, de casei natura rationem satis probabilem reddens hæc dicere pergit; Etenim caseus (quandoquidem hunc, in exemplum assumpsi) non omnes homines lædit, sed sunt qui ex eo repleti, ne tantillum quidem offenduntur, immò gracilibus mirabiliter etiam conferre proditur; sunt autem qui assumentes ipsum, difficulter ab eo liberantur; horum verò naturæ differunt, differuntque etiam iuxtà hoc, quod est in corpore caseo contrarium, nam à caseo excitatur, & commouetur in his, quibus eiusmodi humor multus in corpore existit, & quo magis hic potens est, eò magis verisimile est ipsos male affligi; si verò toti humanæ naturæ malus esset, omnes vtique læderet; hæc medicinæ parens Hippocrates. cuius item opinionis fundamentum Salernitana sequitur schola, capite trigesimo septimo, sic dicens,

Casei repletio non omnes lædit, ex Hippocrate.

Caseus toti humanæ naturæ non est malus, ex Hippocrate.

Caseus, & panis, sunt optima fercula sanis;
Si non sunt sani, tunc hunc non iungito pani.

Zoroastes Magus solo casei victu, viginti annos vixit ex Mizaldo.

Porrò extat etiam notabile, ac dignum memoria exemplum Zoroastis Magi, qui annis viginti in deserto, solo casei vsu vixit, tali artis industria temperato, vt vetustatis acorem non sentiret, referente Mizaldo, in centuriæ primæ, Memorabili decimo quarto; nec item ab re in præcitati capitis Salernitanæ Scholæ commento, Arnoldus Villanouanus caseum de se met ipso loquentem, hisce carminibus introducit.

Ignari Medici me dicunt esse nociuum.
Et tamen ignorant, cur nocumenta feram.
Expertis reor esse ratum, quia commoditate
Languenti stomacho caseus addit opem.
Caseus ante cibum confert, si defluat aluus.
Si constipetur, terminet ille dapes.
Qui Physicen non ignorant hæc testificantur.

Caseus cætetis salubrior.

Ex dictis igitur, præ cæteris casei generibus, salubrior iudicandus est recens, & aliquantulum salitus, ac dulcis, quandoquidem ori, & stomacho gratissimus est, facilem concoctio-

ctionem admittit, neque vitioso constat succo, nec vsque adeo crasso, pro vt cuilibet ferè caseo contingere solet, nec sursum caput vapores item ferri permittit, dummodò post cibum parcè sumatur, idem prætereà frigidus est, & humidus secundum circiter gradum.

Attamen caseus etiam antiquus, dum perfecto constiterit butyro, vel admodum salitus, & acris gustui non fuerit, quin immò potiùs ob rectam aromatum permistionem in ipso, iucundus palato apparuerit, sanis item corporibus, tam prædicto modo, quàm diuersis pariter obsoniorum generibus vti condimentum additus, poterit impunè concedi, verùm huiusmodi caseus ad calidum tendit, & humido stomacho magis confert: insulsus autem caseus, præter iniucundum saporem, crassamque substantiam, difficilem quoque recipit concoctionem.

Caseus antiquus, quibus conditionibus concedendus.

Caseus insulsus non laudatur.

De Butyro.

Butyrum profectò ex diuersis generibus lactis conficitur, Dioscoride teste, libro secundo, capite sexagesimo quarto ita dicente: E lacte pinguissimo probatum fit butyrum, quale ouillum est, fit & ex caprino agitato in vasis lacte, donec pingue separetur; Veruntamen Galenus libro decimo de Alimentorum facultatibus, capite de butyro sic loquitur; Miror autem quo pacto Dioscorides ex ouillo, & caprino confici referat; ego nanque ex bubulo hoc medicamentum fieri noui, ac proinde nuncupatum esse butyrum existimo. ita Galenus.

Butyrum multiplex reperitur. & quo modo fiat ex Dioscoride.

Dicendum tamen est butyrum bubalinum cæteris præstantius habendum, dummodò recens, nec salitum fuerit, hac etiam conditione confectum, calidum est, & humidum, primum circiter gradum, & hyeme potiùs, quàm æstate laudatur, dummodò parcus sit eius vsus; Nam vnctuosa ipsius humiditas stomachum relaxat, nauseam excitat, ac febricitantibus pariter obest, nempè quia faciliorem oleo inflammationem recipit, oleo tamen deficiente, butyrum eius vicem supplet, licet pro sanitatis regimine probetur magis oleum; Verùm enim verò butyrum conuenit vti remedium singulare pectori, tussi, similibusque morbis, quouis modo exhibitum, pro vt etiam

Butyrum cæteris melius, qua e, & quibus conditionibus.

Butyrum cur febricitantibus obsit.

Butyro laudatur magis oleũ pro sanitatis regimine.

Butyrum venenis omnibus mirificè tamen exulcerantibus prodest.

Auctoris experimento in virgine facto, quæ sublimati venenum exulcerans sponte deglutiuerat.

etiam venenis omnibus ore sumptis, & mirificè quidem ijs exulcerandi vi præditis, vt pote mihi profectò videre contigit in virgine perfectè sana, septimum & decimum annum agente, quæ vesani amoris desperatione ducta, ne ampliùs ea viueret in pœna, cum tria minima sublimati exulcerantis veneni frustula sponte deuorasset, confestim frigido sudore fuit correpta, vnà cum tremore, faucium adustione, sitique ingenti, quæ extingui non poterat, licèt largè potasset, cui postremò alui fluxus cum intestinorum torminibus accessit; His igitur ita se habentibus, ac met ipso ad eam curandam repente requisito, nec non de rei causa, & euentu, rectè commonefacto, statim vt ad semiuiuam adolescentulam perueni, eò ipso butyrum crudum ad vncias quatuor prædictæ languenti propinandum, ac paulatim deglutiendum iussi, quo exequuto cum euidenti statim progressu, licet eidem postmodum clysteres ex lacte, prout etiam alia medica, & eximia suppeditarentur auxilia; nihilominùs præ cæteris remedijs adhibitis, dictam Virginem in butyri virtute pristinæ sanitati fuisse restitutam, notissimum fuit.

De Esculentis, & Poculentis Ferculis.

Esculenta salubria, quæ?

QVoniam diuersa tum esulenta, tum poculenta reperiuntur fercula, de coquorum arte non eodem modo parata, de ijs agendum peculiariter est, quæ iuxtà Medicorum doctrinam, hominibus persæpè ijs vescentibus vitam diuturnam reddere, ipsamque incolumen præseruare consueuerunt, velut inter esculenta recensetur ex optimo tritico panis, in laudabilium carnium iure feruefactus, aut infusus, vel contritus, ac decenter coctus, & moderatè salitus, ouorum præterea vitellis ad comedentis libitum additis, pro meliori corporis alimento; inter poculenta verò, iusculum prædictis conditionibus factum, citò viuentes reficit, ac optimè nutrit, quandoquidem celeriùs est refici potu, quàm cibo, iuxtà Hippocratem secundo Aphorismorum libro, vndecimo quidem Aphorismo: His item accedunt fercula ex alica, & oryza prædicto in iure cocta, sed meliùs profectò cum amygdala-

rum

rum dulcium lacte, saccharo, & cinnammomo, debito modo permista pro vtriusque crassæ aliquantulum substantiæ correctione; Verùm ex laganis, & cæteris huiusmodi pastillis fercula, & tantillo piperis, vel cinnamomi, ac butyri, & casei condita, non admodùm frequenter ab omnibus sunt comedenda, quia licet valdè nutriant, non omninò tamen commendantur, ob aliquam in celebranda concoctione molestiam; similiter etiam fercula ex auena, & milio mundatis, quoniam ambo aluum astringendi vim habent, nec facilè concoquũtur ex Dioscoride, libro secundo, capite octogesimo sexto, & octogesimo nono, idcircò in optimarum carnium pingui iure tantummodò cocta, nec non vnà cum croco, saccharo, & cinnamomo moderatè permista, in aliquorum gustus, vel appetitus gratiam valdè rarò conueniunt.

Quæ autem esculenta, seu poculenta fercula ex diuersis conficiuntur piscibus, iuxtà eorum qualitates, vel condimenta, magis, minùsuè possunt sanitati conferre, quamuis non ita quidem, vt prædicta laudentur; Attamen perfectissimus etiam panis ebullitus, vnà cum aqua, sale, oleo, passulis, prunisque damascenis, vtrisque scilicet modica in quantitate permistis, probatissimum est esculentum cuiuis ætati conueniens, & salubre, ijs præcipuè diebus, quibus de Christiana lege prohibentur carnes.

De Leguminibus.

VRbani non solùm viri nobili genere nati, lautè, splendidèque viuẽtes, sed omnes incolumen etiam vitam diù prorogare cupientes, leguminum vsum recusant, penitùsque contemnunt, quandoquidem licet quouis modo parentur, atque condiantur, flatibus vtique ventrem implere non desinunt, vt Auctor libri quarti de victus ratione in morbis acutis, textu nonagesimo secundo, sub Hippocratis nomine scriptum reliquit his verbis, Legumina omnia flatuosa sunt, & cruda, & elixa, & fricta; minimè verò, vel macerata, vel viridia; his autem vtendum non est, nisi cum cibarijs, sed horum singula suum vitium habent. hæc Auctor ille.

Leguminum vsus nullo modo recipitur ab ijs, qui sanitati, ac vitæ prorogationi vehementer incumbunt.

Verùm enim verò quia necessitas non habet legem, quid indè mirum si rustici, ac plebis infimæ viri, tanquam sordidè

tentes, erunt data opera eligendi, veluti sunt, qui modò ex agrestæ, vel granatorum, aut limonum succis conficiuntur, modò ex aceto cum tantillo piperis, ac cinnamomi, & comis petroselini, serpylli, anethi, sampsuchi, mentæque simul cum saccharo, & panis mica leuiter assa, de coquorum arte, vel more, iuxtà complexionum diuersitates, plùs, minùsue parantur sapores, pro carnibus edendis non ingrati; Pro piscibus item fiunt condimenta ex oleo, sale, aceto, sapa, caryophyllis, croco, saluia, & rorémarino, quæ omnia ad vnicum feruorem simul mista, coctisque piscibus imposita, quouis anni tempore gustui non ingrata redduntur; Hyeme verò sapores ad calidum vergent, inter quos locum principem tenet qui priùs ex vuuis, pomisque dulcibus in lebete coctis conficitur, additisque deindè corticibus aranciorum, & pulpa citri, ambobus diligenter melle conditis, cum aromatibus tandem, & sinapi puluere, in aceto, vel feruenti aqua macerato, sapidum adipiscitur condimentum satis palato iucundum, ac vulgò dicitur (mostarda cedrata;) prædictis igitur similibusque saporibus, licet non omninò sanitati conferentibus, prostratus nihilominùs appetitus, poterit humanis in corporibus opportunè reparari, quoniam vt scripsit Hippocrates libro secundo Aphorismorum, vigesimo octauo Aphorismo; paulò peior, sed suauior cibus, ac potus, meliori quidem, at ingrato præferendus.

De Ouis.

Ouorum nè dicto qualis, videlicet: ex gallinis, phasianis, perd. cibus, ac etiam starnis.

Oua profectò, quæ ex gallinis iuuenibus, & pinguibus, itemque Phasianis, Perdicibus, Starnisque fiunt, cum recentia fuerint, ac mediocriter cocta, veluti sunt tremula, vel sorbilla dicta, nec non ob albuminis visciditatem, sacchari tantillo condita, vt celeriùs nutriant, dummodò ante alios comedantur cibos, cæteris præstantiora modis habentur, quoniam optimi succi, ac concoctionis alimentum conualescentibus, ac senibus præbent, ipsorum tamen albumen frigidam, & astringentem virtutem retinet, glutinosumque gignit alimentum: sed oui luteum, temperatum est, ac inter vniuersos quidem cibos, virium, ac spirituum defectui, quauis de causa contingenti mirificè subuenit, Auicenna teste in libello

Oui albumen frigidum, & astringens est, sed eius luteum temperatum est.

bello de Viribus cordis, tractatu secundo, capite de ouis, his nempè verbis; Oua quamuis medicina non sint, ad confortationem cordis tamen recipiuntur, ipsum enim valdè confortant, vitella videlicet, dummodò tamen accipiantur ex ouis volatilium laudabilis carnis, sicut Gallinæ, ac Perdicum, & Starnæ, & Phasiani, ista enim vitella temperatæ complexionis sunt, quibus tria conueniunt, scilicet velociter in sanguinem transmutari, & parùm superfluitatis post transmutationem relinquere, & sanguinem generare conformem sanguini, quo nutritur cor. hæc Auicenna.

Ouorum qualitas, & effectus ex Auicenna.

De ouis item Galenus agens tertio in libro de Alimẽtorum facultatibus, capite vigesimo secundo, sic scriptum reliquit; Tremula igitur ad nutriendum, omnium sunt præstantissima, sorbilia autem minùs quidem nutriunt, sed faciliùs subducuntur, & faucium asperitates læuigant; elixa verò, & ad coquendum sunt difficilia, & tardi transitus, crassiusque alimentum corpori tribuunt; His verò adhùc tardiùs permeant, ac peioris sunt succi, quæ in calidis cineribus assantur; quæ verò in sartagine sunt inspissata, pessimum habent omnibus modis alimentum, nam interim dum coquuntur, in nidorem vertuntur, & præterquàm quòd succum crassum gignunt, ipsum etiam prauum gignunt, atque excrementitium: paulò tamen inferiùs idem Galenus, Oua recentia cum veteribus comparans, hæc item scribere pergit; oua autem recentia veteribus plurimùm præstant, quippe optima sunt recentissima, vetustissima autem pessima, quæ verò in horum medio sunt, proportione recessus ab extremis, bonitate, aut prauitate, inter se differunt, ita Galenus.

Ouorum differentia quo ad cocturam, & ætatem ex Galeno.

Verùm quidem anatum, anserum, ac struthiocamelorum, auiumque similium oua, tum ob minorem substantiam, & probitatem, tum ob ingratum gustui quem tribuunt odorem, tum etiam ob molestum in actu digestionis effectum, à prædictis non minimùm distant.

Ouorum anatis, anserum, & struthiocamelis qualitas.

Ex ouorum item vitellis arte conficitur oleum, ad faciei maculas, & plurima cutis vitia delenda, necnõ ad capillos iterum producendos aptissimum.

Oleum ex vitellis ouorum, augendis capillis, & faciei maculis producit.

De Lacte.

Lac humanũ quouis lacte præstantius.

Lactis caprini qualitas.

PRo humani corporis alimento diuersa reperiuntur lactis genera, quæ temperatæ accedunt qualiati, inter quæ principem tenet locum lac humanum, deindè caprinum, post hoc ouinum, postremò vaccinum. Porrò caprinum idcircò præponitur ouino, & Vaccino, scilicet, quia medium est inter crassum, & subtile, lac autem ouinum, satis crassam retinet substantiam, & eò crassiorem etiam, vaccinùm, quod etiam confirmat Rasis, tertio ad Almansorem, capite decimo quinto, his verbis; Lac vaccinum quorumlibet aliorum animalium lacte crassius iudicatur, atque ob id, corporis molem, & obesitatem adipisci volentibus, accomodatissimum habetur; Quamobrem rectè quidem Galenus, omnium ferè quæ mandimus, lac optimum, optimi esse succi, dixit tertio de alimentorum facultatibus, capite decimo quinto. Etenim Philinus nullo alio cibo, vel potu, quàm lactis alimonia, toto viræ curriculo vsus fuit, pro vt in decimo quarto Memorabili centuriæ primæ scriptum reliquit Mizaldus.

Lac vaccinum quorumlibet aliorum animalium lacte crassius iudicatur, ex Rhasi.

Lac optimũ optimi est succi, ex Galeno.

Philinus lacte tantummodò vixit.

Lac coagulatum difficilis est concoctionis.

Verùm quia lac, præsertim verò, quod coagulatum, & summè frigidum comeditur, difficilis est concoctionis, & inculpatam profectò sanitatem requirit, nec omninò tamen sufficit, si eidem Galeno credimus quinto Aphorismorum libro, commento sexagesimo quarto, ita dicenti; Lac tamen, si benè concoquatur, alit multùm, succumque corpori præbet laudabilem, cæterùm inter coquendum sanis etiam hypocondria attollit, & caput ferit; Ex cuius Galeni verbis colligitur, lac in via cibi a sanis hominibus quoquomodo sumptum in ipsamet concoctione multas interdum non leues pati difficultates, nam dum ægrè concoquitur, crassum producit succum, obstructionum parentem; phlegmaticis, ac melancholicis aduersatur naturis, debilique stomacho, & capite præditis obest, necnon flatus in ventre, calculosque in renibus gignit, quod item caseus, magis tamen vetus, & salitus, peculiariter facit; dum verò lac perfectam consequitur digestionem, citò reficit eo vescentes, extenuatos impinguat, ac decenter humectat, senibus pariter subuenit, vitamque prorogat, seruatis tamen conditionibus ab Auicenna præcipuè descriptis secundo Canonis

Lac, & caseus, calculos in renibus generandi vim habet.

Lactis virtutes, & effectus, qua conditione succedant, ex Auicenna.

nonis libro, tractatu secundo, capite quadringentesimo quadragesimo primo, his nempè verbis; Illum autem qui bibit lac, post ipsum quiescere oportet, vt non corrumpatur, & acescat, verùm oportet, vt [redacted] super ipsum non dormiat, neque suscipiat super ipsum cibum alium, donec descendat, & est magis conueniens consistentibus, quàm adolescentibus calidam habentibus complexionem, nam conuertitur in ipsis ad choleram, & confert senibus etiam, propterea quòd humectat, & remouet pruritum, qui eis est proprius, sed oportet, vt iuuentur ad ipsum digerendum cum melle; sic Auicenna.

Lac, quibus magis conueniat, ex Auicenna.

De Caseo.

QVoniam inter lacticinia caseus primum vtique locum tenere videtur, propterea quòd toto anno vbique locorum semper abundat, & quouis etiam tempore omnes ferè viuentes eo libenter solo, & vnà cum pane, vel cum diuersis item obsonijs mixto, quandoque vesci non desinunt, idcircò de casei nutrimento præcisè quidem agendum nunc est.

In primis itaque caseus ex iniecto lacti coagulo formatur, de quo Galenus agens tertio in libro de Alimentorum facultatibus, capite decimo septimo, sic loquitur; Nam caseus dum paratur, assumit ab iniecto coagulo acrimoniam, humiditatemque omnem deponit, & potissimùm si inueterarit, tum enim quam priùs, acrior euadit, & manifestè calidior redditur, atque ardentior, ob id ipsum siticulosior, & ad coquendum difficilior, & peioris succi efficitur; ita Galenus, qui nihilominùs circa præcitati capitis finem, diuersa caseorum genera rectè considerans, de tot casei differentijs ita decernit; Quod autem ad eam dignotionem, quæ fit gustu, pertinet, is, omnium est præstantissimus, qui nullam vehementē habet qualitatem, sed dulcem habet supra alias parum eminētem; suauis item insuaui est præstātior, & mediocriter salitus, eo, qui est permultum, & eo, qui omninò salis est expers. ita Galenus.

Casei natura, & descriptio, ex Galeno.

Caseus præstantissimus, quis ex Galeno.

Hac item de causa magnus senex Hippocrates, qui diutissimè fuit ante Galenum, tam ob multiplicia caseorum genera, quàm ob diuersas hominum complexiones, quoscunque vniuersaliter de caseo non rectè sentientes coactus est redargue-

guere in libro precipuè de Veteri medicina, numero trigesimo sexto, his quidem verbis; Et non simpliciter existimare, quòd malum edulium est caseus, dolorem enim affert repletio ex ipso, sed quem dolorem, & propter quid, & cui parti intra hominem existenti incommodum existit; nam & alia multa edulia, ac pocula, natura mala sunt, & afficiunt hominem non eodem modo. hæc Hippocrates, qui præcitato tamen in loco, numero trigesimo septimo, de casei natura rationem satis probabilem reddens hæc dicere pergit; Etenim caseus (quandoquidem hunc, in exemplum assumpsi) non omnes homines lædit, sed sunt qui ex eo repleti, ne tantillum quidem offenduntur, immò gracilibus mirabiliter etiam conferre proditur; sunt autem qui assumentes ipsum, difficulter ab eo liberantur; horum verò naturæ differunt, differuntque etiam iuxtà hoc, quod est in corpore caseo contrarium, nam à caseo excitatur, & commouetur in his, quibus eiusmodi humor multus in corpore existit, & quo magis hic potens est, eò magis verisimile est ipsos male affligi; si verò toti humanæ naturæ malus esset, omnes vtique læderet; hæc medicinæ parens Hippocrates. cuius item opinionis fundamentum Salernitana sequitur schola, capite trigesimo septimo, sic dicens,

Casei repletio non omnes lædit, ex Hippocrate.

Caseus toti humanæ naturæ non est malus, ex Hippocrate.

Caseus, & panis, sunt optima fercula sanis;
Si non sunt sani, tunc hunc non iungito pani.

Porrò extat etiam notabile, ac dignum memoria exemplum Zoroastis Magi, qui annis viginti in deserto, solo casei vsu vixit, tali artis industria temperato, vt vetustatis acorem non sentiret, referente Mizaldo, in centuriæ primæ, Memorabili decimo quarto; nec item ab re in præcitati capitis Salernitanæ Scholæ commento, Arnoldus Villanouanus caseum de se met ipso loquentem, hisce carminibus introducit.

Zoroastes Magus solo casei victu, viginti annos vixit ex Mizaldo.

Ignari Medici me dicunt esse nociuum.
Et tamen ignorant, cur nocumenta feram.
Expertis reor esse ratum, quia commoditate
Languenti stomacho caseus addit opem.
Caseus ante cibum confert, si defluat aluus.
Si constipetur, terminet ille dapes.
Qui Physicen non ignorant hæc testificantur.

Ex dictis igitur, præ cæteris casei generibus, salubrior iudicandus est recens, & aliquantulum salitus, ac dulcis, quandoquidem ori, & stomacho gratissimus est, facilem concoctio-

Caseus cæteris salubrior.

ctionem admittit, neque vitioso constat succo, nec vsque adeo crasso, pro vt cuilibet ferè caseo contingere solet, nec sursum caput vapores item ferri permittit, dummodò post cibum parcè sumatur, idem prætereà frigidus est, & humidus secundum circiter gradum.

Attamen caseus etiam antiquus, dum perfecto constiterit butyro, vel admodum salitus, & acris gustui non fuerit, quin immò potiùs ob rectam aromatum permistionem in ipso, iucundus palato apparuerit, sanis item corporibus, tam prædicto modo, quàm diuersis pariter obsoniorum generibus vti condimentum additus, poterit impunè concedi, verùm huiusmodi caseus ad calidum tendit, & humido stomacho magis confert: insulsus autem caseus, præter iniucundum saporem, crassamque substantiam, difficilem quoque recipit concoctionem.

Caseus antiquus, quibus conditionibus concedendus.

Caseus insulsus non laudatur.

De Butyro.

BVtyrum profectò ex diuersis generibus lactis conficitur, Dioscoride teste, libro secundo, capite sexagesimo quarto ita dicente: E lacte pinguissimo probatum fit butyrum, quale ouillum est, fit & ex caprino agitato in vasis lacte, donec pingue separetur; Veruntamen Galenus libro decimo de Alimentorum facultatibus, capite de butyro sic loquitur; Miror autem quo pacto Dioscorides ex ouillo, & caprino confici referat; ego nanque ex bubulo hoc medicamentum fieri noui, ac proinde nuncupatum esse butyrum existimo. ita Galenus.

Butyrum multiplex reperitur, & quo modo fiat ex Dioscoride.

Dicendum tamen est butyrum bubalinum cæteris præstantius habendum, dummodò recens, nec salitum fuerit, hac etiam conditione confectum, calidum est, & humidum, primum circiter gradum, & hyeme potiùs quàm æstate laudatur, dummodò parcus sit eius vsus; Nam vnctuosa ipsius humiditas stomachum relaxat, nauseam excitat, ac febricitantibus pariter obest, nempè quia faciliorem oleo inflammationem recipit, oleo tamen deficiente, butyrum eius vicem supplet, licet pro sanitatis regimine probetur magis oleum; Verùm enim verò butyrum conuenit vti remedium singulare pectori, tussi, similibusque morbis, quouis modo exhibitum, pro vt etiam

Butyrum cæteris melius, qua e, & quibus conditionibus.

Butyrum cur febricitantibus obsit.

Butyro laudatur magis oleũ pro sanitatis regimine.

Butyrum venenis omnibus mirificè tamen exulcerantibus prodest.

Auctoris experimento in virgine facto, quæ sublimati venenum exulcerans sponte deglutiuerat.

etiam venenis omnibus ore sumptis, & mirificè quidem ijs exulcerandi vi præditis, vt pote mihi profectò videre contigit in virgine perfectè sana, septimum & decimum annum agente, quæ vesani amoris desperatione ducta, ne ampliùs ea viueret in pœna, cum tria minima sublimati exulcerantis veneni frustula spontè deuoraslet, confestim frigido sudore fuit correpta, vnà cum tremore, faucium adustione, sitique ingenti, quæ extingui non poterat, licèt largè potaslet, cui postremò alui fluxus cum intestinorum torminibus accessit; His igitur ita se habentibus, ac me ipso ad eam curandam repente requisito, nec non de rei causa, & euentu, rectè commonefacto, statim vt ad semiuiuam adolescentulam perueni, eò ipso butyrum crudum ad vncias quatuor prædictæ languenti propinandum, ac paulatim deglutiendum iussi, quo exequuto cum euidenti statim progressu, licet eidem postmodum clysteres ex lacte, prout etiam alia medica, & eximia suppeditarentur auxilia; nihilominùs præ cæteris remedijs adhibitis, dictam Virginem in butyri virtute pristinæ sanitati fuisse restitutam, notissimum fuit.

De Esculentis, & Poculentis Ferculis.

Esculenta salubria, quæ?

QVoniam diuersa tum esulenta, tum poculenta reperiuntur fercula, de coquorum arte non eodem modo parata, de ijs agendum peculiariter est, quæ iuxtà Medicorum doctrinam, hominibus persæpè ijs vescentibus vitam diuturnam reddere, ipsamque incolumen præseruare consueuerunt, velut inter esculenta recensetur ex optimo tritico panis, in laudabilium carnium iure feruefactus, aut infusus, vel contritus, ac decenter coctus, & moderatè salitus, ouorum præterea vitellis ad comedentis libitum additis, pro meliori corporis alimento; inter poculenta verò, iusculum prædictis conditionibus factum, citò viuentes reficit, ac optimè nutrit, quandoquidem celeriùs est refici potu, quàm cibo, iuxtà Hippocratem secundo Aphorismorum libro, vndecimo quidem Aphorismo: His item accedunt fercula ex alica, & oryza prædicto in iure cocta, sed meliùs profectò cum amygdala-

rum dulcium lacte, saccharo, & cinnammomo, debito modo permista pro vtriusque crassæ aliquantulum substantiæ correctione; Verùm ex laganis, & cæteris huiusmodi pastillis fercula, & tantillo piperis, vel cinnamomi, ac butyri, & casei condita, non admodùm frequenter ab omnibus sunt comedenda, quia licet valdè nutriant, non omninò tamen commendantur, ob aliquam in celebranda concoctione molestiam; similiter etiam fercula ex auena, & milio mundatis, quoniam ambo aluum astringendi vim habent, nec facilè concoquũtur ex Dioscoride, libro secundo, capite octogesimo sexto, & octogesimo nono, idcircò in optimarum carnium pingui iure tantummodò cocta, nec non vnà cum croco, saccharo, & cinnamomo moderatè permista, in aliquorum gustus, vel appetitus gratiam valdè rarò conueniunt.

Quæ autem esculenta, seu poculenta fercula ex diuersis conficiuntur piscibus, iuxtà eorum qualitates, vel condimenta, magis, minùsuè possunt sanitati conferre, quamuis non ita quidem, vt prædicta laudentur; Attamen perfectissimus etiam panis ebullitus, vnà cum aqua, sale, oleo, passulis, prunisque damascenis, vtrisque scilicet modica in quantitate permistis, probatissimum est esculentum cuiuis ætati conueniens, & salubre, ijs præcipuè diebus, quibus de Christiana lege prohibentur carnes.

De Leguminibus.

Leguminum vsus nullo modo recipitur ab ijs, qui sanitati, ac vitæ prorogationi vehementer incumbunt.

VRbani non solùm viri nobili genere nati, lautè, splendidèque viuẽtes, sed omnes incolumen etiam vitam diù prorogare cupientes, leguminum vsum recusant, penitùsque contemnunt, quandoquidem licet quouis modo parentur, atque condiantur, flatibus vtique ventrem implere non desinunt, vt Auctor libri quarti de victus ratione in morbis acutis, textu nonagesimo secundo, sub Hippocratis nomine scriptum reliquit his verbis, Legumina omnia flatuosa sunt, & cruda, & elixa, & fricta; minimè verò, vel macerata, vel viridia; his autem vtendum non est, nisi cum cibarijs, sed horum singula suum vitium habent. hæc Auctor ille.

Verùm enim verò quia necessitas non habet legem, quid indè mirum si rustici, ac plebis infimæ viri, tanquam sordidè

uiuentes, ac paupertate astricti, modò fabis, aut lentibus, modò pisis, aut cicerculis, cæterisque leguminum generibus persæpè vesci coguntur, & eò magis vna cum diuersis carnibus salitis, maximè vero suillis, vtpotè gustui magis gratis, atque iucundis, eorumque naturæ familiaribus, absque vllo tandem euidenti propriæ sanitatis incommodo? His autem non obstantibus, huiusmodi quidem cibi, licet ab ijsdem optimè conficiantur, clam tamen, ac sensim, temporis processu prauum in venis cumulant succum, ad melancholicos præcipuè morbos gignendos aptissimum, qui rarò sanabiles etiam fiunt.

Leguminum vsus quos generet morbos.

Ratio autē est, quia prędicta quidem legumina ab ijsdem rusticis perfectè semper concoqui minimè possunt; Quod nobilioribus item viris, tenui complexione præditis, ijsque præcipuè natura melancholicis, & ociosam ducentibus vitam, plùs, minusuè noceret, dum prædictum leguminum vsum cogerentur admittere; Quandoquidem per exercitium, atque laborem, superflua corporis excrementa consumuntur, & sic diuturnæ locus conceditur vitæ, ad quam itidem consequendam Marsilius Ficinus in argumento super Platonis Charmidem, seu temperantiam, his denotat verbis. Præterea traditur in Timæo, ex consonanti quadam animæ, tam ad se ipsam, quam ad corpus modulatione, nobis prospera cuncta contingere; Quin etiam Pythagoræi, quos Romanus in hoc sequitur Censorinus, si animus prudenter motiones singulas tum sui, tum corporis moderetur, perpetuam vtriusque sanitatem, & diuturnam vitam corpori pollicentur, ita Ficinus. Ex cuius pulchro nimirum documento, perfectam animi, & corporis temperantiam, non minimum posse ad longæuam ætatem, ac sanitatem simul impetrandam, & facilè conseruandam, veritati valdè consonum esse non redarguitur.

Vitæ diuturnæ causa, ex Marsilio Ficino.

Quamobrem Cardanus item nostris temporibus acutissimi vir ingenij, hac de re, quarto in libro de sanitate tuenda, post decimi sexti capitis medium, Quatuor scilicet maximè necessaria requiri ad vitam diuturnam cum sanitate protrahendam, & in senibus præcipuè scriptum reliquit his verbis. Nam parcitate victus, somno, exercitatione, animique lætitia, tota vita humana constat, ita Cardanus, qui prædicto scilicet modo constantem diuturnamque vitam similiter pollicetur. Attamen inter hæc quatuor sapienter a Cardano notata, meo sanè iudicio, mentis temperata lætitia cæteris alijs præferenda

Vitæ diuturnæ causa, ex Cardano.

vide-

videtur, ea siquidem sanitatem, ac vitam feliciter protrahit, sicut dictum superius est. Contrà verò sollicitæ animi curæ minuunt semper annos; Etenim iuxta communem Physicorum doctrinam, cum vitæ humanæ vis, atque natura, in semine, sanguine, ac spiritu collocetur, atque consistat, & ex Platone Charmidis initio, molestæ animi curæ sint continui velut animi morbi, idcircò præ omnibus alijs mortem festinare non desinunt, nempè quia sanguinem consumunt, & mixtos in sanguine spiritus omnino resoluunt, ac destruunt; sanguine igitur, ac spiritibus deficientibus, humanum refrigerari pariter corpus, & exiccari, quid mirum? Siquidem calido viuimus, humido nutrimur, ac tandem frigido morimur: Hæc autem veluti per digressionem sint dicta, sed quatenus ad rem propriam. (Vita in quo fundetur.)

Hoc nimirum in loco dubitatio quædam, seu diuturna potius opinionis meæ surrexit difficultas, mentem aliquantulum vrgens, quæ adhuc tandem se se offert proferenda, & licet hæc inquam dubitatio studioso cuiuis ingenio aliter sentiendi multiplicem arguere modum, causamque diuersam suppeditare possit, & valeat; In ea tamen patefacienda mihi met ipsi satisfaciendi viam denegare non possum, saltem quia, ni cuiquam placuerit, pro vt subindè constans audiendi spes erat, curiosis ardens posteris non desit stimulus meliorem inuestigandi rationem, perfectioremque doctrinam ab omnibus adæquatè comprobatā, ac sine vlla controuersia receptā.

Huius autem opinionis meæ difficultas, aut scrupulus, primariam, & veram traxit originem ab occasione leguminum paulò ante dictorum, quæ cum alios inter cibos locum infimum teneant, ac sæpissimè, a rusticis, vilibusque gentibus comedantur, nullo deinde manifesto vitæ incommodo subsequente; Nihilominus eadem quoque legumina, quouis meliori modo condita, & cocta, si ab vrbanis, vel nobilioribus forte fortuna viris; raro, & parce comedantur; Attamen interdum accidit, vt ventris afficiantur doloribus, vomitu aliquando coniunctis, pro vt ego met ipse Medicum agens & ad eos curandos conuocatus, annorum quadraginta spatio non sæpè sum expertus, ac vidi; Porro sicut etiam alias experientia didici, atque cognoui, quid mirum? si de alijs non nullis item cibis idem dici, & argui similiter posset? qui sanè dum vni prosunt, alteri tamen obsunt? Horum profectò ratio- (Leguminum vitia, quæ?)

tionem perfectam reddere, seu veram cognoscere causam, cum admodùm facile non sit, hinc igitur fit, vt dubitationi locus omninò non desit.

Quo ad prædictæ igitur nõ solũ dubiæ, verùm perspicacis aliquãtulum opinionis disquisitionẽ, atq; rationẽ satis probabilem, non immeritò dici posse iudicarem, vniuersos in Mundo cibos, ab omnipotenti Deo pro humanæ vitæ sustentatione fuisse a principio creatos, & licet vnum altero meliorem, gustuiquè iucundiorem esse, negari non possit, vniuersaliter tamen omnes pro humano victu omnino necessarios, itemque inter se met ipsos magis, minùsue salubres esse, quoniam Deus ad humani generis vtilitatem, & commodum, & non aliter a mundi creatione eos fecit, atque produxit.

Cibi omnes à Deo creati verum hominibus vniuersis prodesse semper possint.

Hoc autem pro vero, & certo ita supposito, & constituto, dubitatio prædicta erit paulatim, ac diligenter enucleanda, omnique meliori modo enodanda.

Primo quidem iuxta philosophicum axioma, nempè; Quod natura tale est, tale semper erit; Ex hoc enim axiomate, vniuersos vtique cibos pro humani generis vtilitate a Deo vt suprà creatos, & natura magis, minùsue salubres, dum vni prosunt, alteri tamen obsunt, id tanquam ex insita, propriaque dictorum ciborum natura, vel causa frequenter producere, vel semper efficere verisimile non est, scilicetquia iuxta prædictum axioma philosophicum, semper omnibus prodesse, non autem vni prodesse, alteri verò nocere deberent; dum tamen diuersò res modo se habet, probabilem proindè causam inuestigare necesse est; Præterea nec item dicendum cibos minùs salubres tantum id efficere posse, quoniam cibi minùs salubres, & vt semper tales, omnibus deberent semper obesse, sed vni dum prosunt, alteri verò nocent, non semper eundem sortiuntur effectum, veram idcircò causam inuenire non est facile.

Secundo, ingeniosissimus, & acutissimus Medicæ scientiæ speculator Galenus, quamuis primo in capite libri de bonitate, ac vitio succorum, vim sanè maximam esse in mali succi cibis ad procreandos morbos, propterea quòd aliquo esse vitio notatos non ignoraret; nihilominùs circa quinti capitis finem præcitati iam libri, pro certo etiam tenuit, nihil æquè ad succi bonitatem facere, quàm si probè in ventriculo concoquantur, vt qui secundam, & tertiam concoctionem faciliùs

Cibi omnes; boni necdum malè sint dicendi, & quomodo vt [illegible] nocent.

liùs admittant; hæc certè Galenus. Ex cuius precipuè verbis expreſsè patet, cibos omnes a Deo vt ſupra creatos, non ex propria ipſorum natura, ſed ſolùm per accidens, id eſt dum rectè no n concoquuntur, viuentibus ipſis reddi tantummodò noxios, ideoque per conſequens, cibos etiam magis minùſue ſalubres ab hominibus p erfectè concoctos, atque digeſtos, ijſdem ſanè per ſe prodeſſe, non autem obeſſe, licet ab aliquo id poſſet adhuc in dubium verti.

Tertio, latinum Hippocratem Celſum, ob inſignem Medicam ſcientiam, & artem ita vocatum, nec non Medicorum Ciceronem, ob ſingularem, & ornatam dicendi eloquentiam ſimiliter dictum, ac tali nomine dignum, tacere quomodo poſſum? qui primo in capite libri primi, de regimine ſanis in hominibus agens, quo ad humanum peculiariter victum ſcriptum reliquit his verbis. Nullum cibi genus fugere, quo populus vtatur; ò liberam poteſtatem, o ſummam, & amplam viuendi licentiam a doctiſſimo Celſo dicto modo conceſſam; Non ne profectò ex dictorum verborum auctoritate, conſequenter noſtram confirmari opinionem notiſſimum eſt, ac dilucidè patet? Quandoquidem ita loqui non fuiſſet audaciter auſus, ni quoſcunque vt ſupra cibos a Deo creatos, nullum poſteris incommodum fuiſſe allaturos, pro certo habuiſſet, ac verè cognouiſſet.

Cibi omnes pro quotidiano victu hominibus conceduntur ex Celſo.

Quarto, in hac non minùs pulchra, quàm curioſa item difficultate, verum Medicinæ Doctorem (Hippocratem inquam) ſilentio præterire non licet, nec etiam decet, qui cum infinitum vniuerſo in Orbe ciborum eſſe numerum optimè calleret, atque ob eorum diuerſitatem, propriam cuiuſque naturam, & facultatem quouis modo inquirere, rectèque diſtinguere, non tam arduum, quam valdè longum eſſe iudicaret, atque cognoſceret, idcircò vnius tantummodò cibi exemplo, non temerè adducto, quibuslibet adæquatè cibis prudenter potuit, ac ſatisfacere ſciuit, ſicuti videri perſpicuè poteſt in libro de Veteri Medicina, numero trigeſimo ſeptimo, vbi ſic loquitur; Talem itaque veritatem etiam de alijs oſtendere volo, etenim caſeus (quandoquidè hunc in exemplum aſſūpſi) non omnes homines lædit, ſed ſunt, qui ex eo repleti, ne tantillum quidem offenduntur; immò gracilibus mirabiliter etiam conferre proditur; ſunt autem, qui difficulter ſummouentes, ab eo liberantur; Horum verò naturæ differunt, differunt-

Caſei qualitas, quæ?

runtque etiam iuxta hoc, quod eſt in corpore caſeo contrarium; Nam a caſeo excitatur, & commouetur in his, quibus eiuſmodi humor multus in corpore exiſtit, & quo magis hic potens eſt, eo magis veriſimile eſt ipſos magis affligi; Si verò toti humanæ naturæ malus eſſet, omnes vtique læderet: hæc verus Doctor Hippocrates. qui dicto caſei exemplo, dum vnum iuuat, alterum peſſima lædit, ad proprias hominum diſpoſitiones, videlicet ad humores caſeo contrarios, & illius in corpore malè affectu exiſtentes, veram prorſus cauſam referendam aſſeruit, atque conſtituit, non autem ad caſeum ipſum. Porro quo ad cibos etiam magis, minùſue ſalubres ipſe met Hippocrates dum trigeſimo octauo ſecundi aphoriſmorum libri, ſcriptum reliquit; Paulo deteriorem cibum, & potum, ſuauiorem tamen, meliori quidem, at ingrato præferendum, liquido etiam conſtat, inter paulo deteriorem cibum, ſed magis gratum, vel denique meliorem, ſed guſtui nempè ingratum, nullum ſe met ipſum feciſſe diſcrimen, propterea quòd ex dictorum ciborum alterutro nullum futuris detrimentũ ſeculis naturaliter euenturum prudentiſſimè fuiſſet expertus; Ad hæc non ſolùm viris inculpata ſanitate fruentibus vniuerſos vtique cibos abſolutè concedit Hippocrates, verum ægrotantibus etiam eoſdem aliqua cum conditione largitur, pro vt in libro de Affectionibus numero quadrageſimo ſecundo expreſsè patet his verbis. Quoſcunque cibos, aut potus ægroti concupiſcunt, exhibeto, ſi non corpori damnum indè acceſſurum eſt, ita Hippocrates, vel Polybus eius diſcipulus. Preterea Hippocrates item ſexto in libro de Morbis Popularibus, circa quartæ ſectionis medium, ſententiam prædictam confirmat his verbis. Ægrotantibus gratificationes, velut eſt purè parare potus, ac cibos, & ea, quæ videt, molliter ea, quæ nõ magnoperè lædunt, aut facile reparari poſſunt, velut frigida, vbi hac opus eſt. hæc Hippocrates.

Cibum quẽcunque valentibus conuenire dixit Hippocrates.

Quinto, & vltimo, quid mirum eſt item, ſi Princeps Auicenna, vera, & docta Hippocratis veſtigia ſecutus, hoc idem confirmet fen tertia, primi Canonis libri, doctrina ſecunda, capite ſeptimo, dum ita ſcriptum reliquit, Eſt nanque cibus, qui ſolet comedi, in quo aliquid exiſtit nocumentum, & eſt conuenientior bono non viitato; paulò poſt etiam ſic dicere pergit. Ex hominibus quoque eſt, cui aliquod nutrientium bonorum & laudabilium nocet, ipſum ergo relinquere eſt ei con-

Cibus quilibet valentibus conuenit ex Auicenna.

conueniens; inferiùs denique diſtinguit, atque definit his verbis. Oportet præterea te ſcire quod nutriens melius eſt, quod meliùs ſapit, propterea quòd ſtomachus, & virtus retentiua vehementer ipſi applicantur, quum bonæ fuerit ſubſtantiæ, & fuerint omnia principalia membra ſecundum operationem ſibi ad inuicem conuenientia, & ſana, hæc princeps Auicenna.

Nutriens melius eſt, quod meliùs ſapit. & ratio quare. ex Auicenna.

Decernendum eſt igitur ex tot Medicorum grauiſſimorum Auctoritate circa vniuerſos vt ſupra cibos, pro viuentibus a Deo creatos, aliunde nocumenti cauſam, quàm ab ipſis met cibis prorſus fore petendam, pro vt ex dicendis, id etiam patebit.

Quamuis multiplices hinc indè rationes, & cauſæ non deſint, quas circa diuerſum prædictorum ciborum effectum aſſignari poſſe perpendo; In primis tamen potiſſimam præ cæteris cauſam, cur idem cibus a diuerſis hominibus deuoratus, vni proſit, alteri vero noceat, a differentibus hominum naturis auſpicandam, alienum a ratione non eſt, quemadmodum præcitato in libro de veteri medicina ſapientiſſimè cognouit Hippocrates, a quo tanquam veridico præceptore minimè recedens Auicenna, idcircò fen prima, primi Canonis libri, Doctrina tertia, Capite de Complexionibus, ita locutus eſt; Debes autem ſcire, quod omne indiuiduum debet habere complexionem ſibi ſolummodo propriam, in quo alium ei aſſociare, vel communicare raro contingit, ſic Auicenna: Ex cuius præcipuè verbis euidenter apparet, multiplices dum oriuntur effectus ex eodem met cibo in diuerſis hominibus, id non ex cibo met ipſo ſimpliciter fieri, ſed ex repugnantibus hominum complexionibus, ab ipſa natiuitate contractis, reſpectu quorum ni ſemper eundem cibi ſortiantur effectum, quid mirum?

Secundariò quia ex prædicta Galeni auctoritate, primo in capite libri primi de bonitate, ac vitio ſuccorum, manifeſtum ſatis eſt, ipſum quibuslibet in cibis, non tam ipſorum qualitatem, ſeu proprietatem reſpexiſſe, atque conſideraſſe, quàm ſi optimam in ventriculo poſtmodum concoctionem admitterent.

Porrò eandem pariter opinionem tenuit Celſus primo in capite libri primi iam ſupra citati, vbi non ſolùm vniuerſaliter nullum interdicit viuentibus cibum, ſed etiam in perfectè ſanis hæc ait; Bis die potiùs, quàm ſemel cibum capere, & ſem-

ſemper quam plurimum, dummodò hunc concoquat, ſic Celſus: Ex cuius poſtremis quidem verbis; ea conditione prolatis nimirum (dummodò hunc concoquat) dilucidè patet propriam ciborum concoctionem magis, quàm eorundem qualitatem attendendam, ac ſupra modum reſpiciendam, ſiquidem Celſus omnes vtique cibos vniuerſis hominibus profuturos cognouit, ac optimè ſciuit; Cibos denique non vti cibos, veruntamen dum rectam in ſtomacho concoctionem non admittunt, tunc ſanè viuentibus non per ſe, ſed per accidens euidenter nocere, debet etiam conſequenter quouis modo concedi.

Cibi vniuerſi a Deo creati, quomodo viuentibus noceant ex Auctore.

Quamobrem dicendum eſt vltimo, ex relatis digniſſimorum Auctorum rationibus perfectè ſuperiùs probantibus, vniuerſos vt ſupra cibos, a Deo pro humana ſalute creatos, dum vni proſunt, alteri verò nocent, diuerſo pariter modo huiuſmodi effectum inferere poſſe, Primo, non ſolum ob complexionum diuerſitatem, vti dictum ſuperiùs eſt, quarum vna calidior, alia frigidior, vna ſiccior, altera humidior; Hæc fortior, illa debilior, & ſic item diuerſas quo ad ætates, omnes ferè inter ſe differentes, & forſan ſæpè contrarias; Secundo verò, ob eorundem ciborum copiam, vel malam præparationem, ſeu cocturam, vel prauam qualitatem, ob malam cuſtodiam contractam, ſimileſque cauſas, quibus vtique cibis, dum viuentes abundè replentur, nec eos quouis modo comeſſos rectè concoquere poſſunt, ſi dictis porrò de cauſis, tam poſitiuè, quàm reſpectiuè coniunctis, diuerſo quiſque afficiatur modo, nouum fortaſſe cuipiam id eſſe non debet: His igitur, vel ſingulis, vel vniuerſis rectà mente ponderatis, atque firmatis, non eſſe cauſam inſitæ ciborum quorumlibet naturæ falsò tribuendam, iudicari atque cognoſci facilè poterit; Quandoquidem pro vt eſt ab initio dictum, ac pro certo ſuppoſitum, Deus vniuerſos pro humana natura cibos, vtiles quidem, & magis; minùſue ſalubres, non autem perniciosos, & noxios ab æterno fecit, atque creauit: Quod menti adæquatur denique noſtræ, ſcrupuliſque omnibus hac de re leuiter inſurgentibus benigniter aſſentitur, aliquantulum gratificatur, ac perfectè ſatisfacit.

De

De Oleribus, Radicibus, Tuberibus, ac Fungis.

OLera pauci roboris nutrimentum viuentibus præbent, cò magis tamen cruda, quàm cocta comesa nocent, ideòq; ab ijs, qui longæuam, & inculpatam consequendi ætatem desiderio magno tenentur, ea tantummodò cæteris innocentiora sunt eligenda, quorum in numero sunt borrago, lupulus, lactuca, endiuia, spinachia, beta, malua, cichorium, eiusque radices, & quæ his proximè accedunt; Herbæ tamen prædictæ, tã in aqua elixæ, quàm in optimarũ carniũ iure sunt decoquẽdæ, ac initio cibi comedendæ, scilicet quia cum frigidæ sint, & humidæ, calidos humores attemperant, obstructionibus prosunt, leuiterque ventrẽ subducere consueuerunt, ad quem vtique finem sequenti datus est versiculo locus:

Olerum vsus quomodo sanitati conferat.

Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis.

Martialis item libro decimo tertio sic cecinit,

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Verùm Allia, Porri, Ascaloniæ, Cæpæ, Raphani, Armoraciæ, similesque radices, ad caliditatem, & siccitatem, ac in tertio ferè gradu accedentes, tam sua mordaci acrimonia, quã vitioso pariter succo, iecori, stomacho, & capiti vehementer aduersantur, improbique sunt alimenti, iuxta Galenum, primo de differentijs febrium, capite tertio, id confirmantem his quidem verbis: Voco autem praua cibaria, tum ea, quibus hoc ipsum est à natura insitum, sicuti allia, cæpe, nasturtia, porros, brassicas, ocyma, & vrticas, & quæcunque alia agrestia dicuntur, veluti quæ apud nos lãpsanæ vocantur; ita Galenus, qui licet brassicas inter praua cibaria collocauerit; animaduertendum tamen est, quamlibet brassicæ speciem, non solùm calidam esse in primo gradu, & siccam in secundo, verùm etiam duplici præditam esse substantia, vnam siquidem terrestri, & crassa, quæ in hyberni tantùm frigoris virtute laudabilem generat succum, cæteris verò temporibus non item, altera demùm valde acri, quæ illius in superficie consistit, & hæc prauam retinet qualitatem, iuxtà prædictam Galeni mẽtem: hæc autem praua qualitas per elixationem tandem cor-

Cibaria praua ex Galeni sententia, quæ dicantur.

Brassicæ consideratio circa diuersæ substãtiæ qualit

rigitur; dummodò proiecta primæ ebullitionis aqua, iterùm brassicæ in optimarum carnium pingui iure coctæ pro cibo sumantur, vel etiam oleo, sale, fœniculi seminibus, & arancij succo conditæ comedantur, ipsarum præcipuè summitates, quadragesimali tempore valdè abundantes, vulgò (broccoli) dicti, quandoquidem præ cæteris meliores habentur: Sed pastinaca, carota, carduus, cinara, similesque cibi neutiquam viuentibus necessarij, quoniam debito modo parati appetitū excitant, somnum conciliant, & vrinam prouocant, licet non facilè concoquantur, ac biliosum, & melancholicum in se contineant succum, & coitum incitent, quibusdam tamen extraneo prægnantium instar appetitu ductis poterunt aliquando concedi, sed eò minùs quidem tubera, quæ ex terræ veluti putredine fiunt, quamuis in mensarum delitijs, & cruda, & cocta vehementer à plurimis expetantur, hæc item frigido, & humido temperamento sunt prædita, melancholicum euidenter gignunt humorem, Venerem stimulant, vrinæ difficultatem vel cholicam passionem, prauosq; morbos producere possunt.

Tuberū qualitas.

Fungi denique frigidi sunt in fine tertij gradus, & humidi supra secundum, omnes tamen quouis condimento parati, tanquam humanæ vitæ valdè periculosi, & aduersi, meritò suspecti semper sunt habendi, proindèque ijs conuenire videntur, quos diuturna quidem tædet, ac fastidit vita.

Fungorum qualitas.

Inter omnes autem fungorum species, boleti cæteris innocentiores iudicantur ex Galeni sententia, libro secundo, de alimentorum facultatibus, capite sexagesimo nono, hisce verbis expressa: Omnium igitur fungorum Boleti minimùm sunt noxij, secundi autem post hos, sunt Amanitæ, reliquos verò tutius est omninò ne attingere quidem, multi enim ex ipsorum esu interierunt, ita Galenus, cuius profectò veritas multis Romæ annis, huc vsque satis euidenter diuersis in familijs apparuit, præsertim verò in quibusdam plebis infimę viris, paupertatis causa, fungis persæpè vescentibus, manibus proprijs in campis collectis, & eorum causa quandoque pereuntibus, ob remedia serò forsan adhibita, quod optimè non ignorant Medici: nam Petrus de Abano, per antonomasiam nuncupatus etiam Conciliator, in libello de venenorum remedijs, capite quadragesimo secundo, hac de re sic loquitur; Ille, qui comederit malos fungos, & præcipuè, qui nati fuerint super ferro, aut super anabulla, vel malo terræ, vel in locis thermarum, suffo-

fungorū malorum effectus ex Conciliatore.

suffocabitur, & dolorem patietur in pectine, & prohibebitur ei vrina, & dolorem habebit in ventre, & si odorauerit malum fungum, & tubera mala, patietur epilepsiam, & fortassis morietur; hæc ille; cui assentitur etiam Petrus Carrarius in quæstione de Venenis ad terminum, in qua itẽ de Venenis agens, odoratu, vel tactu inficientibus, narrat quosdam propter odorem malorum fungorum fuisse venenatos, nec non militem tangendo lanceam, qua prius Regulum serpentem occiderat, fuisse pariter venenatum.

Quamobrem hac item occasione, quod mihi videre contigit, breuiter narrare non desinam. Nobilis vtique mulier, ac iuuenis, Romæ anno millesimo sexcentesimo, vigesimo primo, cum ab ancilla fungos, vnà cum pane, ac pyris in frustra incisis decoqui iussisset, deindè verò ipsa met decoctione proiecta, eosdem iterum fungos allio, calamintha, sale, oleo pipere, ac cinnamomo conditos, præter alios quoque cibos in cœna degustasset, ac paulò post dormitum iuisset, non obstante prædicta fungorum præparatione, tam diligẽter facta, mediam circiter noctem conqueri vehementer cœpit de oris ventriculi angustia, corpus vniuersum grauiter vexante, necnon de profundo veluti somno, cui superueniebat etiam syncope, ita vt penè suffocari videretur. Requisitus igitur eadem nocte ad prædictam Dominam curandam, statim vt ad ipsam perueni, ac semimortuam in lecto iacere vidi, iam tum auditis, visis, ac rectè cognitis omnibus eò vsque præteritis, repentè clysterem acrem eidem mulieri iniiciendum iussi, cuius beneficio aliquantulum expergefacta muliere, illicò vomitus fuit eidem excitatus cum oximelle simplici, & decoctione calaminthæ, origani, & hyssopi, post quem iterùm ex lapide bezaar ad grana quinque in puluerem redacto, vnà cum confectione hyacinthi sine muscho, itemq; theriacæ, ad vtriusque drachmam dimidiam formatus est bolus, & à dicta Domina deglutitus, ac pariter immediatè post ipsum fuit ad semilibram superbibitum vinũ græcum, in quo tamen piper nigrum mediocriter contusum ad vnicam drachmã fuerit priùs ebullitum; quamobrem hisce remedijs semel, ac simul adhibitis, nobilis mulier proximam superauit mortem, quam quidem effugere non potuit dilectissimus eius canis, qui similiter panem simul cum pyris, pro supradictis fungis elixandis impositum, sua mala sorte comederat.

Fũgorũ cau-sa mulieris nobilis casus euẽtus, & ab Auctore curatus.

Qui igitur cum morte litem suscipere nolunt, fungos profectò delibare non audeant, pro vt ego semper feci, quandoquidem de boletis etiam fungis, vtpotè cæteris minùs nocuis, memorandum extat exemplum, sequenti versiculo decantatum,

Boleti lethi causa fuere mei.

De Fructibus.

Vniuersaliter fructus, tam horarij, seù fugaces, quàm etiam arborei dicti, minimum in sanitatis regimine locum habere videntur, scilicet quia ob imbecillem ipsorum substantiam parum nutriunt, ac breuem vitam habent, Galeno teste in secundum Hippocratis librum de Morbis Vulgaribus, commento secundo, super textum decimum tertium; vbi scriptum reliquit; Et cibos imbecilliores breuem vitam habere, quo in genere sunt olera, & plurimæ arborum baccæ; ita Galenus.

Fructus breuē vitam habent ex Galeno.

Porrò fructus, veluti sunt cerasa, fraga, mora, præcocia, pruna, persica, mala, citruli, anguriæ, melones, & huiusmodi; propterea quod frigida, & humida, tenuique substantia, necnon flatuosa pariter constant, & facilè, citòque putrescunt, quid vtique mirum si breuem interdum vitam ijs præcipuè reddere possint, qui voluptatis, ac iucunditatis gratia fructibus ad libitum potiùs, quàm necessitatis causa vescuntur, nēpè quia ipsi met fructus non sine vitæ periculo, modò alui fluxus, & vermes, modò febres, ac diuersos quoque morbos ijsdem producendi vim habent, iuxta Salernitanæ Scholæ versiculum, decimo nono in capite dicentem.

Fructus, quos generent morbos.

Autumni fructus caueas, ne sint tibi luctus.

Quamobrem prædictorum pariter fructuum, veridicum nō semel effectum in se met ipso expertus est quidem Galenus, pro vt narrat in libro de Bonitate, & vitio succorum, circa primi capitis finem, his nempè verbis; Agebam tunc temporis ætatis annum vndeuigesimum, quo anno cùm incolumis euasissem, sequentique deindè mortem obijsset pater, liberaliter cum æqualibus. vnà in victu fructibus vsus, qui sub caniculæ tempus proueniunt, morbum incurri priori non dissimilem, vti tunc quoque vena mihi necessariò secanda fuerit; ex

Fructuum causa non semel ægrotauit Galenus.

eo tempore aliquando singulo quoque deinceps anno semper ægrotaui, aliquando intermisso vno, ad annum vsque vigesimum octauum, quo tempore quum periculum adijssem, ne qua parte septo transuerso iecur adhæret, abscessus esset, mihi ipsi vsum interdixi fugacium omnium, præterquàm ficuũ, vuarumque exactè maturarum, hisque ipsis non immodicè, sicuti antea, sed moderatè adhibitis, immunes hactenus a morbis perseuerauimus annorum multorum spatio; ita Galenus, ex quo non immeritò concludendum videtur, æstiuo tempore fructus benè maturos, immediatè ante prandium, vel cœnam, pro recto sanitatis regimine comedi consuetos, quorum in numero præcipuè sunt pruna, persica, præcocia, melones, & ficus, cuilibet posse impunè concedi, dummodò parcus eorum sit vsus, ac statim post ipsos vinum bonum mediocriter lymphatum, vel etiam merum superbibatur, magis tamen ab ijs frigido nempe stomacho naturaliter dotatis.

Ficus, & vuæ maturę cęteris fructibus præferuntur a Galeno.

Hanc eandem pariter opinionem fuit libenter amplexus Donatus Antonius Ferrus in tertio tractatu de Podagra, circa finem capitis de melonibus, vbi mentem propriam hisce verbis exposuit; Nos tamen dicamus super fructus vinum semper esse bibendum, nam cùm huiusmodi fructus frigidi, & humidi sint, eorum tanta frigiditas; humiditasque a vini potentis calore temperabitur, eorumque malitia corrigetur; ea propter hac in re bibant vinum omnes, & nobis credant, quia & Medici omnes id faciunt, id autem paucum sit, & optimum; hæc Ferrus, qui ad ita sentiendum fuit quidem stimulatus, atque impulsus ex auctoritate Hippocratis, tertio de Diæta prope textus decimi tertij finem, sic breuiter dicentis; Est & ficus cum cibis bona, & meracum vinum ab ipsa.

Vinum super fructus bibendum semper est non autem aqua ex Ferro.

Hac item occasione notandum est; inter omnes fructus, tres tantùm, vtpote cæteris alijs meliores, magisque nutrientes ab Auicenna commendari primo Canonis libro, fen tertia, doctrina secunda, circa septimi capitis initium ita dicente; Fructus tamen nutrienti magis similes sunt ficus, & vuæ maturæ dulces valde, dactyli in Regionibus, & Ciuitatibus, in quibus esse consueuerunt; hæc Auicenna, qui etiam secundo Canonis libro, tractatu secundo, capite ducentesimo octogesimo secundo, ex tribus prædictis fructibus principem concedit locum recentibus, ac benè maturis ficubus, his quidem verbis; Nutrimentum verò ficus, licet non existat in robore nutrimenti

Fructus cæteris magis nutrientes tres censentur ab Auicenna

Ficus nutrimentum suge at omnes fructus, ex Auicenna.

car-

Ficus sicca qualis ex Auicenna.

carnis, & granorum; est tamen vehementioris roboris, quàm nutrimentum omnium fructuum: sic Auicenna, qui prætereà vltimo in loco citato, de ficubus ettiam siccis ita decernit; & sicca quidem in suis operationibus est laudabilis, veruntamen sanguis ex ea generatus, non est bonus, & propter hoc facit pediculos, verùm si fit cum nuce, & amygdala dulci, tunc eius chymus fit bonus: hæc idem Auicenna.

Ficus primæ pessimæ quia succulentissimæ optimæ autem postremæ ex Hippocrate.

Porrò notandum prætereà ex Hippocrate secundo de Diæta, numero decimo quinto, dum ibi de fructibus agit, obscuram de ficubus reliquisse sententiam, his verbis expressam, scilicet, Primæ ficus pessimæ sunt, quia succulentissimæ, optimæ, autem postremæ, sic Hippocrates, cuius quidem verba cum intelligi non facilè possint, quin immò necessaria declaratione indigeant, sequenti modo dilucidanda decreui, nimirùm (Primæ ficus pessimæ sunt, quia succulentissimæ) sub his enim verbis fuerunt (inquam) ab Hippocrate nuncupatæ maiores illæ ficus, copioso quidem succo, sed valdè vitioso abundantes, quæ circa, vel paulò post Solstitium æstiuum incipiunt reperiri, & quoniam veluti ficubus omnibus priores ab hominibus comeduntur, hac ergo de causa fuerunt ab Hippocrate primæ ficus dictæ, ac ita vocatæ, qui demum dum dixit (optimæ autem postremæ) sub his nempè verbis autumnales veniunt intelligendæ ficus: quæ iuxta eius mentem vltimo loco succedunt, idest autumnali tempore nimis abundè inueniuntur, & quia declinante postmodum autumno deficiunt, idcircò à prædicto Hippocrate fuerunt appellatę postremæ, quæ prætereà non simpliciter, & absolutè, sed comparatiuè, nec non respectu primarum ficuum ab Hippocrate dictæ sunt optimæ; postremæ siquidem ficus minimo item vitio non carent, si Galeno credimus, qui secundo de Alimentorum facultatibus, capite nono, scriptum reliquit his verbis. Ficus, & vuæ, quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent, ita fugacibus omnibus magis nutriunt, minimumque praui succi habent, præsertim cum exactam maturitatem fuerint adeptæ. ita Galenus.

Ambrosia, & Nectar, quid fuerint ex Pierio.

Hac etiam de re obiter dicendum, nec vllo modo prætereundum censeo, iucundissimam Ambrosiam, & dulcissimum Nectar, Deorum proprium tantummodò cibum (pro vt vana Gentilitas credidit) nil aliud fuisse pręter quàm ipsasmet ficus, vtpote quouis alio cibo, vel potu, eo viuente seculo meliores, ac

ac suauiores, quemadmodùm colligere, atque probare conatus est ingeniosè Pierius, ex vnico tantùm numismate iam antiquissimo, cuius in medio ficus cernebatur sculpra inter duo monumenta, quorum in vno ΑΜΒΡΟΣΙΑ, in altero verò ΝΕΚΤΑΡ, apparebant inscripta; sic Pierius.

An pariter ficus fuerit vetitum primis parentibus à Deo pomum, non immeritò dubitatur, quoniam vt in tertio Genesis libro legitur; Consuerunt folia ficus,& fecerunt sibi perizomata; ex quibus vtique verbis consequenter, ac probabiliter deduci posse videtur,non esse omninò à veritate alienum,primos parentes,vetitum quidem pomum ex eadem arbore collegisse, simul, & comedisse, cuius nimirùm frondibus, Deo superueniente, præ pudore, ac timore, se se statim tegere, & abscondere cœperunt; sed illius arboris frondes ficus figuram demõstrarunt ex præcitato Genesis loco; ergo pomum vetitum ex eadem met arbore fuisse similiter productum, & à primis parentibus collectum, atque comesum sub tacito ficus nomine, potest aliquo iure concludi; siquidem hanc etiam opinionem tenent Ireneus, Isidorus, & Theodoretus, ex relatione Ioannis Molai in historia Imaginum Sanctorum, capite trigesimo.

Ficus an fuerit pomum Adam.

Ex dictis igitur vnusquisque propriæ salutis diligens custoditor, ad euitandos vtique morbos, fructibus quibuscunque parcè vesci non obliuiscatur, seruatis tamen conditionibus eorum, qui in prima mensa, & qui etiam in fine sunt comedẽdi, vel item qui crudi, aut cocti, magis, minusue conueniant, pro ætatis, & complexionis ratione: Nam fructus paulò ante dicti, præcipuè tamen ficus. melones, pruna, & persica, si cibi initio comedantur, ac optimum deinde vinum moderatè frigidum superbibatur, omnibus perfectè sanis, iuuenibusque præsertim, sanguinis biliosi feruorem, æstiuo tempore magis æstuantem attemperant, sitim coercent, vniuersum corpus refrigerant, aluumque lubricam reddunt: His item in fine cibi poma, & pyra diuersa, ex arboribus tamen matura collecta, licet sint cruda, possunt suis temporibus non omninò negari, pro vt etiam initio cibi cappares aceto parati, oliuæque debito modo conditæ, quæ quamuis exiguum corpori nutrimentũ præbeant, stomachum tamen corroborant, & appetitum excitant, Galeno teste, libro secundo de alimentorum facultatibus, capite septimo, veruntamen amborum parcus laudatur vsus, quemadmodùm pinearum etiam, & pistaciorum: Sed nuces re-

Sanitatis custoditor quo modo fructibu vesci debeat.

Poma,& pyra cruda, sed perfectè matura, quibus, & quando conueniant.

Capparum, & oliuarum vsus qualis ex Galeno.

Nuces, & auellanæ, an comedendæ.

Castanearũ vsus, qualis, ex Galeno.

regiæ, & auellanæ, in recto sanitatis regimine locum non habent veluti passulæ, ac pensiles vuæ; Castaneæ verò nullo modo crudæ, sed sub cineribus coctæ, vel potiùs elixæ, tanquam minùs flatuosæ, ac facilioris item digestionis, in pauca quantitate sunt comedendæ, quoniam licet crassum generent succum, nullo tamen pacto prauum pariunt, & efficaciter nutriunt ex Galeni sententia, libro secundo de Alimentorum facultatibus, capite trigesimo octauo: Sorba demum, & mespila, & his penè similes fructus, propterea quòd prauos gignunt humores, nec facilè concoquuntur, quin immò stypticum reddunt etiam ventrem, idcircò ad perfectam maturitatem tantummodò in fine cibi, videlicet instar medicamenti potius, quam alimenti raró concedi debent, eodem confirmante Galeno, libro secundo de Alimentorum facultatibus, capite vigesimo quinto.

Sorborum, & mespilorum vsus, qualis, ex Galeno.

Poma qualiter cocta, quibus, & quando præcipuè conueniant.

Cæteris verò imbecilliori complexione præditis, & lautè viuentibus, qualibet æquè matura pyra, vel poma, seu mala, præsertim appia, pro vt etiam cydonia, & persica, quæ ab ossibus non diuelluntur, semper in fine cibi cocta, nec non sacchari tantillo condita conueniunt, videlicet quia tali modo comesa, vinoque iucundo superbibito, non solùm flatuosam amiserũt humiditatẽ, sed ob gratum etiam odorem, optimumque saporem, omnibus mirificè prosunt, stomachum, cor, & cerebrum valdè corroborant, digestionem adiuuant, ac leuiter ventrem laxandi vim habent, iuxtà Salernitanæ Scholæ versiculos, capite trigesimo nono dicentes.

. . . . . Sine vino sunt pyra virus
Si pyra sunt virus, sit maledicta pyrus.
Dum coquis, antidotum pyra sunt, sed cruda venenum.
Cruda grauant stomachum, releuant sed cocta grauatum;
Post pyra da potum, post pomum vade cacatum.

De Tertia Re non Naturali, quæ in Exercitij, seu Motus, & Quietis regimine versatur,

NOTABILE NONVM.

Naturæ definitio ex Aristote.

CVm Natura sit principium aliquod, & causa mouendi, & quiescendi, in quo est primum, & non secundum accidens

dens, pro vt scripsit Aristoteles libro secundo Physicorum, textu tertio: quo tamen in loco, quia de tempore mouendi, & quiescendi magis apto, & salubri ad humanum corpus incolumen diù conseruandum, ne verbum quidem egit, idcircò ab re futurum non esse putaui, si vbi desinit Philosophus, ibi exordiri, ac etiam perficere Medicus necessariò debeat, quoniam si quis optimus Medicus est, eundem esse philosophum scriptum reliquit, sapienterque cognouit Galenus, quemadmodum Isagogicis præcipuè in libris euidenter apparet.

Ad Medicos igitur Physicos hac de re meritò est confugiendum, qui singuli, & vniuersi, humani corporis motum, seu exercitium ad sanitatem, ac bonum corporis habitum conseruandum, ipsa met quiete magis necessarium esse fatentur, licet omnibus eodem non vtique modo conuenire videatur; Quandoquidem sicut exercitatio huic naturæ conueniens, alteri semper prodesse non potest, ita etiã & quies: Hæc demũ complexionibus calidis, & siccis, magis quàm frigidis, & humidis confert. Quamobrem vnusquisque non ad extremam vsque lassitudinem, sed iuxta proprias vires, ante cibum exercitio moderatum concedat locum, videlicet vsque ad sudorem exclusiuè, quoniam vt ait Galenus tertio de symptomatum causis, capite secundo, in violentis exercitijs boni semper aliquid effluit, & id optimè quarta in epistola, libri Epistolarum, Ouidius hisce versiculis cecinit.

Exercitium ne? an quies, magis prosit sanitati.

Exercitium violentum nõ laudatur ex Galeno.

Quod caret alterna requie, durabile non est.
Hæc reparat vires, fessaque membra leuat.

Porrò quia diuersis vtiq; modis possunt exercitationes fieri, nimirùm curru, lectica, equitatione, nauicula, vel ipso met proprio corporis motu: postremus hic tamen modus cæteris laudabilior, atque salubrior est, & de hoc loquens Galenus in libro de Succorum Bonitate, ac Vitio, capite tertio, sic scripsit. Quemadmodùm enim omnium maximè commendatur exercitatio ante cibos, sic à cibis motus vnusquisque, vel in primis damnatur, eò quod à ventre alimentum ante concoctionem distribuatur, crudiorumque ita humorum vis colligatur in venis, vndè morborum genus omne progigni soleat, nisi priùs, aut laboribus pluribus dissipentur ipsi, aut concoquantur, inque sanguinem vertantur à iecoris, venarumque facultate; ita Galenus: à quo nec dissentit etiam Celsus libro

Exercitij salutaris regula ex Galeno.

S pri-

primo, circa secundi capitis finem sic dicens. Si quis interdiu se impleuit, post cibum, neque frigori, neque æstui, neque labori se debet committere, neque enim tam facilè hæc inani corpori, quam repleto nocent: & libri primi, capite primo, generale quietis, & exercitij regimen cuique homini sano describens, ita loquutus est. Hunc oportet varium habere vitæ genus, modò ruri esse, modò in Vrbe, sæpiusque in agro, nauigare, venari, quiescere interdum, sed frequentiùs se exercere, siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam senectutem, hic longā adolescentiam reddit. hæc Celsus.

Quamuis tamen agricolæ, baiuli, fossores, molitores, ac cæteri plebis infimæ viri fortes, non longè à cibo, validis vtantur exercitijs, atque laboribus, absque vllo sanitatis incommodo, id non tantum robustissimæ ipsorum naturæ, quantum etiam consuetudini tribuendum profectò est, siquidem consuetudo est velut altera iam contracta natura, parum, vel nihil offendens, de qua præcipuè loquens Auicenna primo Canonis libro, fen tertia, doctrina secunda, capite septimo, ita scriptum reliquit. Regiones quoque naturas habent proprias, & vsus sunt res extra rationem, & hoc quidem obseruandum est, & oportet vt experimentum in hoc rationem vincat: sed paulò tamen inferiùs, præcitato in loco se se magis præcisè declarans, nec de consuetudine loquens, ita etiam dixit. Ampliùs non illicò post comestionem est dormiendum cibo natante, & à forti motu super cibum, quantum plùs possibile, est abstinendum, ne cibus, antequam digeratur, penetret, aut sine digestione labatur, aut complexio eius propter commotionem corrumpatur: hæc Auicenna.

Consuetudines sunt res extra rationem, ex Auicenna.

Vrbani autem, ac nobiles viri, negocijs agendis astricti, si tenuis, aut debilis fuerint complexionis, commodè semper, tres, vel potiùs quatuor post horas à cibo, dare se leni exercitio poterunt, non autem laborioso, & forti, propter debilem, quam retinent complexionem, minimo quouis incommodo violento facilè corruentem.

Exercitij hora etiã à cibo, qua cõditione conueniat.

Animaduertendũ est etiam, ne qui ob nimiã corporis motum excalefacti, frigido se se vento exponant, quoniam aeris frigiditas ob apertos vniuersæ cutis poros, humani corporis penetralia faciliùs inuadit, ibique dolores modò pungitiuos, vel tensiuos, modò tusses, vel raucedines, modò, destillationes, vel pleuritides, & febres, aliosuè diuersos excitat morbos.

Qui

Qui demum libenter quiescunt, & ociosa gaudent vita, non solùm corporis, verùm etiam animi vires extirpant, & licet ijdem magis, magisque in dies pinguescant, corporis tamen habitum, non bonum, sed infirmum, ac turgidum retinent, ob naturalem scilicet calorem superfluitatibus redundantibus oppressum, nec non ob pituitæ cumulatæ in venis excessum, quibus facillimè de causis lethales in morbos incidunt; Rectè igitur de corporis exercitio Auicenna in libro de Remouendis nocumentis in regimine sanitatis, tractatu quarto, capite vigesimo tertio, sic ait; Exercitium verò solum per se sufficit ad duas res simul, nam ipsum soluit naturam, & prouocat vrinam, & sudorem, & exercitium etiam adiuuat, vt quod de cibis est propinquum digestioni, & adhuc est crudum, digeratur completè, fortificando calorem naturalem; & exercitium quidem est iuuamentum excellens in conseruatione sanitatis. hæc Auicenna.

Quietis corporis incómoda.

Exercitij laudes, & effectus, ex Auicenna.

De quarta Re non Naturali, quæ de Somni, ac Vigiliæ vtilitatibus, & incommodis agit;

NOTABILE DECIMVM.

SOmno necessariò quietem, vigiliæ verò exercitium destinari, prudens natura decreuit, quemadmodùm etiam patet ex Philosopho, qui somnum vigiliæ, ac motus priuationem, nec non etiam sensuum omnium veluti vinculum; solutionem autem, remissionemque vigiliam esse, scriptum reliquit primo in capite libri de Somno, & Vigilia, quem item somnum sensuum impotentiam esse dixit Auerroes in libro de Somno, & Vigilia. Sommum deniquè, & vigiliam fieri; pro natiui scilicet caloris intrò, forasue motione, scripsit Galenus primo in commento, secundi Aphorismorum libri. Quem vtique somnum, tum ob complexionum diuersitatem, tum ob cibi, ac potus quantitatem; & qualitatem, æqualiter in omnibus assignare non est facile, siquidem ratione maioris, aut minoris assumpti copiæ cibi, ac potus, pro vt etiam qualitatis, magis, minusue somnum protrahi necesse est. Porrò qui calidio-

Somni, & vigiliæ differentia, ex Philosopho.

Somni, & vigiliæ causa, ex Galeno.

Somni quantitas, an cuilibet possit assignari.

rē natura ſunt prædıti, ſex, vel ſeptem videlicet horis ad ſummum, completo ſatisfaciunt ſomno, qui verò frigidiore conſtant natura, pro vt etiam qui creſcunt, octo, vel nouem horarum interuallo, ſomno indulgere coguntur; præter hæc ſomnus nimis prolixus, neque corporibus, neque animis, nec rebus naturæ gerendis conducit, ex Platonis decreto, ſeptimo in libro de Legibus. Somnum denique eſſe otium animæ, vel bonæ, vel malæ, dixit Ariſtoteles primo Ethicorum, capite decimo tertio: Verùntamen ſomnus, & vigilia, modum ſi exceſſerint, malum, ex Hippocrate, ſecundo Aphoriſmorum libro, Aphoriſmo tertio. Siquidem ſomnus iuſto tempore longior exiſtens, cerebrum craſſis, frigidiſque humoribus redundare ſignificat; nimia verò vigilia, calorem, aut ſicciratem, vel vtriuſque dominium in cerebro denotat.

Somnus quid ſit ex Ariſtote. le.

Somni nocturni vtilitates, ex Auerroe.

Verùm enimuerò plurimæ ſunt etiam vtilitates ex conuenienti ſomno prouenientes, ex præcitato Auerrois loco, nimirùm quia ſomnus eſt ligamentum virtutum, earumque robur, fortes etiam retinet euacuationes, iuuat ad expellendas corporis ſuperfluitates, humores concoquit, corpus impinguat, ac mentis ægritudines lenit: Somnus prætereà temperatus, cum inuenit æqualitatem humorum in qualitate, & quãtitate, eſt humectans, & calefaciens, & eſt res magis proficiens pueris, ac ſenibus, potiſſimùm verò melancholicis, quoniam humiditatem in eis conſeruat naturalem, ac protrahit vitam, omnem denique laborem, ac laſſitudinem ex coitu, ſeu vigilijs acquiſitam nocturnus reparat ſomnus. Qua de re Ioannes Iouianus Pontanus, Nænia ſexta, ſomni vtilitates, ac beneficia, eleganter his carminibus cecinit.

Somnus melancholicis potiſſimùm confert.

Mulcet languidulos, ſatiat quoque ſomnus ocellos,
  Somnus alit venas, corpora ſomnus alit.
Et ſedat curas, requiemque laboribus affert.
  Odit triſtitias, grandia ſemper amat.
Somne bonè, ò cunctis, adſis mihi candide ſomne,
  Somne bone, & pueris, ſomne, bone, & ſenibus.

Somni diurni cum nocturno, comparatio, & regula.

Diurnus autem ſomnus vniuerſaliter non laudatur vti nocturnus; quandoquidem nocturnus, nec ſtatim à cœna ſomnus, ſed vna, vel altera tantùm hora tranſacta, ſemper ſanitati confert, diurnus verò non item; ſi quando tamen æſtiuis temporibus à prandio dormire parumper conuenire videtur, ijs tantummodo concedi debet, qui diuerſis de cauſis noctu

quàm

quàm plurimùm vigilare coguntur, vel corporis laſſitudine, ac ſtomachi præcipuè languore opprimuntur, nec aliter cibum concoquere poſſunt, pro vt etiam ijs conſuetudine ductis diurnus, ac breuis, dimidiam circiter horam ſomnus negari non poteſt, iuxtà Hippocratis mentem, primo in libro, de Diæta, numero trigeſimo octauo, hiſce verbis expreſſam. Confert & in æſtate interdiù ſomno vti breui, non multo, vt ne corpus ab anni tempore reficcetur. hæc Hippocrates. ex cuius vtique verbis Salernitana Schola, capite tertio, ſequentia conſcripſit carmina.

Somnus diurnus æſtiuo tēpore breuis, ex Hippocrate.

Sit breuis, aut nullus tibi ſomnus meridianus,
Febres, pigrities, capitis dolor, atque catarrhus.
Hæc tibi proueniunt ex ſomno meridiano.

Ex vigilia demum præter conſuetudinem, & ſupra modum facta, plurima fiunt incommoda, veluti ſunt corporis languor, & macies, ex qua paulatim introducitur ſiccitas, conſumpta ſenſim rorida humiditate natiua, in gracilibus præcipuè naturis, atque bilioſis, quæ tam inediam, quam vigiliam ferre non admodùm poſſunt; Nam ſicuti ad frigidas, & humidas complexiones exiccandas, modica quædam abſtinentia à cibis maximè prodeſt, ex Hippocrate, tertio Aphoriſmorum, quinquageſimo nono, ita ſanè ad complexiones calidas, & ſiccas citò deſtruendas, non ſolum famem, ſed etiam vigiliam indecenter perpeſſam, præ cæteris alijs aptiſſimam eſſe cauſam, non eſt nouum; Somnus igitur, & vigilia, quemadmodùm etiam labor, cibus, potus, & Venus; hæc inquam omnia moderatè ſemper adhibita, longæuam, & incolumen mortalibus pollicentur vitam.

Vigiliæ ſuperfluæ incommoda.

De Quinta Re non Naturali, quæ Inanitionis, ac Repletionis narrat effectus.

NOTABILE VNDECIMVM.

QVemadmodùm ex nimia inanitione humanum deſtruitur corpus, eò quod ob alimenti defectum, ac ſummam neceſſitatem naturalis calor, ac ſpiritus reſoluantur, ac diſſipen-

Inanitionis, ac nimiæ repletionis effectus.

pentur, ita etiam ex repletione superflua maximoperè grauatur, ac suffocatur idem corpus, quam quidem ob causam vtraque semper damnari debet. siquidem vt dixit Hippocrates secundo Aphorismorum, quinquagesimo primo; Vniuersum, & repentè euacuare, vel implere, vel calefacere, vel frigefacere, vel vtcunque aliter corpus mouere, periculosum; omne siquidem nimium naturæ inimicum. hæc Hippocrates, qui licet etiam secundo Aphorismorum, vigesimo secundo dixerit. Quoscunque morbos, qui ex repletione fiunt, inanitione sanari, & è contra, nihilominùs vterque excessus fugiendus vehementer est; quoniam sicuti moderata durant, iuxtà vulgatum adagium, ita quoque ad eundem effectum tutò consequendum, quiuis moderata cibi, & potus quantitate, vnà cum optima qualitate vesci necessariò debet. Etenim pro vt hac de re sapienter scriptum reliquit Hippocrates sexto de Morbis popularibus, sectione quarta; Exercitatio sanitatis est, vesci citra saturitatem, non refugere laborem. Nimia igitur quandoque repletio, vel abstinentia, sanitati semper molesta est.

Sanitatis causa, qualis, ex Hippocrate.

Quamobrem quid mirum, si quo ad repletionem, Auicenna primo Canonis libro, fen tertia, doctrina secunda, circa septimi capitis initium, auream reliquerit sententiam, his verbis expressam, nempe. Vidimus enim multos, quibus in tempore sterilitatis cibus defecit, posteà quum in tempore fertilitatis abundauit, repletos fuisse, & mortuos; paulò tamen inferiùs dicere sic pergit. Quod tamẽ in corpore est deterius, est nutriẽs, super nutriẽs, quod nõ est digestũ, mittere, & prætereà nihil est deterius, quã fastidiũ, & propriè quũ fuerit fastidiũ ex malis nutriẽtibus, quoniã quũ fastidiũ prouenerit ex grossis nutriẽtibus, hæreditare faciet iũcturarũ dolores, & renũ, & dyspnæã, & podagrã, & splenis, & hepatis grossitiẽ, & phlegmaticas ægritudines; & melancholicas; sed quũ ex subtilibus acciderit nutrientibus, prouenient ex ipso febres acutæ, malignæ, & apostemata mala acuta; hæc Auicenna, qui tamen in puncto definitiuè loquens, præcitato in loco ita concludit; neque omnes, qui sanitatem custodire volunt, aliquid comedant, nisi desiderium fuerit certum, & stomachus, & superiora intestina à primo nutriente euacuata fuerint.

Sanitatis custodia in quo consistat, ex Auicenna.

Ex dictis igitur euidenter patet, tum ad prohibendos vtique morbos, tum ad sanitatis diuturnæ tutelam, ac finem, circa inanitionem, & repletionem præcipuè spectantem, in con-

conuenienti ſcilicet ordine, ac recta cibi, & potus menſura, nec non laudabili eiuſdem qualitate conſiſtere.

De ſexta Re non Naturali, quæ de Accidentibus, vel Animi Motibus, nec non de vſu Veneris agit.

NOTABILE VLTIMVM.

Accidentia, ſeu motus animi, ſunt mentis perturbationes quidem vehementes, ex quibus immoderati repentè motus omnibus in humoribus, ac ſpiritibus fiunt, & vniuerſum corpus à naturali temperamento ita deſtruunt, vt eorum cauſa non ſolùm homines grauiter ægrotaſſe, verùm etiam interijſſe certiſſimum ſit, Galeno teſte, quinto in libro de locis affectis, capite primo, his verbis. Atque hac ratione, per vehementes ſuperni principij læſiones, animalia perire videmus, & ſecundo Aphoriſmorum libro, commento quadrageſimo ſexto. Idem per angores quoque, & mœrores vſu venit, qui & ipſi citra corpus ſunt veluti quidam animi morbi, nam ex ijs, qui vehementiores ſunt, minores obſcurant. Quamobrē etiā Plato, libri Charmidis initio, morbos omnes ab animi accidētibus originem trahere ſapienter dixit; quos item à flatibus gigni ſcripſit Hippocrates in libro de flatibus, numero decimo tertio, his verbis; Hactenus ergo morborum omnium cauſas, flatus eſſe demonſtraui.

Accidentia animi quid ſint

Morbi omnes à flatibus fiunt, ex Hippocrate.

Verùm enimuerò, cur animi accidentia prædictos quandoque effectus producere poſſint, potiſſima ſanè ratio eſt, ipſamet vehemens, ac repentina omnibus in humoribus, ac ſpiritibus commotio, vel alteratio, ab ingenti dolore, ſeu mœrore, vel timore excitata, quam item ob cauſam ijdem ſpiritus vnà cum ſanguine, per venas, & arterias, impetu quodā præcipiri ad cor, tanquā ad vitæ principē confugientes, ob eorum vim, & copiam, violenter propriū cor opprimūt, ac ſuffocant, vndè mortem demùm ſubſequi non eſt nouum: Quemadmodùm certè Publium Rutilium leuiter ægrotantem, nunciata ſibi fratris in Conſulatus petitione repulſa, præ mœrore, ac

Accidentiū animi effectus.

dolore, ſpiritum illicò emiſiſſe tradit Plinius libro ſeptimo, capite trigeſimo ſexto, vbi etiam Marcum Lepidum, poſt Apuleiæ vxoris repudium, mœrore perijſſe refert; Galenus item ſecũdo in libro de Symptomatum cauſis, capite quinto, præ ſubito dolore, ac timore, vel gaudio, multos interijſſe confirmat, ex ira verò nequaquam.

Gaudij repẽtini & immoderati, lethales effectus.

Sed cur nimio, & inexpectato ſuperueniente gaudio mors pariter accidat, cauſa eſt, quia animalis repentè facultas diſtracta, & à ſpiritibus veluti derelicta, languere, atque diſſolui incipit, donec vitalis etiam virtus in corde reſidens, ob ſpiritus ad exteriora delatos, frigido ſuperueniente ſudore, veluti mortis nuncio, paulatim exanimata remaneat, ſicut Dionyſiũ Siciliæ Tyrãnum accepto Tragicæ victoriæ nuncio, ob immodicam, & inopinatam lætitiam confeſtim expiraſſe narrat ſanè Plinius libro ſecundo, capite quinquageſimo tertio; Similiter quoque apud Cannas Romanus exercitus cum trucidatus immaniter eſſet, ac interim filij morte falsò nunciata matri, maximo tunc dolore mœrenti, ac ſemiuiuæ, poſtmodùm tamẽ filius cum ex bello reuerſus incolumis eſſet, mater viſo præter ſpem filio, ob vehementiſſimum ex improuiſo gaudium, ex hac vita migrauit, ſicuti Titus Liuius in Decadis tertiæ, libro ſecundo refert. Diagoras item Rhodius, vt inquit Gellius libro tertiò, tres habuit filios, quos vincere, & coronari eadem Olympiæ die cum videret, ob immenſam lætitiam in filiorum oſculis, & amplexibus mortuus eſt.

Attamen hac de re Poeta Lyricus ſecundo carminum libro, pulchrum, & bis decantatum reliquit exemplar, ſempiterna memoria, & executione dignum.

Primo enim loco, ad Quintum Delium ita ſcripſit.

Aequam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non ſecus in bonis.
Ab inſolenti temperatam
Lætitia, moriture Deli:

Secundo verò loco, Licinium ſic eſt allocutus.

Rebus anguſtis animoſus, atque
Fortis appare: ſapienter idem
Contrahes vento nimium ſecundo
Turgida vela.

Melancholiæ cauſa principalis, quæ nã

Inter animi tamen accidentia, metus, & triſtitia, humorem præcipuè melancholicum fouent, & augent, & ſpirituum per

venas

venas fluentium impediunt transitum; Accidentia præterea animæ horribilia, & motus corporei fortes, digestionem fieri prohibent, vt ait Princeps primo Canonis libro, sen tertia, doctrina secunda, capite septimo. His item accedunt Ira, Odium, Amor, Ambitio, Verecundia, sollicita Spes, atque Cupiditas, & quæcunque importunæ mentis cogitationes, & curæ, quæ inquam omnia, tum vitæ prorogationi aduersantur, tum etiam sanitatem ad maxima deducunt incommoda.

Verùm quia spiritus tristis exiccat ossa, & hilaris hilarem facit, pro vt vnus ex septem Græciæ sapientibus dixit Solon, idcircò quilibet vitæ prorogandę studiosus, repentinos mentis impetus, & omnia extrema tanquam vitiosa diligenter a se auertere, vel saltem cohibere conetur, itemque à narratis discat exemplis, quoquomodo circa temperandos animi motus gerere se se debeat, nam iuxtà vulgatum carmen. Tristitiæ effectus ex Solone

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Quoniam tamen irasci quandoque phlegmaticis prodesse videtur, eò quòd ira per sanguinis efferuescentiam ijsdem rubicundum vultus colorem reddat, innatumque calorem veluti sopitum, & inertem suscitet, quam etiam ob causam frigidis, & humidis affectionibus potest aliquando conferre, eosdem calefaciendo, & exiccando: Nihilominùs maius videtur esse detrimentum, quod mediante animi perturbatione, ac violenta totius hominis commotione resultat, quàm vtilitas inde succedens. Attamen flegmatici, cum ad iram proni non sint, irasci difficilè possunt, quia sicut ouis, ira leonis accendi non potest, ita phlegmaticus, accendi non potest ira biliosi; propterea biliosi detestentur iram, tanquam efficacem ad accendendam in illis febrem, saltem diariam, pariterque memoria teneant sententiam initio Salernitanæ Scholæ, medio versiculo expressam, videlicet.

-----------irasci crede profanum.

Risus demùm, & gaudium, ni modum excesserint, humanũ reuiuiscunt corpus, ac instar Solis animales spiritus illuminantis, vitalem quoq; virtutem incolumen protrahunt, ideòq; senes pręcipuè, quia diuersis nempe de causis à iuuentute contractis, & effrænatè commissis, molestis animi curis, atque mœrori facillimè subijciuntur, idcirco tanto magis cæteris viuentibus hilaritatis modum ac viam inuenire conentur, occasionemque lætandi non prætermittant, si diuturnam, minusq; Gaudij moderati effectus.

molestam consequi vitam cupiunt, quin immò prudentissimũ Cardanum iam senem viriliter imitentur, quarto in libro de Sanitate tuenda, propè decimi quarti capitis finem, de se met ipso hac dè re ita dicentem; Ego quo ad me attinet, lætior viuo quàm in iuuenta; Moriar, & deseram hos, sed inueniam alios, & eos, qui hìc sunt, rectè venturos scio; Vita impij certè efficit senectutem miseram; hæc Cardanus.

Vita impij senectutem efficit miseram ex Cardano.

Porrò non sine causa de gaudio in mente cõcipiendo, primo vtique loco, vt pote magis ad sanitatem necessario, Salernitana similiter Schola sic scriptum reliquit.

Si tibi deficiant Medici, Medici tibi fiant
Hæc tria. mens hilaris, requies, moderata diæta.

Post temperatam animi lætitiam, mentemque tranquillam ex præcitatis versiculis, corporis etiam quies necessariò requiritur, præsertim verò à violentis laboribus fractum, ac imbecille, humanum dum redditur corpus; Exercitium tamen, & quies, pro recto sanitatis regimine, firmaque tutela, non supra modum excedere debent, quemadmodum etiam diæta, sed prædictorum omnium moderatus habendus est vsus & ordo, siquidem (vulgatum iuxtà prouerbium) moderata durant.

De vsu Veneris.

Quoniam venereum quidem appetitum, & vsum, sine proprio, ac voluntario imaginationis consensu, ad actum reduci non posse, nullo modo est in dubium reuocandum: Hinc factum est item, vt à Medicis inter animi accidentia non immeritò fuerit vterque collocatus, licet conuenienter etiam coitus inter inanitionem, & repletionem possit habere locum: Huius nimia tamen continentia, vel frequentia, vtrique sexui multa retribuit incommoda; mulieribus autem continentia magis, quàm viris obest, frequentia verò non item. Nam quo ad continentiam, viri vt pote mulieribus calidiores, exercitijs, atque laboribus magna ex parte semen consumunt, præter quàm quòd pollutionibus etiam nocturnis sæpè sæpiùs mulieribus corripuntur: sed mulieres, tum ob ociosam, & sedentariam, quam vt plurimùm ducunt vitam, tum ob frigidiorem, ac humidiorem viris natu-

Coitus nimia continentia, vel frequentia mulieribus nec non viris magis obest.

turam, ſemen conſumere minimè poſſunt, quin immò proprium ſemen in ipſis retentum non ſolùm corrumpitur, verum etiam inimicam, & venenatam contrahit qualitatem, Galeno teſte, libro ſexto de Locis affectis, capite quinto, vbi tam de ſemine, quàm de menſtruis in mulieribus retentis, hæc ait. Igitur ſi eiuſmodi affectibus nos infeſtari fateamur, qui ex nobis met ipſis accepto ſuæ originis impetu, ſimiles ſint ijs, qui pernicioſo epoto veneno eueniunt, nil mirùm, ſi vitiatum ſemen, aut meſtruum huiuſmodi, quum retinentur, aut putreſcunt, corporibus vt afficiantur idoneis, grauia inferunt accidentia: hæc Galenus. cuius præcipuè ſententiam in virginibus, ac viduis caſtè viuentibus, experiuntur quandoque Medici, ad eas curandas hac de cauſa requiſiti, pro vt mihi etiam interdum videre contigit: Accidunt enim ipſis diuerſa ſymptomata, de quibus prætacito in loco Galenus agens ita ſcribit. Quid igitur ex hiſce probabiliùs quis concludere poſſit, quàm quod ob retenta menſtrua, vel ſemen cohibitum huiuſmodi vterinis vocatis diſpoſitionibus mulieres crucientur? ſiue eæ non ſpirationes, ſiue ſuffocationes, ſiue etiam contractiones quædam fuerint? & fortaſſe magis ob ſeminis retentionem, vtpote quod magnam vim obtineat, & in mulieribus humidius, ac frigidius ſit, & excreationem requirat in ijs, quæ multo ſemine exuberant, ſicut etiam in viris, quippe non parua eſt horum quoque differentia; ſunt enim non nulli, quos protinùs a iuuentute concubitus imbecilliores efficit, alij, niſi aſſiduè coeant, capitis grauitate moleſtantur, cibos faſtidiunt, ac febribus obnoxij fiunt, atque vt deterior eſt ipſis appetentia, ita & concoctio minor; hæc Galenus.

Semen retẽtum venenata qualitate corrũpitur ex Galeno.

Coitus diuerſi effectus, iuxtà proprias vtentium complexiones ex Galeno.

De Veneris item vſu, & effectu, Celſus primo in capite libri primi ſic loquitur. Concubitus verò neque nimis concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus eſt. Rarus corpus excitat, frequens reſoluit; quum autem frequens, non numero ſit, ſed natura, ratione ætatis, & corporis ſcire licet, eum non inutilem eſſe, quem corporis neque labor, neque dolor ſequitur. Idem interdiu peior eſt, noctu tutior, ita tamen, ſi neque illum cibus, neque hunc cum vigilia labor ſtatim ſequitur. hæc Celſus.

Coitus cuique naturæ quãdo vtilis ex Celſo.

Venus præterea cuiuſque ætatis non eſt, ſed ætate florentibus, ac firmis tantùm conuenit moderatè tamen adhibita;

Auicennæ sẽtentia de coitu ſuperfluo.

quoniam vt dixit Auicenna in libro de Animalibus. Si quid ſpermatis in coitu ex humano corpore ſupra naturæ vires effluxerit, ſtatim diſcoloratur,& debilitatur magis homo,quàm ſi quadrageſies tantundem ſanguinis ab eodem extraheretur; ſic Auicenna. Qui igitur iuuentutem valde præcedunt, ſemen ferè non effundunt; qui verò eam non longè ſubſequuntur, nõ valde probum, & fœcundum ſemen emittunt, nec item ſine vitæ detrimento.

Coitus, quibus præcipuè cõferat, & quibus noceat, ex Galeno.

Concubitus quoque innoxius eſt ijs, natura calidis & humidis, vel frigidis & humidis, naturali tamen genitura abũdantibus, Venerique aſſuetis, vtpote in pacifico matrimonij vinculo collocatis perſæpè contingit, complexionibus verò calidis & ſiccis non valde confert, maximè tamen frigidis ac ſiccis aduerſatur naturis, & eò magis ijs, quæ principem aliquam corporis partem læſam, vel debilem retinent, veluti caput, cor, pulmonem, ſtomachum, iecur, renes, aut veſicam.

Semẽ eſt quid magnũ ex Hippocrate.

Seminis humani denominationes notabiles.

Nam prout dixit Hippocrates in libro de Genitura, ſemen eſt quid magnum, & maiori ex parte ex cerebro prouenit. Quapropter quid inde mirum, ſi nobiliſſimam cerebri partem,humanum vocauerit ſemen Alchemon. Pythagoras verò, quandam ſpumam melioris etiam ſanguinis eſſe dixerit: diuinus tamen Plato, medullarum deſtillamentum nuncupauit ſemen; ſed Zeno Citticus declarauit ſemen,ſeu ſperma hominis,quod cum humido emittit, partis animæ ſpolium, & generis proauorum permixtionem, poſſe iure optimo pronunciari.

Porrò hac de re notandum, Plutarchum in libro de Sanitate tuenda ſcriptum reliquiſſe, tria potiſſimùm conducere ad vitam incolumen diu conſeruandam; primariò quidem in corporis exercitatione; ſecundariò verò in moderata cibi, & potus ratione; tertiò demùm in ſeminis conſeruatione conſiſtere dixit.

Plutarchi sẽtentia quo ad vitam diù incolumen conſeruandam.

Attamen quo ad Plutarchi ſententiam, nimirùm circa ſeminis conſeruationem, non de ſeminis conſeruatione in totum, intelligendam exiſtimo, quoniam ſanitati omninò prodeſſe non poteſt, quin immò ſemen humano in corpore diù retentum, vel putreſcenes, pernicioſo epoto veneno ſimile fit, ac eadem ſymptomata gignit ex præcitatis Galeni locis; verùm potiùs quidem cenſeo, per ſeminis conſeruationem, non immodicè ſemen venereis in amplexibus profundendum, ſed cautè conſeruandum, ſicuti ex Auicenna, & Celſo pauló

ante citatis eſt patefactū;quem item ſenſum,& huius opinionis effectum, apertiſſimè confirmat experientia, ſequenti diſticho demonſtrata, videlicet.

Balnea, vina, Venus, conſeruant corpora noſtra,
Corpora corrumpunt, balnea, vina, Venus. Balnei vsus, qualis.


Quiſquis igitur incolumen diù vitam ducere vehementer amans, id non immeritò conſequetur, ſed in virtute tandem recti, & moderati regiminis, in predictis ſex rebus non naturalibus præcisè deſcripti, quandoquidem (iuxtà prouerbium) moderata durant.



Libri Primi Finis:



LAE-



LÆLII ZACCAGNII ROMANI MEDICI AC PHILOSOPHI

NOTABILIVM MEDICINAE

LIBER SECVNDVS.

Aduersus eos, qui præter duos in homine testes. Tertium quoq; dari posse opinantur. Item in sexto Notabili Peripateticorum dilucidatur opinio, à Medicorum doctrina dissentiens, circa humanæ generationis principium, nempè.

Vtrum Mulier verum semen habeat vi generandi præditum.

AD HIERONYMVM PHILIPPELLIVM I. V. D. Excellentissimum.

NOTABILE PRIMVM.



VM nouas audiedi opiniones se se offert occasio HIERONYME PHILIPPELLI, eæ statim sunt vndique promulgandæ, nimirum, vt eruditissimis viris vrgens non desit stimulus proferendi quicquid realiter senciāt; Diebus enim præteritis, Franciscus Philippellius filius tuus, ac meus item nepos, nostrum vtrique iucundus, & valde carus, duodecimum circiter annum agens,

agens, ac sanguineam simul, & biliosam naturam retinens, ob errata in sex rebus non naturalibus commissa, præcipuè tamen in cibo superfluo, cuius signa, præter alia fuerunt vermes, nomine ascarides, in intestino crasso geniti, vnà cum ventris stypticitate, ita vt vix quarto, vel quinto quoque die, valdè parum, idque magno etiam conatu excerneret, ad quem illicò quidam quasi ardor, & dolor peruenire, vel excitari non deficiebat, pro vt ipse Franciscus mihi potuit, ac sciuit exprimere, de quo tamen ardore, ac dolore mecum postremò non sine lacrymis conquerebatur; Est prætereà naturaliter viuacissimus puer, & in frequenti corporis motu, modò huc, illuc currendo, modò saltando, ac tandem sine corporis quiete vix notabili, quæ singula, & vniuersa, tanquam nimis violenta respectu tenellæ prædicti Francisci ætatis, vehiculum induxere cuidam congestioni humoris potiùs frigidi, quàm aliter apparentis, puberem in partem per vim transmissi, magis tamen ratione molesti diù in egerendo conatus, cum tumore denique vix apparente, atque ad manus tactum glandulosæ materiæ similitudinem præseferente, nec vllo etiam concomitante dolore, prope locum enteroceles, paulò inquā superiùs inter vtrunque testem; ad scrotum autem nihil descendebat.

Vermes Ascari, e, vbi generentur.

Hinc igitur factum est, vt cum dicti Francisci locus affectus fuisset patefactus pluribus Medicis, atque Chirurgis, ac propter aliquos de ambigua morbi qualitate dubitantes, respectu dictæ partis affectæ, demonstrantis obscurum quasi enteroceles, vel rupturæ intestinalis principium, non mirùm posteà visum fuerit, si celeberrimus tunc Romæ Chirurgus, tanquam nemini secundus in extrahendis à vesica lapidibus, in tutissima catheteris immissione, in hernijs, vel rupturis intestinalibus, curandis, alijsq; anatomicis operationibus docta manu peragendis, hoc in cāsu fuerit præcipuè requisitus, qui cum affectum prædicti Francisci locum respexisset, firmiter dixit eum nullum pati principium enteroceles, quod eò vsque tamen fuerat in dubium reuocatum, sed in supra narrato pubis loco, per tactum etiam rectè cognito, vel esse materiam glandulosam, uel tertium potiùs testem, & hac propterea de causa nihil moliendum confirmauit, quin immò præterea se se iactauit, alijs in Mundi partibus præ manibus integras sibi fuisse familias a natiuitate similiter tertium omninò testem

ha-

habentes, ideòque ſemet ipſum in Franciſco nepote meo prædicto, tanquam rem nouam non admirari, nec etiam prædicare:

Verùm quia quot capita, tot ſententiæ, Auctore Hippocrate, libri primi Aphoriſmorum initio, vbi ob rerum diuerſitatem, vel nouitatem, tam in cauſis, quàm in effectibus decernendis, vel dignoſcendis, perfectam aſſignare rationem, facilè non admodùm eſſe confirmauit; idcircò iuxtà meam opinionem, tum auctoritatibus, tum exemplis probabiliter adducendis, de veritate quid ſentiam, patefacere non grauabor, ad hoc, vt meum curioſi gratum animum cognoſcant, & amplectantur, ſiquidem quia poſt hominum memoriam, apud vniuerſos Medicinæ doctores, nullus hac de re tractatus, vel minimum ſaltem, poſt verbum reperiri.

De primo eorum fundamento, qui præter duos in homine teſtes, Tertium quoque dari poſſe opinantur.

NOTABILE SECVNDVM.

PRincipale, maiuſque fundamentum, quod aſſerentibus tertium quoque teſtem poſſe dari gratificetur, & faueat, videtur eſſe, propterea quòd ſicut non eſt mirum, in homine dari, & inueniri ſextum digitum in manu, vel pede, ita tertium teſtem dari, & inueniri etiam poſſe, quemadmodùm prædictus Chirurgus de viſu proprio teſtatus eſt.

Quamuis prima fronte præcipua fundamenti ratio, excogitata, & inuenta ab ijs, tertium dari teſtem opinantibus, ſatis euidens videatur eſſe demonſtratio; nihilominùs quia de Philoſophorum mente, fruſtrà fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora, nec etiam multiplicanda ſunt entia ſine neceſſitate, quemadmodùm profectò, nulla cogente neceſſitate, multiplicarentur in homine, dum tertium dari teſticulum prædicto concederetur Chirurgo, Romæ celeberrimo, de viſu proprio ita omnino teſtanti.

Dicendum tamē est sextum digitum in manu, vel pede, non esse verum digitum, sed æquiuocè tantùm, ac esse sicut hominem pictum ad similitudinem viuentis, & humanis, quin immò oculis monstruosum reddi, pro vt in curandis ægrotis, plures mihi videre contigit homines sextum digitum habentes, non vnica solùm in manu, verùm ambabus etiam in manibus, & in vtrisque pedibus, non tamen ijsdem semper in locis, nempè, tam in pedibus, quàm in manibus, modò intra pollicem, & indicem, modò extra pollicem, & modò iuxtà tertium articulum auricularis digiti, quasi insitum in ipsius met radice, veluti semitruncum, vel frustulum digiti, tanquam naturæ delubrium, ob humani seminis superfluitatem, in embryonis conformatione redundantem.

Sexti digiti, iuxtà manus, & pedes, locorum diuersitas.

Sexti digiti differentia, in forma, seu figura.

Quamobrem sextus etiam digitus, in ipsa met forma, seu figura diuersis adnascitur modis; Alius enim totus carnosus existit, & aliquandò cum vngue, nec non rarò mouetur; alius verò in se continet ossa, non nunquam & vngues, perpetuò tamen immobilis permanet; propterea factum est, vt sextus digitus, cùm ob narratos defectus, non sit verus digitus, sed vt mancus, ac item deformis, a Medicis inquam, inter morbos in numero fuerit collocatus, ac veluti præter naturam, & superfluus per eiusdem incisionem in totum, sit etiam curandus, vt optimè docent Paulus Aegineta, libro sexto, capite quadragesimo tertio, Ioannes Andreas à Cruce, libro primo, tractatu sexto, capite nono, Ioannes de Vico, libro nono, capite trigesimo quarto, vbi sextum precisè digitum, nomine superfluum declarat.

Sextus digitus inter morbos in numero collocatur.

Nihilominùs quia prædicti homines, sextum digitum habentes, cordato non erant animo, nec forti, sed pauido potiùs, atque muliebri, eam propterea turpidinem, omnium oculis patentem ferre, ac pati maluerunt, quàm per eiusdem sexti, nec veri digiti, quin immo superflui incisionem, ab ea monstruosa turpidine in futurum perfectè curari, licet ad id omninò, ac viriliter exequendum, eosdem sæpè sæpiùs hortatus benigniter essem.

Pari siquidem modo, & eisdem penè de causis, dato, sed nunquam concesso, quod tertius detur testis per supradictum Chirurgum, Romæ celeberrimum, pro vt oretenus mihi significare ausus est, aliundè se integras vidisse familias a natiuitate tertium omninò testem habentes.

Di-

Dicendum nihilominùs est, ipsum pariter inter morbos in numero recensendum, ac tanquam superfluum, esse similiter amputandum, nec posse tertium appellari testem, nisi æquiuocè tantùm, eò quòd non sit eiusdem essentialis potestatis, ac identitatis ad agendum, respectu duorum testium verè naturalium; Nam licet abundantia seminis in fœtus generatione, possit etiam multiplicibus abundare membris, pro vt in sexto, nec vero digito, qui etiam diuersè genitus, vt dictum est, arguit imperfectionem naturæ illum procreantis, videlicet quia ad suas functiones peragendas impeditus remanet, eadem quoque ratione, tertium testiculum, si daretur; impeditum pariter remanere ad generandum, esset facilè iudicandum; proptereà dicendum potiùs est, eum appellandum veluti materiam glandulosam, a toto corpore puberem in partem, tantanquam circa consueta iecoris emunctoria loca, vi naturæ trāsmissā, nec sibi testiculi formā, seu nomē deberi, quēadmodùm in dicti Frācisci Nepotis casu ab initio narrato, euenisse, ac præter Chirurgi prædicti opinionem, aliter experientia contigisse, visum, & confirmatum est.

Qua de re Galenus, libro primo de semine, capite duodecimo, ex anatomia constare dicit duo tantùm vasa spermatica fuisse a natura homini data, venam scilicet cui subiacet arteria, vtraque flexus multos numero æquales, instar capreolorum quorundam, verè complexorum efficientia, quo complexu, sanguis, & spiritus, qui ad testes feruntur, diutissimè concoquuntur in quibus semen elaboratur, qui flexus postremi in testes terminantur, quia testes, vt qui laxi, & cauernosi sunt, chymum, qui in vasis cœptus erat concoqui, excipientes, rursùm concoquunt, donec perfectam seminis formam induxerint, ij denique per aliud vas, quod ad pudendum porrigitur, semen eiaculantur; ita Galenus; ex cuius quidem verbis patet duo tantùm esse vasa spermatica, quoniam duo tantùm sunt in homine testes. *Testes duós in homine reperiri, & non plures.*

Si autem obijciatur, vbi tres dantur testiculi, (pro vt semetipsum vidisse prædictus asseruit Chirurgus) dari quoque a natura tria vasa spermatica, quoniam per obseruationem in sectione cadauerum, visa sunt plura vasa spermatica, quàm duo, quatuor scilicet venæ, totidemque arteriæ, eiusdem substantiæ, & vsus seminaris, ideò consequenter non solùm tres, sed etiam quatuor, & octo ad summū testes posse dari.

Respōdetur, præter duo vasa spermatica hominibus naturaliter vniuersis communia, non dari quidem plura, nec item plures testes, quàm duos, sed quæcunque alia vasa spermatica, quæ tam a quibusuis, quàm a prædicto Chirurgo putantur etiam dari, non esse nisi flexus plurimos simul tanquam capreolos, a veris duobus vasis spermaticis originem ducentes, ex ante citato Galeni loco. Nam sicut repugnat dicere, manus habet quinque digitos, ergo vnus, vel duo digiti, sunt totidem manus. Ita etiam absurdum est dicere, dum secantur cadauera. duo inquam vasa seminaria, seu parastatæ item duæ, vena scilicet, & arteria, continent inter se flexus multos numero æquales, se se simul complectentes, instar capreolorum, ergo vnus, vel duo ex illis tot simul amplexibus, venæ inquam, & arteriæ spermaticæ, sunt tertium, vel quartum vas spermaticum, & sic per consequens, dantur etiam tres, & quatuor testes, ac etiam plures, pro ratione huiusmodi vasorum spermaticorum, eo modo acceptorum; quod quidem si concederetur, non solùm magnum esset inconueniens, sed ridiculum quoque videretur, dari tot numero testes, frustra, & sine necessitate, in natura humana, cùm ad hominis generationem, vnus, vel duo ad summum testiculi, satis superque sint. Sed multò meliùs quidem esset, tot saltem testiculos, non hominibus, sed agnis tantummodò posse a natura concedi, vtpotè ad gulæ irritamentum satis bonos, condimentis tamen debito modo, ex coquorum arte paratos, tam caro siquidem pretio non venderentur, in hominibus autem, tanquam superflui, & ad nullum vsum remanerent.

Concludendum est igitur, quemadmodùm manus comprehendit in se quinque digitos, ita etiam duo illa vasa spermatica, naturaliter vniuersis communia, comprehendere in se tot amplexus venæ, & arteriæ, vtrinsque per se seminaris, quæ faciunt vnum cum toto in dictis amplexibus numero æqualibus instar capreolorum, pro vt quinque digiti, cum tota manu, & non aliter, nec alio modo.

Testis vnicus, ad prolem sufficiens est.

Quòd autem vnicus testis ad prolem sufficiens sit, manifesto patet eorum emplexo, qui cùm hernia intestinali, vnico in testiculo laborarent, ac per eiusdem extractionem, ab hernia prædicta fuissent curati, in posterùm tamen filios ab ijsdem fuisse genitos, apud omnes Medicinæ Doctores indubitatum est.

Ve-

Veruntamen ex dictis obijciet profectò Chirurgus, Romæ celeberrimus, me met ipsum quoque Dædaleo penitùs in labyrintho versari, siquidem eorum in me retorquetur exemplum, qui ab hernia intestinali, vnica tantùm in parte curati, filios nihilominùs procrearunt, quod verum esse non negat prædictus etiam Chirurgus. Propterea includit ex hoc item sequi, vel duos homini testes fuisse a natura frustrà concessos, dum vnus quidem ad prolem sufficiens est, vel secundum, non esse verum testem, sed æquiuocè tantùm, & idcircò eandem militare rationem secundi, ad tertium, quam vnius, ad secundum, vel tandem secundum potiùs, & tertium, eiusdem esse potentiæ ad generandum, pro vt vnum tantummodò testem, cùm scilicet eadem sit relatio identitatis secundi, ad tertium, quæ vinus ad secundum.

Ad prædicti Chirurgi obiectionem penitùs euertendam, respondetur duos homini testes non fuisse a natura frustra concessos, licet vnicus tantùm ad prolem sufficiens sit, siquidem ad finem diuersum necessariò duos natura creauit, ad vtriusque videlicet sexus progeniem, dextrum enim, ad masculorum generationem, sinistrum verò ad fœminarum sobolem prouida natura creauit, quod Hippocratis auctoritate, in libro de superfœtatione, numero decimo octauo, his confirmatur verbis. Vir, vbi fœmellam generare volet, quum plurimi menses prodierint mulieri, & dum adhuc eunt, coeat, ac dextrum testem obliget, quantum id tolerare poterit, sed si marem generare expetat, sinister testis obligandus erit; ita Hippocrates. cui similiter adhæret Auicenna, fen vigesima prima tertij, tractatu secundo, capite decimo quinto, dum dicit, Nam rustici etiam stringunt sinistrum testiculum tauri, vt effundatur ex dextro, quumque adolescentis dexter priùs inflatur testiculus, tunc ipse est masculinans, aut sinister, tunc ipse est fœmininans, hæc Auicenna.

Testes duos, & non vnum, ad quem finem homini natura concessit.

Masculorum generatio quo ingenio, iuxtà Hippocratem, & Auicennam possit fieri.

Magnus autem Philosophus Aristoteles, vtpote diligentissimus rerum naturalium inquisitor, prædictis rationibus non acquiescens, altiorem hac de re indaginem speculatus est, ac propterea quarto de generatione animalium, capite primo, non longè ab initio, circa maris, vel fœminæ generationem, in vtriusque testis virtute (præter Leophanis opinionem, supra dictis Auctoribus adhærentis) ita propemodùm pronunciauit; Causam verò maris, & fœminæ, caliditatem, frigiditatemue arbi-

Maris, aut fœminæ generatio ex qua causa per Aristotelem fiat Seminis calidioris indicium in homine, ex Aristotele.

arbitrari, secernique de dextris, aut de sinistris, non sine vlla ratione dici potest, sunt enim partes corporis dextræ, calidiores sinistris, & semē concoctum calidius est, quale id, quod spissum est, fœcundius autem, quod spissius est; hæc Aristoteles, ex cuius inquam verbis, cùm potior, atque nobilior fuerit inuestigata causa, videlicet cur dexter potiùs testis, quàm sinister, marem procreandi vim habeat, hanc siquidem, ratione maioris caliditatis in dextro, quàm in sinistro consistere, idem assignauit Aristoteles.

Si quis autem scire cupit, quando masculum semper gigni, vel semper fœminam procreari necessariò contingat, ad Notabile Quintum confugere non indignetur, quoniam vbi de Hermaphroditi generatione agitur, hanc ibi difficultatem satis enucleatam inueniet.

Concludendum denique obiectionem à prædicto Chirurgo excogitatam, ad nihilum effectiuè reduci, siquidem præterea concedere, ac inuitus fateri cogitur, duos homini testes, non sine necessitate fuisse à natura tributos, nempe quia ad vtriusque sexus progeniem, unus tantùm non est sufficiens, licet ad prolem sufficiens sit. Quòd autem vnus, ad vtriusque sexus progeniem non sit satis, facilè probatur, quia si quis homo vnum tantummodò testem haberet, hic tamen unus, uel esset dexter, aut sinister; si dexter, semper masculum generaret, si sinister, semper fœminam procrearet, quod magnum esset inconueniens, dum potentia utrumque sexum procreandi, humanæ denegaretur naturæ; uel denique si quiuis uniuersaliter dextrum, uel sinistrum possideret testiculum, eò ipso, alterutro deficiente sexu, humana penitùs destrueretur natura, quo quidem nihil absurdius.

Quamobrem per consequens, fateri etiam cogitur, secundū testem non esse superfluum, nec minùs æquiuocè dicendum; Dum autem obiecit eandem militare rationē secundi, ad tertium, quæ unius ad secundum, ualde hallucinatus est, propterea quòd respectu generabilis potentiæ, unico tantùm in teste permanentis, opinatus est secundum esse superfluum, uel saltē æquiuocum, quæ quidem conditiones cōueniunt propriè tertio, per eundem Chirurgum omninò dari excogitato.

Quando tandem dixit secundum potiùs, & tertium eiusdem esse potentiæ ad generandum, pro ut unicum tantummodò testem, cùm scilicet eadem sit relatio identitatis secundi, ad tertium,

tium,

tium, quæ vnius ad fecundum; quantum pariter fuerit hallucinatus, manifeftum eft ex inconuenienti, quod fequeretur, fi præter duos in homine teftes, tertium quoque extra neceffitatem, ac naturæ ordinem, affignari permitteretur, veluti hoc idem fatis decifum eft fupra; Verùm enimuerò prædictus Chirurgus Romæ celeberrimus, aliqua dignus excufatione videtur, quoniam, vt opinionem propriam pertinaciter fuftineret, potiùs quàm mutare fententiam (quod fapientis eft) malè dicta femper tueri, ac per voluntariam oftentationem protegere conatus eft.

Nihilominus, licet eidem celeberrimo Chirurgo concederetur tertium quoque tefticulum poffe dari, impoffibile tamen fore videtur ex rationibus fupra dictis, quin etiam ipfe ad generandum impeditus remaneret, videlicet quia natura fine neceffitate, non poffet generare tertium vas fpermaticum, ac tertium denuò teftem, cum cæteris requifitis ad perfectam generationem, pro vt in duobus naturalibus teftibus, quod quidem fundamentum eiusdem fexti digiti confirmatur exemplo; Nam licet aliud fit, a natura gigni fextum digitum, qui ex minima quauis redundante feminis particula, in ipfa met embryonis formæ introductione gigni facilè poteft, & imperfectus nihilominùs gignitur, quemadmodùm ex Auctoribus fupra citatis euidenter conftare probatum eft. Aliud autem fit tertium tefticulum procreari, ad quem perfectè gignendum, & conformandum, tanquam nobile, ac principale humani corporis membrum, & vt conditionem, fine qua, non poteft humana fieri generatio, ficut in fpadonibus patet, aliud inquam requiritur, quàm mera fuperfluitas feminis qomodocunq; in in coniuntione maris, & fœmine redundantis.

Nec dicendum eft etiam, iuxtà contrarium tenentes, meliùs effe generati aliquid, quàm nihil, fiquidem in generatione perfecta, id poteft concedi, fed in imperfecta, pro vt effet, quando fextus digitus, aut mola (vel tertius tefticulus, per fupradictum Chirurgum, humano in corpore generaretur) id profectò negatur, quoniam ficut non effe, includit priuationem entis, per Ariftotelem in Metaphyficis, ita effe imperfectè, femper includit priuationem effe perfecti, & per confequens, fui ipfius defectum, idcircò tertio tefticulo, tanquam imperfecto, femper defectus ad generandum remaneret. An melius fit generari aliquid, quàm nihil.

In fauorem tamen eorum, tertium dari tefticulum afferentium,

tium, videtur esse Henricus Kormannus, qui in libro de Miraculis viuorum de tertio testiculo duo refert exempla, vnum videlicet Francisci Philelphi, tertium testiculum possidentis, alterum verò Bartholomæi Bergomensis, ideò coleonis dicti, propterea quòd ex eius familia, omnes masculi cum tribus testiculis nascerentur.

Nihilomiuùs ex ambobus Henrici Kormanni exemplis, nulla sequitur contradictio, nimirùm quia respondetur illum tertium in ambobus, nunquam verum fuisse testiculum, sicut & sextum digitum, non esse verum digitum, per supra citatos Auctores, tum Medicos, tum Chirurgos perfectissimos, & fide dignos, est effectiuè probatum; Nam citato etiam in loco, prædictus Henricus Kormannus hac de re non loquitur, veluti Medicus professus, & expertus, ac verè etiam oculatus iudex, realiter cognoscens, ac rei veritatem decernens, sed ex aliorum potiùs opinione, qui nec Medici fuere, quin immò ita propemodùm esse crediderunt (prout celeberrimus Romæ Chirurgus prædictus, adhuc sedulò credit) propterea non est mirum, si ambo exempla, Henricus Kormannus prædictus, inter viuorum miracula retulerit, siquidem ea, vtpote nimis admirabilia, vel item incredibilia posteris futura cognouit.

Tertius testis non datur.

Quamobrem meliùs esset ex dictis, vt prædicti scilicet Chirurgi. Romæ celeberrimi opinionem sequentes, faterentur etiam inuiti, non dari tertium testem, prout conuenienter dici potest, ac verum etiam est. quàm eum imperfectum, & ad nullum vsum, vel æquiuocè nuncupandum, & ad morbum in numero reducendum, eodemque etiam modo curandum, concedere cogerentur.

Tertius testis an detur, nec ne? proponitur modus cognitionem ipsius effectiue demonstrans.

Si quis autem prædictis rationibus euidenter probantibus non acquiescens, aliter credat, ac se se tertium habere testem realiter teneat, sitque vehementer cupidus certiorem videndi effectum, tunc prædicti Chirurgi auctoritate doctus, & ductus, faciat sibi penitùs incidere duos verè testes proprios, deindè verò cum tertio, prolis effectum in subiecto satis apto libenter experiatur, (vnus enim testis ad sobolem sufficiens est ex paulò antè probatis) & hoc scilicet modo rectè videbit, atque cognoscet nec ne, an sit velut ante opinabatur.

Patet igitur ex dictis, non dari tertium testem; Attamen quia in supradicto Francisco nepote, narratis de causis, fuit facta congestio materiæ cuiusdam frigidæ, & glandulosæ, obscu-

ſcuram teſticuli formam, circa pubem, præſeferentis; Hinc igitur, ob opinionum diuerſitatem, hæc ſcribendi eſt orta occaſio, licet eadem humoris congeſtio, paucos poſt dies, fuerit diſſipata, & reſoluta, per ſequentem purgationem ſatis leuem, prædicto Franciſco nepoti præſcriptam; Recipe mellis roſati ſolutiui, & mannæ Calabriæ, vtriuſque vnicam vnciam, & mediam, addita decoctione cordiali quantum ſufficit, & vnà cum drachma aquæ cinnamomi deſtillati ſecundum aromatariorum artem, fiat portiuncula, quam ante cibum per quatuor horas potet, quemadmodùm etiam per vnctionem adipis Gallinæ, & olei camæmelini, ac liliorum alborum, & terebinthinæ, ad ſemiunciam pro quolibet, quibus inuicem mixtis, & lento igne calefactis, nec diù parti affectæ adhibitis, ita factum eſt, vt recta etiam victus ratione inſtituta, tertij teſticuli dubitatio omninò euanuerit.

Qua de re, cùm iudicium ſit difficile in re medica, Auctore Hippocrate, Aphoriſmorum initio, idcircò quibuſlibet in morbis, circa prognoſticum, de ægrotantibus non eſt temerè judicandum, quoniam Plinius de Medicis agens in libro vigeſimo nono ſuæ Naturalis hiſtoriæ, capite primo ſic refert. Nulli hominum magis, quàm ſe medicum profitenti, creditur ſtatim, cum ſit tamen in nullo alio periculum maius, negociantur enim animas noſtras, & experimenta per mortes agunt: Non igitur mirum, ſi Plato tertio de Republica ſcripſerit medicos tunc fieri excellentiſſimos, quando a pueritia artem diſcere auſpicati, cum plurimis ægris verſati fuerint, ipſique omnes morbos experti, ac prætereà natura valetudinarij ſint. ſic Plato. Hæc inquam, ſi quibuſdam euenirent medicis, inculpata vt plurimùm ſanitate fluentibus, multorum quidem prorogaretur interitus.

Medici, nomẽ quantùm poſſit apud vulgum, ex Plinij ſententia.

Medici excellentiſſimi, quales, ex Platone.

Attamen quia non raró contingit, vt aliquibus, ob errata in ſex rebus non naturalibus commiſſa, circa ſcrotum, ac teſtes, vel circa partes iecoris emunctorias, eiuſdem met iecoris vitio, fiat aliqua materiæ congeſtio tam frigidæ, dictas in partes, quaſi per vim a natura tranſmiſſæ, quæ, quia ob humoris pertinaciam, neque ad reſolutionem, vel ſuppurationem tendit, quibuſuis licet medicamentis localibus diù applicatis, vel etiam purgato ſufficienter corpore, remedijs tamen non cedit, quod mihi, & alijs medicum profitentibus, perſæpè contigit experiri; Hæc frigida humorum tandem all-

quando congestio, vel euanescit, vel ad suppurationem venit sine alio medicinæ præsidio, natura enim pedetentim sanat, Galeno teste in libello de Melancholia ex Rufo, capite secundo, his verbis. Multi dum curarentur ægroti, nihil vtilitatis præceperunt, vnde Medicos nihil fecisse dixerunt, & tamen post paulum tempus curati sunt, siquidem natura paulatim curat, ita Galenus.

Natura morbos paulatim curat de Galeni mente.

Quambobrem, quia non omnium est adire Corinthum, prout dixit Demosthenes, nec item ex quouis ære fit Mercurius, vt fertur adagium, nec etiam naturaliter omnibus, veluti desiderio tenentur, ac profectò putant, datum est scire, teste Philosopho, primo Physicorum initio, & septimo Metaphysicæ, capite quarto, propterea non est mirum, si quis aliter sentiat, quàm deberet, omnes enim homines, suo tamen quilibet modo cuncta non ignorare arbitrantur, quemadmodùm prædictus Chirurgus, qui licet sit Romæ celeberrimus, nihilominùs tertium se se vidisse testiculum in pluribus à natiuitate familijs propterea testatus est, videlicet quia suo quidem modo, ita propemodùm esse opinatus est, ac item sedulò credidit.

De Secundo eorum fundamento, qui præter duos in homine testes. Tertium quoque dari posse opinantur.

NOTABILE TERTIVM.

SEcundi fundamenti opinio, est affirmantium, tertium homini testem posse a natura concedi, quam quidem opinionem sequenti modo potissimùm sustinere conati sunt. Dixerunt enim, quemadmodùm patet abundare quandoque naturam suis in operibus perficiendis, veluti dum generat gemellos, ita eandem etiam posse in tertij testis generatione quandoque abundare.

Ad secundi opinionem fundamenti, quatenus ad antecedens, respondendum videtur nullo modo dici posse, abundare

re quandoque naturam suis in operibus perficiendis, dum generat gemellos, quoniam si in tota perfectione eos generat, ac vitales reddit, dicendum potiùs est, eam non deficere suis in operibus perficiendis; Humana siquidem natura, nè penitùs destruatur, successiua semper indiget hominum multiplicatione, ad huius Mundi perpetuitatem, finitè in infinitum conseruandam, ad quem vtique finem; ideò gemellos etiam procreat, quia ipsa met natura huic multiplicationis necessitati supplere aliquando conatur, immò tantò magis inquam si ad eundem finem, & effectum, posset perfectè plures procreare infantes, suum pariter conatum efficeret; Si autem eos in tota perfectione non generat, non amplius gemelli dicuntur, sed potius tanquam naturæ delubria, in monstruorũ genere collocantur. Quod autem natura in tertij testis generatione posset quandoque abundare, id quidem huiusmodi opinioni adhærentibus, omninò negatur: Nam posito etiam quod gratis prædicto præcipuè Chirurgo illum in homine gigni concederetur, tunc verè dici posset frustra naturam abundare, vel supplere suis in operibus perficiendis, tertium videlicet procreando testem, ad prolem non idoneum, nec necessarium, quin immò superfluum, cùm ad humanam generationem duo sint satis, velut in secundo Notabili est sufficienter decisum.

Natura humana quomodo finitè in infinitum conseruetur

Notandum prætereà, inter Medicinæ scriptores, qui de Monstris egerunt, licet de duabus manibus in vtroque brachio, & de quatuor brachijs, & quatuor cruribus, cum totidem manibus, ac pedibus, in eodem subiecto, plures historias vnà cum figura impressas retulerit Iacobus Rufius in libro de Monstris, de tribus tamen, aut quatuor testibus, nullum referri exemplum, quoniam apud Medicos, tertium in homine non inueniri, experientia notissimum est; Quod item sapientissimus Philosophus sectione decima problematum, quadragesimo quarto problemate satis dilucidare videtur his verbis. Ergo quomodo in operibus artis, sic etiam in naturæ licet perspicere; nam in his quoque prauè omnia facta sunt, & plura sunt praua, quàm proba, proba verò pauciora, & præstare non omnia potest: hæc Philosophus, per quem si proba fiunt a natura pauciora, propterea quòd præstare non omnia possit, quomodo ergo eadem natura tertium testem tanquam probum, ac præter naturæ necessitatẽ poterit etiam generare?

Et licet prædictus denique Chirurgus asseruerit, se tertium vidisse testiculum in pluribus à natiuitate familijs.

Respondetur iterùm, atque iterùm, illum tertium, nisi æquiuocè posse vocari testem, prout & sextum digitum, sed cum sextus digitus, ab Auctoribus supra citatis, fuerit positus inter morbos in numero, eodem modo certissimum est, tertium testem inter morbos in numero recensendum, ac etiam per incisionem in totum, sicuti sextum digitum esse curandum.

De Tértio eorum fundamento; qui præter duos in homine Testes, Tertium quoque dari posse opinantur.

NOTABILE QVARTVM.

PRo suæ opinionis corroboratione, ijdem tertium inuestigarunt fundamentum, Naturam videlicet suis in effectibus exequendis, consuetum, nec statutum semper ordinem seruare; Hoc autem ita probare tentarunt, nimirùm, sicuti verum est, naturam præter consuetum, & statutum ordinem, infantes cum dentibus aliquando nasci permittere, pari scilicet modo verum esse, naturā præter consuetum, & statutum ordinem, aliquando permittere infantes cum tertio teste nascentes.

Quamuis infantes cum dentibus aliquando nasci, præter suum institutum natura permittat, iuxta tertij fundamenti opinionem amplectentes; Ex hoc autem nihil sequi respondetur, prout paulò inferiùs probabitur; Brutorum enim omniū cum dentibus nasci proprium est, quod tamen duplici de causa contingit; Vna siquidem est, quoniam vtile suppetit excrementum ad procreandos in brutorum vtero dentes; Altera verò est, quia natura propriam cognoscens indigentiam, ac sustentationis necessitatem in illis, propterea dentibus ea muniuit in vtero, vt illico à natiuitate, cibum vitæ necessarium sibi faciliùs accommodarent, eo enim tempore bruta, licet pa-

paruula, ab ijsdemmet parentibus deferi incipiunt, quod quidem hominibus non contingit, vt patet.

Quamobrem infantes, aliquando nasci dentatos, tunc pariter contingit, quando materno reperitur in vtero materia immediatè efficax; ex qua, & per quam, agente naturali calore, dentes illicò possint fieri, quemadmodum de Marco Curio dētato fama est, qui propterea dentatus fuit nūcupatus, eò quòd cum dentibus natus esset, de quo Cicero in dialogo de senectute sic narrat; Curio dentato, ad focum sedenti, magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati ab eo sunt, non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit, sed eis, qui haberent aurum, imperare. sic Cicero. Lucius item Filerius cum dentibus ortus est, Thoma de Thomais, capite decimo Ideæ referente, nihilominùs alios ab ipsa natiuitate dentatos in rerum natura non defuisse, certissimum est, sed proptereà quòd insignes viri non fuerint, nec vlla de ijs memoria extiterit, eorum idcircò famam perijsse cum sonitu, est concludendum.

Infantes nasci dētatos, quādo contingat.

Marcus Curius dentatus, fuit auri contemptor, ex Cicerone.

Quoniam verò vt plurimùm, dum sunt in vtero infantes, ad gignendos tunc dentes materia non reperitur efficax, idcò non longè a natiuitate, si dentes ijsdem erumpant, non est mirum; Quando autem dentati nascuntur infantes, tunc quia eiusdem ignorantiæ argumentum, est ipsamet admiratio, mirantur siquidem plurimi, nec alia de caufa, nisi quia præter consuetum naturæ ordinem, infantes eò ipso natos cum dentibus cernunt (prout etiam flores, ac fructus præter debitum tempus aliquando nasci, non est nouum) nescientes tamen id non esse propriè, & per se, sicut in brutis, sed per accidens, eò quòd in aliquo tantùm subiecto materia reperiatur efficax ad procreandos in vtero dentes, alioquin omnes homines, perinde ac bruta, cum dentibus in lucem venirent.

Admiratio, est ignorantiæ argumentum.

Quamobrem quo ad argumenti solutionem, circa dicentes, sicuti verum est, naturam præter consuetum, & statutum ordinem, infantes cum dentibus aliquando nasci permittere, pari scilicet modo verum esse, naturam præter consuetum, ac statutum ordinem, aliquando permittere infantes cum tertio teste nascentes.

Respondetur negari penitùs consequens, siquidem paritas argumenti nulla est, quoniam dum infantes natura cum dentibus gignit, non tamen gignit quid superfluum, saltem in futurum

turum

turum, nec procreat quod non debet, sed solùm infantes cum dentibus procreat paulò priùs, quàm deberet, licet per accidens, vt dictum est, successiuè tamen ad vsum benè loquendi, defectus enim dentium sermonem aliquantulum impedit, & tandem ad omne cibi genus ad libitum comedendū, nec non ad ornatum, ac viuentium pulchritudinem, & perfectionem; Sed si natura tertium produceret testem, iuxta tertij fundamenti opinionem sequentes, producendo quidem quod non deberet, ac etiam sine vlla necessitate, tam prout tunc, quàm in futurum, procrearet semper aliquid monstruosum, ac superfluum, & ad nullum vsum, tanquam imperfectum, veluti superiùs dilucidè patefactum est.

Respondetur prætereà, dum infantes oriuntur dentati, nec etiam posse omninò dici, immediatè post ortum, dentes illis ad nullum vsum, ac finem, fuisse à natura donatos, licet prout tunc, liquidis tantùm vescantur cibis, nec per dictos dentes cibi solidi ab ipsis mandi propterea possint, quoniam subitarij saltem ratione signi, vtpote boni prognostici ad longæuam perueniendi ætatem, id non temerè fuisse a natura factum, est meritò concludendum; Ex dentibus enim vitæ diuturnitatem, ac breuitatem iudicari posse, non est dubium, per Aristotelem in Problematibus, vbi dentibus vitæ inesse præsagia dixit, nam quibus rariores fuerint, ijdem haud ita diù viuere, ne opinentur, sic Aristoteles, cui adhæret etiam Rhasis, dum scripsit, quibus dentes sunt rari, debiles, ac minuti, ijs esse debile totum corpus, hæc Rhasis. Ratio autem est, quia dentes fiunt ex materia spermatica, cuius euidens indicium est, quod confracti, non ampliùs renascuntur, auctore Hippocrate sexto Aphorismorum, decimo nono, Si igitur dentes à spermate fiunt, quò magis rari, & exigui fuerint, eò maiorem spermaticæ virtutis imbecillitatem, & per consequens, cerebri simul infirmitatem indicabunt, immò prætereà, cùm principalia membra ortum a cerebro ducant, veluti sunt cor, & hepar, & in his tribus maximè vita consistat, his tamen duobus debilibus existentibus, per cerebri debilitatem, & cerebro existente debili per imbecillitatem spermatis in cocundo emissi, infirmis igitur omnibus vitæ principijs existentibus, quod per patefactos dentes raros, & exiguos profectò cognoscitur, consequens est huiusmodi dentes possidentibus, breuem fore vitam naturaliter futuram; Contrà verò qui magnos, firmos, ac spissos habuerint dentes,

Dentes vitæ breuitatem, vel diuturnitatem, qua ratione denunciat.

Dentes firmi, ac spissi, quid boni denotent

tam ſpermaticæ virtutis, quàm cerebri robur oſtendent, & conſequenter diuturnioris erunt etiam vitæ, & eò magis, qui triplici dentium ordine fuerint a natura muniti (pro vt Herculem fuiſſe narratur, qui tam ſtrenuus, ac fortis idcircò fuit; Qui vnicum tandem os, dentium vice retinuerint, ita vt vnus tantùm dens continuus videretur eſſe) conſtantem, ac firmam cerebri vim pariter denotabunt, ſiquidem talem fuiſſe Pyrrhum Epirotarum Regem, Plutarchus refert. Quamobrem juxtà Herodotum, de alijs item, de quibus memoria non extat, narrari non poteſt, licet ſimiliter ijs huiuſmodi fuiſſe dentes, ad incredibile non reducatur.

Infantes naſci dentatos, quid denotet.

Ex dictis igitur, iuxta philoſophicum axioma, propter quod vnum quodque tale, & illud magis, ſi infantes naſci dentatos, bonum erit diù viuendi argumentum, ſaltem propter dentes, priùs natos, quàm deberent, ergo tanto magis propter animalem virtutem in cerebro locatam, & naturalem in iecore firmatam, ac vitalem in corde inſitam, quas omnes præcipuè virtutes in infantibus dentatis vigere non eſt dubium, in virtute tamen, ac robore ipſius met ſpermatis, à quo, & per quod, in vtero dentes fiunt, quos denique infantes, tanquam alijs nō dentatis robuſtiores, nulla eſt alia de cauſa iudicandum, niſi quia priùs debito, & cōſueto tempore fuerint cū dētibus orti.

Ad maiorem autem veritatis confirmationem, animaduertendum eſt etiam, quòd quemadmodùm flores, & fructus, qui ſtatis non ſolùm temporibus, priùs alijs apparent, ſed præter conſuetudinem etiam à natura producuntur, omninò indicant ſuis in plantis maius nutrimentum ac robur, quàm in cæteris permanere, eundem pariter effectum in dentatis infantibus, eadem de cauſa reſultare certiſſimum eſt, cùm ſignum ſit quidē euidens, ad effectum concludendi, eoſdem iure optimo, longiorem vitam alijs non dentatis, fore naturaliter ducturos: Quare de re infantes naſci dentatos, & ad quem finem, nemini mirū, ac nouum eſſe debet; Sed infantes cum tertio teſticulo natos, à prædicto Chirurgo, ſic Romæ aſſerēte, fuiſſe alibi viſos, hoc pro fectò nouum, hoc mirum, & inſpectatum, erit omnium ore iudicandum.

De

De quarto eorum fundamento, qui præter duos in homine testes, Tertium quoque dari posse opinantur.

NOTABILE QVINTVM.

QVicunque prædictæ opinioni adhærētes, quartum ab Hermaphroditis mutuati sunt fundamentum, quod rarum tanquam exēplum, ac certum, suæ intētioni accomodare, nec non satisfacere indubitanter iudicarūt, quoniam Hermaphroditus respectiuè, est etiam opus naturæ, sicut & tertius testis, propterea hoc vsi sunt argumento, videlicet, Natura generat Hermaphroditum, qui est æmulatio vtrumque simul generādi sexum, ergo tanto magis procreare potest hominem tertium testem habentem.

Ad quartum nihilominus fundamentum paulò post respon debitur, interim licet verum sit, quod natura generet Hermaphroditum; Notandum quidem est multas interponi difficultates; tum circa illius generationē præter naturam, tum circa potentiam agendi simul & patiendi, tum denique circa vtriusque sexus locum, & curationem, quæ omnia sunt diligenter enucleanda.

Hermaphroditi definitio.

Inprimis igitur quo ad nomen, Hermaphroditus, vel Hermaphroditon, vitium ex compositione Mercurij, & Veneris appellatum est, multum vtrique sexui afferens indecori, Paulo Aegineta referente in libri sexti capite sexagesimo nono, Mercurius enim *ermis*, Venus autem, *aphroditi* à Græcis dicitur.

Hermaphroditi generatio secūdum Astrologos.

Verùm circa Hermaphroditi generationē quo ad Astrologos, tunc eum procreari volunt, quādo in coniunctione maris, & fœminæ, accidit vt Saturnus dominetur Taurū, in fine tertiæ faciei eiusdem tauri.

Quo ad Medicos autem, quia generatio humana consistit magis in semine maris, quam fœminæ, non excludendo propterea fœminam tanquam causam coadiuuantem, ac verum semen habentē, licet ad procreandum sit imperfectius viro,

pro

pro vt patet ex Galeno secundo in libro de Semine, capite quarto ita dicente; Ad seminis verò exactè concocti generationem, valido calore opus est, humidior quidem fœmina, & frigidior: calidior, & siccior mas apparet, non immeritò igitur illa in exactè conficiendo semine deficit, ita Galenus, qui etiã decimo quarto in libro de Vsu partium, capite vndecimo, muliebre semen vi generandi præditum esse confirmat his verbis. Quin & fœminæ semen, præter quàm quod confert animalis generationi, ad hæc quòque est vtile, vt enim fœmina quoque in Venerem excitetur, & cum coit cum mare; collum matricis patefaciat, semen non minimum habet momenti: Auicenna pariter idem tenet libro primo, fen prima, doctrina sexta, capite secundo, dum dicit, Generatiuæ virtutis duæ sunt species, vna est, quæ in masculis, & fœminis, sperma generat, altera est, quæ diuidit virtutes, quæ sunt in spermate, & permiscet eas, hæc Auicennæ sunt verba.

Semen muliebre humanæ confert generationi, ex Galeno.

Iuxtà Medicorum igitur doctrinam, vir simul & mulier, modò nunc dicendo, Hermaphroditum procreant; Verùm supponendum est priùs, quod si in concubitu semen viri à dextero teste sufficienter emittatur, ac dexteram pariter vteri partem occupet, nec quicquam in vtero sibi aduersum repugnet, eò ipso masculum necessariò gigni semper sequitur; sed si semen viri a sinistro teste cum eadem conditione fluens, sinistrum vteri latus ingrediatur, fœminam de necessitate fieri semper contingit; si verò semen viri licet cum omnibus requisitis a dextero teste eiaculatum, sinistram vteri transferatur in partem, tunc iuxtà prædominantis seminis, aut loci qualitatem, fœtum produci necesse est; Attamen si vtrisque in partibus qualitates fuerint adæquatæ, Hermaphroditum illicò procreari non est mirum, qui cùm ad concipiendum non sit aptus, menstruis propterea caret, Sauonarola teste, tractatu sexto, capite vigesimo primo, Rubrica sexta, Practicæ maioris, quin immò cùm sit de genere præter naturam, rarò etiam in lucem editur, sicut & cætera monstra.

Hermaph. generatio secundum Medicos.

Masculi generatio quando semper fiat.

Fœminæ generatio quando semper fiat.

Hermaphroditi generatio quomodo contingat.

Hermaphroditus caret menstruis.

Quatenùs verò ad potentiam agendi simul & patiendi, licet de vtroque sexu participet Hermaphroditus, non est tamen (prò vt aliqui putant) ad vtrumque sexum aptus, & æquiualens, de Aristotelis fide, libro quarto de generatione animalium, capite quarto, his verbis; Quibus autem gemina habere genitalia accidit, alterum maris, alterum fœminæ,

Hermaphroditus non est agens simul & patiens in vtroque sexu.

ijs semper alterum ratum, alterum irritum redditur; cùm per alimentum subinde delitescat, quoniam præter naturam est. Confirmat hoc idem Princeps Auicenna, fen vigesima tertij canonis, tractatu secundo, capite quadragesimo tertio, vbi sic dicit; Illi, qui est Hermaphroditus, non est membrum viri, neque membrum mulieris, & de illis est, qui habet vtrunque, sed vnum eorum est occultius, & debilius, & aliud è contrario, & descendit sprema ex vno eorum absque alio, & de illis est, in quo ambo sunt æqualia, & peruenit ad me de illis, qui agit, & patitur, sed parum verificatur hoc, & multoties curantur per incisionem membri occultioris, & regimen vulneris eius, hæc Auicenna.

Hermaphroditorum differentiæ circa loca pudenda.

Quatenùs etiam ad vtriusque sexus locum, & curationem pertinet circa Hermaphroditos; Notandum est, pro vt narrat Paulus Aegineta, libro sexto, capite sexagesimo nono, ex auctoritate Leonidis, tres differentias existere in viris, & vnam in mulieribus: in viris siquidem, alias iuxtà regionem, inter scrotum, & anum, aliàs in medio scroto muliebris pudendi pilis obsiti forma apparet, tertia verò ad hæc accedit, in qua non nulli, veluti ex pudendo, quod in scroto est, vrinam profundunt; In mulieribus autem, supra pudendum, iuxtà pubem, virile frequenter genitale inuenitur, tribus quibusdam extantibus corporibus, vno tanquam cole, duobus autem veluti testiculis; Tertia itaque virorum deformitas, qua vrina per scrotum excernitur curationem non recipit, reliquæ tres curantur corporibus superuacuis è medio sublatis, & vlcerum modo tractatis; hæc Paulus Aegineta.

Pro solutione igitur quarti argumenti, seu fundamenti superiùs adducti, videlicet, Natura generat Hermaphroditum, qui est æmulatio vtrumque simul generandi sexum, ergo tanto magis procreare potest hominem tertium testem habentem.

Hermaphroditum ad quem finem generet natura.

Respondetur consequentiam non rectè sequi, siquidem ratio, quæ afferri potest, est quia dum natura gignit Hermaphroditum, tunc vtrumque simul sexum perfectè procreare conatur, quod quidem si posset consequi, pulchrum conficeret opus, attamen, quia natura sexum alterutrum Hermaphrodito imperfectè concedit, dum scilicet ipsum vtroque officio fungi non posse permittit, propterea sexus ille, qui in ipso impeditus remanet, frustra dicitur genitus, eò quòd in eodem Hermaphrodito ad nullum penitùs finem, immò super-

perfluus, ac monstruosus veluti relictus a natura videatur; Non tenet igitur consequentia, quoniam dato, nec tamen concesso, quod hominem cum tertio testiculo natura crearet, tūc esset meritò dicendum homini tertium fuisse à natura frustra concessum non solùm tanquam superfluum, sed etiam vt ad progeniem imperfectum, quemadmodum in Secundo Notabili est omninò probatum; Hac tamen de re, si vnus, vel duo testes sunt homini satis ad completam vtriusque sexus progeniem, ex supra decisis, ad quid ergo naturam tertio abundare necesse est; siquidem iuxta notissimum & iam decātatum versiculum.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Quamobrem certissimum est, sicuti sextus iam digitus, qui vt imperfectus, nec non superfluus, ac etiam prout morbus in numero, vel membrum irritum in Hermaphrodito, per Auctores supra citatos facta eorundem incisione curantur. eò siquidem modo tertium testiculum, si quandocunque natura crearet, velut imperfectum, ac præter naturam, & superfluum, esse ad morbum in numero reducendum, ac eadem penitùs incisione curandum.

Vtrum mulier verum semen habeat vi generandi præditum.

NOTABILE SEXTVM.

CVm satis huc vsque aduersus eos tertium dari testiculum opinantes, productum fuerit colloquium, ac item Hermaphroditi occasione, de humana generatione fuerit sermo institutus, hac siquidem in humani seminis virtute, mediantibus testiculis, tanquam vltimo complemento consistere, non est nouum; Hos autem a lateribus vteri, ac intus latentes, minores tamen, ac frigidiores, nec non ad procreandum ipso met viro imperfectiores, cum retineat etiam mulier, quemadmodùm testatur Galenus decimo quarto in libro de Vsu partium, capite sexto, & duodecimo: Propterea verum in virtute muliebris, aut virilis seminis, humana fiat generatio, in dubium reuocari videtur, quandoquidem circa id, à

Mulier habet testes pro vt uir, sed intus latentes, à lateribus vteri.

Philoſophis Peripateticis non parum diſſentiunt Medici; Nihilominùs, vt intelligendi cupidis aliquantulùm ſatisfaciam, non ab re mihi viſum eſt, ſi inueteratam; nec vix adhuc perfectè deciſam dubitationem iſtam attingere, eandemque ſoluere, animus etiam ferat, ad hoc, vt ex eiuſdem probabiliori reſolutione, rei veritas magis eluceſcat.

Humanum profectò ſemen, quouis alio ſemine perfectius, aliquo iure dici poſſe videtur, eò quòd animal rationale, omnium nobiliſſimum, nempe hominem gignat; Verùm hic, an in virtute fœminini. ſeminis etiam fiat, difficultatem non minimam parit, quoniam diſſentiunt inquam, à Peripateticis Medici cira humanæ generationis principium, nempe, Vtrum mulier verum ſemen habeat vi generandi præditum; Diſſentionis tamen cauſa fuiſſe videtur, quia mulier, præter ſanguinem meſtruum, emittit etiam humiditatem quandam, quæ, an ſit verum ſemen, vel ſimplex potiùs humiditas aquea, & à ſemine diuerſa, in controuerſiam adhuc vertitur.

Ariſtotelis opinio circa ſemẽ mulieris.

Hanc autem controuerſiam Peripateticorum Princeps Ariſtoteles idcircò Medicis reliquit, quoniam primo de Generatione animalium, capite decimo nono, & vigeſimo, arbitratus eſt mulierem æquiuocè tantum habere ſemen, ac propterea, ſi quid habet, meram eſſe materiam, veluti ſanguinem menſtruum, quin immò vim effectricem generationis, in mare tantummodò conſiſtere decreuit, quod etiam confirmauit ſecundo in libro de Generatione animalium, capite quarto, vbi ſimiliter dixit, mulieri opus eſſe mare, ad concipiendum, quoniam conceptui, à mare ineſt anima ſentiens, quam fœmina procreare nequit; ſcripſit item prædicto in libro primo de Generatione animalium, capite decimo nono, & vigeſimo, mulierem, dum verum ſemen haberet, poſſe concipere abſque mare; Quod tandem per eundem Ariſtotelem probatur, quia ſi ſemen potens eſt efficere, & confirmare fœtum in vtero, eò quòd ſi pars quædam vtilis excrementi, à quo, & per quod, ſingula fœtus membra efformantur, eodem affirmante Ariſtotele, primo in libro de Generatione animalium, capite vigeſimo, & alibi, hinc igitur eſt, quòd cùm habeat mulier materiam generationis, & locum, ſemen videlicet, ac vterum, poterit etiam fœtum per ſe, nullo concurrente viri coitu generare; Quod tamen in virginum clauſtris, alijſque mulieribus a virorum comercio ſeparatis, adhuc vſque videre nun-

quam

quam contigit, licet, iuxtà Medicorum doctrinam, & experientiam, mulier verum semen habeat, vi etiam generandi præditũ quem admodùm ex inferiùs dicẽdis, verissimũ esse patebit.

Attamen dato, sed con concesso, quòd sola mulier, proprio semine mediante, posset etiam per se concipere; Dicendum siquidem esset, masculorum generationem, fore hoc modò penitùs destruendam, quod item probatur, quia cùm fœminam masculus multa perfectione super, & eò quòd fœmina sit mas læsus per Aristotelem primo physicorum libro, textu trigesimo primo, & libro secundo de generatione animalium, capite tertio, & quarto, cùmque nihil vltra vires suas agere, nec se metipso præstantiùs gignere quisquam possit, ex hoc igitur sequitur, quòd fœmina, iuxta suas vires, semper fœminam, masculum verò, tanquam se met ipsa perfectiorem, ac vltra vires suas, gignere nunquam posset, quod maximo muliebris naturæ defectui esset tribuendum. Præterea dato etiam quod per eundem Aristotelem præcitatis in locis natura masculum omninò creare intendat, dum vtique marem, veluti fœmina perfectiorem semper efficeret, humana profectò natura paulatim deficeret, penitusque destrueretur.

Masculorum generatio, quando destruetur.

Fœmina, est mas læsus, ex Aristotele.

Verùm opinio Galeni, licet ab Aristotele diuersa, si rectè perpendatur, probabilior, ac melior esse videtur, quoniam secundo in libro de Semine, capite quarto, de humanæ generationis principio differens, quamuis informandi vim, in virili semine magis, quàm in muliebri consistere fateatur, concludit tamen informatricem seminis virtutem, non esse in mare sufficientem per se, nec informatricem seminis virtutem in fœmina, esse pariter sufficientem per se, sed vicissim alterum altero indigere.

Galeni opinio circa muliebre semen.

Humana generatio vtrum in virili, vel muliebri semine consistat.

Cur tandem Galenus, eiusque sequaces Medici, cum Peripateticis conuenire non possint, ratio potissimùm est, quia, etsi humanæ creationis principium, in mare magis, quàm in fœmina reperiri concedant Medici, pro indubitato etiam tenent, fœminam verum habere semen, ad prolem idoneum, licet viro imperfectiùs, (non autem æquiuocè, iuxta propriam Aristotelis opinionem) ex eiusdem auctoritate Galeni, libro decimo quarto de Vsu partium, capite sexto, & libro secundo de Semine, capite primo.

Mulier verũ habet semen, generationi cõferens, ex Haleni sententia, cõtra Peripateticos.

Considerandum est item, de Medicorum opinione, atque doctrina, verisimilius videri, quòd cum ex anatomica obserua-

Mulier habet vasa spermatica, & testes.

uatione constiterit, mulierem æquè ac virum, vasa spermatica, & testes, intrinsecùs tamen a lateribus vteri occultos retinere, consequenter etiam verum semen habere dicendum sit, quod item rationi magis consonum videtur, quàm Peripateticis concedere, mulierem æquiuocè solùm habere semen, & quicquid habet, meram esse materiam, tanquam sanguinem mestruum, vel simplicem potiùs humiditatem aqueam, & a semine diuersam.

Sed quia Peripateticis, ex hoc obijci conuenienter posset; testes, & vasa spermatica, siquidem omnia, veluti superflua, & ad nullum vsum, fuisse mulieri a natura facta, atque tributa, quod eiusdem naturæ fini potissimùm repugnare videtur.

Respondere possent Peripatetici, ea solummodò membra, fuisse mulieri a natura creata, atque concessa, scilicet vt sola similitudo, & conuenientia, in prima membrorum formatione, non item functio, seruaretur; Nam de Auerroës mente, secundo Collectaneorum decimo, sicuti mamillas maribus, non ad eandem functionem, æquè ac mulieribus, natura donauit, ita mulieribus etiam, seminaria vasa, non ad eundem effectum, pro vt viris, eadem natura concessit, quæ videlicet similitudo, vel ratio, Medicis non omninò satisfacit, nempe quia, Galenus circa medium primi capitis, libri secundi de Semine, Peripateticis ita respondet; Quemadmodum, itaque si in omnibus maribus mammæ lacte plenæ conspicerentur, non oporteret ratione indagare, an id esset, ita, cùm in fœminis semen contineri videamus, an fœminæ semen excernant, quærendum non est.

Mulier verò semen habet, veluti Galenus euidenter probat secundo in libro de Semine, capite primo.

An prætereà mulier verum semen habeat, ex pollutionibus nocturnis id patere certissimum est, quas, vt inquit Galenus, libro secundo de Semine, capite primo, mulierem, pariter ac virum experientia pati compertum est; veruntamen pollutiones nocturnæ accidunt viro, solùm propter semen, & non aliter, ergo etiam mulieri solummodò propter semen, & non aliter accidunt eædem pollutiones nocturnæ, & eò magis, quia voluptatem, quam in pollutione nocturna sentit vir, eandem quoque recipere fatetur mulier, sed vir voluptatem sentit propter idem semen, ergo, & mulier, eandem ob causam, voluptate fruitur.

Si denique iterùm obijciatur, tam virum, quàm mulie-

rem

rem non percipere voluptatem illam propter semen, sed tantùm propter spiritus in semine contentos.

Respondetur tam propter spiritus, quàm propter semen, ambos voluptatem percipere quoniam ijdem spiritus, sine seminis effusione, tantam delectationem producere minimè possent, exemplum quidem patet in pueris, vel quibusuis etiam, qui per simplicem penis tantùm erecti fricationem cum tentigine ad Venerem, & nulla seminis eiaculatione prorsus facta, leuem solùm dulcedinem se se præsentire cognoscunt, quæ tamen comparanda non est cum oblectatione, quæ in vero coitus congressu, vel in pollutione nocturna, mediante Seminis copia, simul cum spirituum concursu percipi solet, pro vt experientia patet; Quin immò si esset simplex illa humiditas aquea, & à semine diuersa, nullam profectò delectationem, ac voluptatem redderet, eò quod in spiritibus, vnà cum semine contentis, vt dictum est, voluptas omninò consistat.

Cuius voluptatem, ac delectationem efficiant ne spiritus in semine contenti an ipsum semen?

De hac tamen aquea humiditate, à semine diuersa, in ipsismet fœminis, Galenus agens decimo quarto in libro de Vsu partium, capite vndecimo, sic loquitur. At fœmina, cùm masculo frigidior sit, inconcoctum adeò, tenuemque in glandulosis parastatis hunc humorem habet, vt nihil ad prolis generationem conferat; ita Galenus, qui hanc etiam humiditatem viros habere confirmat in supra citato loco, ibique dicit eius effectum esse, nempe vt instar olei, meatum vrinarum inungat ne exiccatus considead, prohibeatque quo minùs per se se lotium, ac semen facilè ferantur. hæc item Galenus.

Humiditas aquea, & à semine diuersa, in mulieribus æquè, ac in viris, quam sortiatur effectum, ex Galeno.

Quod autem dicta humiditas aquea sit à semine diuersa in fœminis præcipuè, si cum vero comparetur semine, quo item sunt præditæ, patet etiam ex Benedicto Victorio Fauentino in sua Empirica, capite trigesimo nono, vbi, sub nomine superfluitatum albarum, à matrice prodeuntium, diligenter agit.

Explicandum adhuc remanet, vtrum coitus delectatio, seu voluptas, in mare magis, vel fœmina præcipiatur; Circa id igitur notum cuilibet esse debet, virum coeuntem, intensiuè maiorem muliere oblectationem sensu apprendere, breuiori siquidem tempore transeuntem, oppositum verò mulieri contingere, ipsam nimirùm, intensiuè minori delectatione

Coitus delectatio maior ne sit in mare, vel fœmina?

frui,

Mulier habet vasa spermatica, & testes.

uatione constiterit, mulierem æquè ac virum, vasa spermatica, & testes, intrinsecùs tamen a lateribus vteri occultos retinere, consequenter etiam verum semen habere dicendum sit; quod item rationi magis consonum videtur, quàm Peripateticis concedere, mulierem æquiuocè solùm habere semen, & quicquid habet, meram esse materiam, tanquam sanguinem mestruum, vel simplicem potiùs humiditatem aqueam, & a semine diuersam.

Sed quia Peripateticis, ex hoc obijci conuenienter posset, testes, & vasa spermatica, siquidem omnia, veluti superflua, & ad nullum vsum, fuisse mulieri a natura facta, atque tributa, quod eiusdem naturæ fini potissimùm repugnare videtur.

Respondere possent Peripatetici, ea solummodò membra, fuisse mulieri a natura creata, atque concessa, scilicet vt sola similitudo, & conuenientia, in prima membrorum formatione, non item functio, seruaretur; Nam de Auerroès mente, secundo Collectaneorum decimo, sicuti mamillas maribus, non ad eandem functionem, æquè ac mulieribus, natura donauit, ita mulieribus etiam, seminaria vasa, non ad eundem effectum, pro vt viris, eadem natura concessit, quæ videlicet similitudo, vel ratio, Medicis non omninò satisfacit, nempe quia, Galenus circa medium primi capitis, libri secundi de Semine, Peripateticis ita respondet; Quemadmodum, itaque si in omnibus maribus mammæ lacte plenæ conspicerentur, non oporteret ratione indagare, an id esset, ita, cùm in fœminis semen contineri videamus, an fœminæ semen excernant, quærendum non est.

Mulier verò semen habet, veluti Galen. s euidenter probat secundo in libro de Semine, capite primo.

An præterea mulier verum semen habeat, ex pollutionibus nocturnis id patere certissimum est, quas, vt inquit Galenus, libro secundo de Semine, capite primo, mulierem, pariter ac virum experientia pati compertum est; veruntamen pollutiones nocturnæ accidunt viro, solùm propter semen, & non aliter, ergo etiam mulieri solummodò propter semen, & non aliter accidunt eædem pollutiones nocturnæ, & eò magis, quia voluptatem, quam in pollutione nocturna sentit vir, eandem quoque recipere fatetur mulier, sed vir voluptatem sentit propter idem semen, ergo, & mulier, eandem ob causam, voluptate fruitur.

Si denique iterùm obijciatur, tam virum, quàm mulie-

rem

rem non percipere voluptatem illam propter semen, sed tantùm propter spiritus in semine contentos.

Coitus voluptatem, ac delectationem efficiant ne spiritus in semine contenti an ipsum semen?

Respondetur tam propter spiritus, quàm propter semen; ambos voluptatem percipere quoniam ijdem spiritus, sine seminis effusione, tantam delectationem producere minimè possent, exemplum quidem patet in pueris, vel quibusuis etiam, qui per simplicem penis tantùm erecti fricationem, cum tentigine ad Venerem, & nulla seminis eiaculatione prorsus facta, leuem solùm dulcedinem se se præsentire cognoscunt, quæ tamen comparanda non est cum oblectatione, quæ in vero coitus congressu, vel in pollutione nocturna, mediante Seminis copia, simul cum spirituum concursu percipi solet, pro vt experientia patet; Quin immò si esset simplex illa humiditas aquea, & à semine diuersa, nullam profectò delectationem, ac voluptatem redderet, eò quod in spiritibus vnà cum semine contentis, vt dictum est, voluptas omninò consistat.

Humiditas aquea, & à semine diuersa, in mulieribus aquè, ac in maris, quam sortiatur effectum, ex Galeno.

De hac tamen aquea humiditate, à semine diuersa, in ipsismet fœminis, Galenus agens decimo quarto in libro de Vsu partium, capite vndecimo, sic loquitur. At fœmina, cùm masculo frigidior sit, inconcoctum adeò, tenuemque in glandulosis parastatis hunc humorem habet, vt nihil ad prolis generationem conferat; ita Galenus, qui hanc etiam humiditatem viros habere confirmat in supra citato loco, ibique dicit eius effectum esse, nempe vt instar olei, meatum vrinarum inungat ne exiccatus consideat, prohibeatque quominùs per se se lotium, ac semen facilè ferantur. hæc item Galenus.

Quod autem dicta humiditas aquea sit à semine diuersa in fœminis præcipuè, si cum vero comparetur semine, quo item sunt præditæ, patet etiam ex Benedicto Victorio Fauentino in sua Empirica, capite trigesimo nono, vbi, sub nomine superfluitatum albarum à matrice prodeuntium, diligenter agit.

Coitus delectatio maior ne sit in mare, vel fœmina?

Explicandum adhuc remanet, vtrum coitus delectatio, seu voluptas, in mare magis, vel fœmina percipiatur; Circa id igitur notum cuilibet esse debet, virum coeuntem, intensiuè maiorem muliere oblectationem sensu apprendere, breuiori siquidem tempore transeuntem, oppositum verò mulieri contingere, ipsam nimirùm, intensiuè minori delectatione

frui,

frui, diutiùs tamen, ac duplo maiorem viro permanentem; si Auicennæ credimus tertio quidem in libro, fen vigesima prima, tractatu primo, capite secundo, vbi, de mulierum coitu sic refert; Et propter illud multiplicatur delectatio ipsarum, ipsæ enim delectantur ex motu spermatis, quod est in eis, & delectantur ex motu spermatis viri, in ore matricis earum descendendo ad ventrem matricis, immò delectantur propter ipsum motum, qui accidit matrici, & non verificatur sermo dicentis, quod earum delectatio, & complementum, non stat nisi secundum descensionem spermatis viri, ac si vir non emitteret sperma, non delectarentur ipsæ sui spermatis emissione; hæc refert Auicenna, ex cuius item verbis, mulierē vero non carere semine, confirmatur.

Mulier habet verum semen, ex Auicenna.

Nihilominùs huic Auicennæ sententiæ, Hipocrates, vel Polybus eius discipulus non parum obstat in libro de Genitura, numero sexto, dum dicit: Cæterùm multo minùs delectatur fœmina, quàm vir in coitu, & vir etiam tempore longiore, propterea autem quòd vir magis delectatur, secernitur ipsi de repetente ab humido, fortiori turbatione, ac agitatione, quàm mulieri, hæc Hippocrates.

Notandum profectò est præcitatum hac in re locum esse mendosum sicut optima consideratione cognouit rerum omnium doctissimus Mercurialis, quarto in libro de Morbis Muliebribus, quinti capitis initio, vbi fatetur ex textibus antiquis manu scriptis, patefieri sententiam Hippocratis esse, mulierem minùs viro delectari, sed eius delectationem diutiùs perdurare veluti declaratum est supra.

Cùm tamen sit vndique vulgatum adagium, quòd circa cuiusuis rei iudicium, semper sit standum sua in arte peritis; Vtrū inquam mulier verum semen habeat vi generandi præditum; Meritò quidem hac in difficultate standum censeo Hippocrati, Galeno, & Auicennæ potiùs, quàm Aristoteli, & sequacibus Peripateticis, quoniam Hippocrates, Medicorum Princeps, libro quarto de Morbis, numero primo, sic refert: Ad hominis generationem, de omnibus, & viri, & mulieris partibus, semē progressum, & in vterum muliebrem illapsum, condensatur, temporeque veniente, natura hominis formam referens ex ipso producitur, & libro de Genitura, numero octauo, sic dicit; Quandoque quidem fortius est semen à muliere emissum, aliquando verò debilius, similiter etiam, quod vir emisit, & est

Semen muliebre, vtrumque sexum generandi, vim habet, ex Hippocrate.

tum

tum in viro fœmineum, itemque masculeum semen, tum, itidem in muliere; hæc Hippocrates.

Galenus verò excellentissimus Medicus,& Anatomicus perfectissimus, in secundo de Semine circa primi capitis initium, per anatomicam inspectionem satis euidentem in mulierum sectione cadauerum, confirmat se se vidisse vasa spermatica, materia alba, & seminali repleta, pro vt in viris, quod etiam quiuis aliter fortasse sentiens, poterit in mulierum cadaueribus quotidie anatomicè videre, atque experiri, Quin immò Galenus idem, in eiusdem citati libri secundi de Semine, capite quarto, sic repetit; Fœminam itaque semen habere, sensibus credendum est, vt supra diximus; ideòque subdit eodem in capite hæc etiam verba; Primùm enim nisi habuisset & testes, & semen fœmina, ne appetere quidem coitum potuisset, atque hoc non verisimilibus rationibus, quibus isti vtuntur, sed scientiam inducentibus, & demonstratiuis, confirmatum fuisse asseueramus, satisque habuimus in testimonium adducere exectiones, quæ apud multas nationes fieri in suibus fœminis consueuere, quæ sanè vbi exectæ sunt, non ampliùs, quemadmodùm priùs, apris se subijciunt, sed omnis venerei congressus obliuiscuntur: hæc Galenus, qui prætereà secundo in libro de Semine, capite quarto, scripsit idcircò muliebre semen à virili differre, quoniam ad seminis exactè concocti generationem, valido calore opus est; Humidior quidem fœmina, & frigidior; calidior, & siccior mas apparet, non immeritò igitur illa in exactè conficiendo semine deficit; ita Galenus.

Semen muliebri est vi generandi præditū iuxta Galenū, qui demōstratiuis rationibus, ac euidenter probantibus reueritatem ostendit Peripateticis aliter sentientibus.

Coitus appetentia in fœminis vnde procedat ex Galeno.

Quòd si obijciatur, licet fœmina ratione frigidioris, & humidioris naturæ, aliquantulum deficiat in semine perfectè cōficiendo propterea quòd sit magis fluidum, & aqueum ac item imbecillum ad producendam prolem, respectu seminis virilis, nihilominùs eo modo, quo dictum Semen conficit, posse per ipsam conceptum fieri sine mare, iuxta Peripateticorum opinionem, primo de Generatione animalium, capite decimo nono, & vigesimo, superiùs allatam.

Semen virile, ac muliebre, in quo differant inter se.

Respondetur à Medicis, vim illam procreandi sobolem, quoquomodo fœmineo in semine existentem, ad actum reduci non posse, nisi seminis virilis facultati coniunctam.

Ad supradictorum etiam corroborationem circa muliebre semen, vtrum generandi vim habeat, Galenus decimo quar-

to in libro de Vsu partium, capite vndecimo, sic propriè refert; Quin, & fœminæ semen, præterquam quod confert animalis generationi, ad hæc quoque est vtile, vt enim fœmina quoque in Venerem excitetur, & cùm coit cum mare, collum matricis patefaciat, semen non minimum habet momenti. hæc Galenus.

Semen mulie bre humanæ confert generationi, ex Galeno.

De humanæ generationis principio, Galeno quoque assentitur Princeps Auicenna, libro primo, fen prima, doctrina sexta, capite secundo, numero decimo, sic scribens; Generatiuæ verò virtutis, duæ sunt species, vna est, quæ in masculis, & fœminis, sperma gignit, altera est, quæ diuidit virtutes, quæ sunt in spermate, & permiscet eas; hæc Auicenna.

Semen muliebre humanæ confert generationi, ex Auicenna, & eiusdem principiũ duplex est.

Ex dictis igitur, Vtrum mulier verum semen habeat vi generandi præditum, huius rei veritatem, vtpote certiorem Peripateticis, contrariam tenentibus opinionem, adhuc vsque satis patefactam esse mihi persuadeo, & eo magis, quia Magnus noster Galenus primo præcipuè in libro de Semine, capite decimo quinto, & secundo item in libro de Semine, capite primo, aduersus Aristotelem, Herophilum, & Athenæum, strenuè se gessit, apertissimè demonstrando, de testibus, ac seminis vsu in fœminis, omnes simul fuisse perperàm opinatos.

Aristoteles, Herophilus, & Athenæus, de testibus, & vsu seminis in mulieribus, non rectè sentire ut, ex Galeno.

Verùm enimuerò pro maiori veritatis dilucidatione, circa humanæ generationis principium, tam scilicet in virilis, quam in muliebris virtute seminis, non me inquam tædet, huc propria transferre verba doctissimi Mercurialis, quarto de Morbis Mulieribus, circà quinti capitis medium, ex Galeni sententia, in Aristotelem sic inferentis; Prima ratio Galeni, quæ etiam secundum ipsum est efficacissima, capta est à similitudine filiorum ad patrem; & matrem, quod filij gignantur quotidie, qui assimilantur matribus, non solùm secundum sexum, sed secundum plurima alia accidentia, hoc constituto, inquit Galenus, vis hæc assimilatoria, & vis hæc effectrix, cùm æquè sit assimilatio ad matrem, atque ad patrem, necessum est, vt nascatur a principio communi, maris, & fœminæ, propter quod sæpè assimilatur patri, & matri; Si igitur à principio communi ad generationem concurrunt tantùm duo; semen, & sanguis menstruus, hæc vis non potest esse in sanguine menstruo, quia is non potest esse communis mari, nam nunquam assimilaretur fœtus patri, si ibi esset vis assimilatrix, ergo necesse est vt sit in semine, si in semine, ergo necesse est in fœmi-

Assimilatio filiorum ad matrem, vel patrem, vnde.

Semen est in muliere sicut in viro.

fœmina adesse semen, veluti in mare, meritò cuius possit fœtus assimilari propriæ matri; hæc Mercurialis aduersus Aristotelem, & sequaces, de Galeni mente confirmat, cuius quidem doctrinę fundamētum ambo mutuati sunt ab Hippocrate in libro de Genitura, num. 8. sic dicente; Et ex quacunq; corporis viri parte plùs prodierit in genituram, quàm mulieris, partus ille magis erit similis patri; Vndecunq;verò à corpore mulieris plus venerit, magis assimilabitur matri: Est autem impossibile partum per omnia similem esse, sed vtrisque necesse est in aliquo similem esse, siquidem ab vtrisque corporibus semen in partum procedit, Vter autem tandem plùs cōtulerit ad similitudinem, & à pluribus corporis regionibus, illi magis similis est, contingitq; aliquando vt filia nata, maiori ex parte, magis sit similis patri, quam matri, & filius natus aliquando magis similis est matri, quàm patri, atq; hæc tam multa à me relata, declarant superiorem sermonem, quod, & in muliere, & in viro tum mascula, tum fœminea genitura existat; hæc verus doctor Hippocrates.

Assimilatio filiorum ad patrem, cur non omnino similis ex Hippocrate.

Semen muliebre, aut virile, vtrumque masculum, aut fœminam creandi vim habet iuxta Hippocratem.

Veruntamen imaginatio tum viri, tum mulieris, ipso in actu concubitus, multum etiam potest, ad imprimendam similitudinis effigiem in ipso met fœtu, iuxta rei visæ, vel apprehēsæ imaginationem, quemadmodùm Diuus Hieronymus in quæstionibus Genesis, Hippocrate viuente, Regis vxori euenisse narrat, quæ cùm infantem maurum peperisset, turbatus illicò fuit Rex, suspicans de suæ vxoris adulterio, vnà cùm seruo suo mauro, in domo Regia manente, dum tamen amborum necem meditabatur, Hippocrates anxium acquieuit Regem, dicens; id suæ vxori aliundè non contigisse, nisi quia in lecti conopęo mauri effigies egregiè dèpicta patebat, quam Regis vxor sæpè sæpiùs respiciens, eo demùm tempore Venerei secum congressus, dùm in lecto maneret, idcirco proprio in vtero mauri effigiem conformari permiserat, imaginatio enim facit casum, iuxtà vulgatum prouerbium, expertum quoque in prægnantibus, quæ diuersis in vtero maculis, vel signis, fœtus imprimunt, ob vehementis tantū desiderij imaginationem, seu appetitum circa rem visam, vel exoptatam, pro vt in dies videre non est nouum.

Imaginatio in actu concubitus, quantum possit ad prolem creandum iuxta rem in mente conceptam.

Infantes diuersis signati notis, & maculis, quad causa naicantur.

Notandum præterea, dum Aristoteles secundo de Generatione animalium, quarto, dixit mulieri opus esse mare ad concipiendum, quoniam conceptui a mare inest anima sentiens,

quam fœmina procreare nequit; Nullo siquidem pacto esse aduersus Medicos retorquendum, ex hoc item sequi, mulierem idcircò indigere mare ad concipiendum, cò quòd muliebre semen nullam habeat vim ad sobolem efficiendam; Quandoquidem muliebre semen, licet imperfectius virili, humanæ generationi maximè conferre, pluribus in locis superiùs citatis demonstratum est, sed præcipuè magis ab Hippocrate, quarto in libro de Morbis, numero primo, & in libro de Genitura, numero octauo, nec non a Galeno, decimo quarto in libro de Vsu partium, capite sexto, & duodecimo; itemque secundo in libro de Semine, capite primo, & quarto, sicut etiam ab Auicenna in primo Canonis libro, Fen prima; doctrina sexta, capite secundo, numero decimo octauo.

Superest adhuc enodanda quædam difficultas, videlicet, vtrum sanguis menstruus, & muliebre semen, in actu generationis humanæ prærequiri semper debeant.

Respondetur primo, quo ad sanguinem menstruum, vel actu, vel potentia, necessarium semper esse ad humanæ generationis complementum; quoniam sanguis menstruus fuit mulieribus à natura concessus ad finem præcipuè creandi, & alendi in vtero fœtum, ideóq; Hippocrates in libro de Superfœtatione, numero decimo octauo. tam prodeuntibus, quàm defectis mulieri purgationibus menstruis, vtrumque sexum creari posse testatur, de quibus menstruis purgationibus Mercurialis item quarto de Morbis mulieribus, primi capitis initio, sic loquitur. Nam scio sanguinem menstruum, etiam quodammodo posse appellari semen, quoniam Aristoteles, primo de Generatione animalium, capite vigesimo, & secundo eiusdem, capite tertio, dixit sanguinem menstruum differre à semine, tanquam purum, ab impuro, & tanquam crudum, a cocto; Quo in loco Auerroes scribit semen esse veluti butyrum quoddam multis spiritibus plenum, & propter-eà delassari magis mulieres in emissione seminis, quàm in emissione sanguinis menstrui, quia cum semine multi spiritus exeunt, cum sanguine menstruo, paucissimi, quia materia est cruda, hæc Mercurialis. Si quælibet verò mulier alicuius morbi, vel ætatis causa, menstruis purgationibus omninò caruerit, quamuis dum permiscetur cum mare, proprium semen emittat, fœtum producere nunquam poterit, quoniam certissimum quidem est, conceptionis causam efficientem, quo ad mulierem, duplicem sem-

Sanguis menstruus, & semẽ in quo differãt

Semen humanum quid sit ex Auerroe.

Conceptionis causa quo ad mulierem, duplex est.

ſemper eſſe, menſtruas purgationes nimirùm,ac proprium ſemen, quibus in ambobus,reſpectu mulieris, humanam progeniem potentialiter ſaltem conſiſtere dicendum eſt.

Reſpondetur ſecundo, quo ad muliebre ſemen, illud quidem vnà cum viro ad prolem concurrere; Ratio autem eſt, quia cùm ex doctrinis Hippocratis, Galeni,& Auicennæ ſuperiùs deductis, probatum euidenter fuerit, tum mulierem verum ſemen habere, tum muliebri ſemini vim ineſſe gignendi ſobolem,(contra Peripateticorum Principem,& ſequaces)per conſequens etiam idem muliebre ſemen vnà cum uiro, ad humanam generationem requiri, neceſſariò Medici fateri cogũtur, ne teneantur inuiti dicere, mulieri ſemen fruſtra fuiſſe à natura tributum, atque conceſſum; Quod autem muliebre ſemen ad humanã progeniem requiratur,patet ex Hippocrate quarto in libro de Morbis, numero primo,hiſce verbis affirmante; Ad hominis generationem,de omnibus & uiri,& mulieris partibus ſemen progreſſum, & in uterum muliebrem illapſum condenſatur, temporeq; ueniente,natura hominis formam referens,ex ſe ipſo producitur; Et initio libri de Natura pueri, ſeu fœtus, ita etiam ſcribente; Si genitura ab utriſque permanſerit in utero mulieris, primùm quidem ſimul miſcetur, utpote muliere non quieſcente, coaceruaturq; ac craſſa per calorem euadit, deinde ſpiritum concipit; Et libro item de Genitura,numero ſexto dicente; Et delectatur mulier ubi coire inceperit,per omne tempus, donec uir ſemen emiſerit,& ſi quidem appetit uiro commiſceri, priùs quàm uir,emittit,& de cætero non ſimiliter delectatur, ſi uerò non appetit, ſimul cum uiro delectari deſinit,& habet res hoc modo,quemadmodum ſi quis in feruentem aquam, alteram frigidam infundat, illa feruere ceſſat, ſic genitura uiri in uterum illapſa,caliditatem, & uoluptatem mulieris extinguit; ita Hippocrates.

Semen muliebre vnà cum virili,ad hominis generationẽ requiritur.

Mulieris delectatio in coitus actu qualis, reſpectu viri.

Veruntamen his non obſtantibus; An muliebre ſemen,vnà cum uirili, ad creandàm item progeniem, debeat ſemper habere locum, id etiam magis præciſè remanet definiendum.

Semen muliebre vnà cum virili, an ſemper ad prolem concurrat.

In hac quidem curioſa difficultate confugiendum eſt meritò ad Auicennæ locum, primo Canonis libro, Fen prima, doctrina tertia, capite primo de Complexionibus, ita deſcriptũ; Debes autem ſcire, quòd omne indiuiduum debet habere cõplexionem ſibi ſolummodò propriam,in qua alium ei aſſociare, eſt impoſſibile; Ex quibus Auicennæ uerbis colligendum

Complexio ſibi ſimilis inueniri nõ poteſt ex Auicenna.

eſt,

est, quòd cùm sub cuiusuis indiuidui nomine, & uir,& mulier optimè comprehendantur, idcircò inferre liceat; mulierum complexiones,æquè ac uirorum,inter se met ipsas non parum differre, quandoquidem sicut inter uiros, nonnulli ualde sunt proni ad coitum, non nulli uerò nequaquam, sic etiam inter mulieres reperiuntur aliæ coitum concupiscentes, aliæ tamen eundem recusantes, pro ut experientia cognoui non paucas, quarum quædam, ob matrimonij uinculum potius coactæ, quam inclinātes ad prolis incrementū, suis indulgebant uiris.

Mulier an possit concipere, licet in concubitu non emittat semen.

Inter huiusmodi uerò mulieres, si qua tamen fuerit cæteris natura frigidior, quæ tandem suo copulata uiro nullum emiserit semen, concipere nihilominus poterit, donec potentia saltem,uel actu, fluentes habuerit menses, nec longè à concubitu eidem mulieri semen erumpere contigerit,ac uirile denique semen in utero receptum, non egredietur.

Quamobrem re uera, in muliere nobili factum id esse optimè scio, quæ propterea quòd sine appetitu uenereo, & uoluptate,nec ullo proprio interueniente semine,sed ut suo tantùm coire iubenti indulgeret uiro,non semel præter spem concepit,ac filios pepererit,postmodùm quidē uelut indignata, quin immò & admirata,prædictum mihi casum tanquam sibi nouū secretò referre, atq; confidere non dubitauit; Hæc enim mulier, temperamento prædita sanguineo,habituque plethorico, trigesimum quintum agebat annum, & eò usque multos produxerat filios,tunc demum sex tantum uita fruentes permanserant, quorum diuersis de causis persæpè anxio erat animo. Quocircà igitur iterùm concipere, ac parere cùm ægreferret, idcircò remedium generationem quomodolibet impediens, uel prohibens, à me quærere non erubuit,sed incassum profectò laborauit; Eius autem uir bonum præseferebat habitum, in quadragenario constitutum, licet natura melancholicum; Ex relata breuiter historia nobilis huius mulieris, cū inter uirum, & uxorem, benè ad inuicem essent proportionatæ complexiones ad prolem, quid inde mirum,si uxor, quamuis agitata curis,quouis anno filium etiam inuita nasci permitteret? Verùm enimuerò hanc mulierem, prout dixit, in matrimonij solàm copula proprium semen non emisisse, nec ullam percepisse delectationem,optimè potuisse cognoscere, indubitatum est, Vtrum uerò mulieris eiusdem semen, paulò post concubitum, sensim ad uterum descenderit,tunc se met ipsam, utpote

ani-

animo turbatam, & aliò mentem auertentem, non animaduertisse, credibile quidem est.

Aliud item exemplum à muliere sibi relatum narrat Sauonarola in practicæ maioris tractatu sexto, capite uigesimo primo, propè uigesimæ secundæ Rubricæ finem, paucis quidem uerbis, nempè. Tamen tantùm pro nunc dico, quòd habui mulierem honestam, & dignam fide, quæ retulit, quòd multoties impregnata fuit, quibus temporibus nunquam percepit se spermatizare simul cum uiro suo. hac Sauonarola.

Verùm ambabus his mulieribus, de relatione prædicta, ulla ne sit fides à Medicis habenda, meritò quidem potest in dubium reuocari, utraque enim se in concubitu nullum emisisse semen, utraque se prægnantem nihilominùs factam esse cognouit, cætera uerò requisita, quæ optimè requiruntur à Medicis, an uidelicet paulò post uenereum congressum ab utraque muliere proprium semen quandocunque in uterum transfundi potuerit, quemadmodùm natura sensim transmittere sæpissimè solet, ad hoc ut possit conceptus fieri, id quidem utraque cognoscere, atque Medicis referre nesciuit; Fides igitur certa mulieribus in re propria præstari non potest, sicut etiam colligitur ex eodem Sauonarola in loco paulò ante citato, circa uigesimæ secundæ Rubricæ initium, ubi prædictæ mulieris relationi minimè adhærens, ex opinione propria sic loquitur. Ex quo infertur, quòd primò ad impręgnationem concurrit sperma uiri. Numquid autem eo tempore concurrat sperma mulieris; Respondeo, ut Medicus, quòd sic, quia utrumque materialiter, & uirile etiam formaliter; nec in hac magna discordia inter Philosophos, ac Medicos, me hic interpono, tum quia inutilis esset nostro proposito; tùm quia non sum tanti, ut de his iudicium faciam aliud ab eo, quod uisum est magno Medico Galeno, & sequacibus; hæc Sauonarola. Semen Mulieb. e concurrit ad pro em, ex Sauonarola.

Hac item de re, Fortunius Licetus, libro primo de Ortu animæ humanæ, capite decimo septimo, uersus finem, sic sentit; Quantùm uerò ad sperma spectat, etsi frequenter contingat mulieres concepturas genituram suam emittere unà cum mare, uel paulò post, id tamen perpetuum non est, ac necessarium, mulieres namq; alias concepisse non semel est obseruatum, quæ semen, dum coirent, nec simul, nec posteà, sed antè quàm uir suum sperma eiacularet, effuderunt, quin immo aliæ pariter

ter se utero gestasse confessæ sunt, absq; eo quòd in coitu semen emiserint vllum, harumque nonnullæ id posteà vnius, vel alterius diei interstitio, quædam verò nusquam posteà in vterũ permanere sensisse protulerunt; Sed vt mulierem sine proprij seminis interuentu concipere, probabile non est, ita hasce à concubitu effusionem seminis non sentientes, dum somno posteà occumberent, geniturã emisisse verisimile est; ita Licetus.

Mulierem sine proprij seminis interuentu concipere non probabile non est per Fortunium Licetum.

Verumtamen dato etiam quòd inter mulieres reperiatur aliqua præcipuè frigida, & adeò inimica Veneris, ità vt dùm non sponte, sed inuita potiùs iungitur viro, insensibiliter proprium effundat semen, ideòque se se non effudisse credat, & his non obstantibus concipiat, suoque tempore fœtum in lucem edat, non propterea vniuersalis regula fallit, iuxta Philosophi mentem, primo Physicorum, textu quadragesimo nono scribentis, vniuersale secundum rationem, singulare autem, secundum sensum notum esse, & vndecimo Metaphysicorum, capite septimo, omnem nanque scientiam eius esse, quòd semper, aut plurimùm est. ita Philosophus. Mulieres itaque in vniuersum, dum coeunt, emittunt sensibiliter semen.

Mulier, quæ à viro, licet proprium non effundat semen, an possit concipere.

Scientia qualis ex Aristotele.

Si quis demum percunctetur, cur non semper oriantur masculi, cum agens principalis in ipsa met creatione sit masculus, & eò magis, quia per Aristotelem, libro secundo de Generatione animalium, capite tertio, & libro quarto de Generatione animalium, capite sexto, natura masculum efficere semper intendit.

Respondetur primò non obstante quod agens principalis in ipsa met creatione sit masculus, propterea masculum non semper gigni, scilicet quia vt ait Hippocrates in libro de Genitura, numero septimo, si ab vtrisque semen fortius prodierit, masculus erit partus, si verò debile, fœmina nascetur; si enim multò plùs fuerit debilis seminis, quam fortioris, superatur forte, & debili permixtum, in fœminam transit: Si verò plùs fuerit fortis seminis, quam debilis, superatur debile, & in marem transit, & paulò inferiùs magis expressè declarare pergit his item verbis; Quòd verò & in fœmina, & viro, genitura fœminea sit, ac mascula, ex factis manifestis coniectare licet, multæ enim mulieres iam fœminas pepererunt ex proprijs viris, verum ad alios viros transgressæ, masculos genuerunt; Et viri illi ipsi, apud quos mulieres fœminas pepererunt, ad aliarum mulierum misturam progressi, masculos

Masculus quando generatur, & quando fœmina.

ge-

genuerunt, & quibus masculus sexus gignebatur, alijs fœminis permixti fœmineam sobolem genuerunt, atque hæc sanè ratio declarat, tum virum, tum fœminam, & fœmineam, & masculam genituram habere; Nam apud quos viros fœminas pariebāt, superabatur fortius semen à copia debilioris, & gignebantur fæmellæ, apud quos verò masculos pariebant, superabatur debilius, & gignebantur mares; Procedit autem non semper ab eodem viro genitura fortis, sed neque semper debilis, sed alijs alia, atque sic etiam in muliere res habet, vt minimè mirandum sit, easdem fœminas, eosdemque viros, sobolem masculam, & fœmineam producere; hæc Hippocrates.

Semen tam viri, quam mulieris, modò fœminas, modò masculos etiā gignit, iuxta Hippocratem.

Respondetur secundo, duplici de causa semper masculum fieri nō posse, licet agens principalis in ipsa met creatione sit masculus; Prima siquidem est, quia si producerentur semper masculi, humana destrueretur natura, quæ fœmineo mediante sexu, finitè in infinitum suæ propagationis finem consequitur; Secunda verò causa est, quia etsi per Aristotelem supra citatis in locis natura masculum efficere semper intendat, dum tamen eadem natura est infirma, vel impedita, tunc ad fœminam se se transfert, quæ mas læsus dicitur ab eodem Aristotele, primo Physicorum, textu trigesimo primo.

Naturæ humanæ destructio, quando naturaliter cōtingeret

Natura cur sępe masculū non producat, quamuis per Aristotelem semper masculum efficere intendat.

Hanc autem opinionem confirmat etiam Galenus, decimoquarto in libro de Vsu partium, capite septimo, versus finem, vbi hoc in puncto sic loquitur; Siquidem fieri aliquando potest, vt etiam si initium à fœmina sit profectum, semen, quod alioqui fœminam erat generaturum, à dextra matrice calefactum, fœtum efficiat masculum, contrà, quod masculū erat generaturum, à sinistra refrigeratum, in contrarium transmutetur; ita Galenus.

Fœminæ generatio non sēper à fœmina, nec etiā masculi à masculo sēper procedit.

Quamobrem dicendum nec etiam est, virile semē esse causam efficientem, sanguinem verò menstruum, esse causam materialem eiusdem generationis humanæ, nec mulierem habere semen nisi æquiuocè, veluti Peripateticorum Schola fatetur, ac tenet; Quoniam hanc opinionem à Medicis non recipi, superiùs probatum sufficienter est; Adhuc tamen in plenæ, vel probabilioris saltē veritatis confirmationē, est adducēdus hac de re insignis Medicus, ac Philosophus, Franciscus Vallesius in secundo Controuersiarū libro, capite septimo, sic scribens; Corruit igitur opinio Aristotelis, qua, sententia Hip-

pocratis multò verior est, vtrumque parentem semen emittere, & vtrumque semen præstare materiam, & vim, nam & illud etiam est maximè probabile, muliebre semẽ vim habere generandi, nam si semel monstratum est fieri posse, vt in semine fit vtraque ratio causæ, materiæ inquam, & efficientis, quid prohibet semen muliebre energiam habere? An frigiditas muliebris temperamenti? Hoc illud vnum facit, vt virtus efficiens minùs in hoc vigeat, quàm virilis, sed vt tollatur, non facit, habet enim suum calorem, & satis copiosum; hæc Vallesius, qui hanc profectò difficultatem non minùs doctè, quàm ingeniosè, & argutè dilucidare non prætermisit.

Semen muliebre materialiter, ac etiam formaliter ad humanam generationem cõcurrit, ex Vallesio.

Quò ad conclusionem igitur, Vtrum mulier verum semen habeat vi generandi præditum; Ex Medicorum doctrinis huc vsque deductis, magis veritati consonum esse habendum semper est, tum virile semen, vtpote causam efficientem, & magis principalem, tum muliebre item semen; veluti causam efficientem, sed minùs principalem, humanæ generationi ad inuicem interuenire, necnon vtrumque semen, non vt agens, & patiens, sed vt causam vicissim coadiuuantem, ad concipiendum in vtero fœtum, materialiter, ac formaliter concurrere; Quod quidem confirmat Vallesius in secundo Controuersiarum libro, capite septimo, his verbis. Nam quid quæso incommodi est, in eodem semine virtutem esse formantẽ, & eiusdem materiam ad fœtus generationem confici? nunquid in plantæ, aut herbæ semine non est virtus illius generans? & tamen semen in terram cadens, ipsum conficitur, & in ipsam plantam mutatur, vim simul præstans, & materiam: ita Vallesius.

Semen virile, ac muliebre non vt agens, & patiens, sed quomodo humanæ generationi ad inuicem interueniant.

Verùm enimuerò circa prædictam difficultatem, quid pariter sentiam, libenter exponam, & eò magis, quia Hippocrates supra citato in libro de Genitura, numero septimo, dixit; Procedere non semper ab eodem viro genituram fortem, sed neque semper debilem, sed aliàs aliam, atque sic etiam in muliere rem se habere; vt minimè mirandum sit easdem fœminas, eosdemque viros, sobolem masculam, & fœmineam producere; Ex cuius præcipuo doctrinæ Hippocraticæ fundamento, cùm res ita se habeat, vt impedimentum masculi proximè futuri mediante copula, possit etiam esse ob causam eiusdem seminis viri, in vterum mulieris ad hominem creandum transmissi, propterea quòd interdum vtpote fœmineo semine

debi-

debilius existens, per se minimè sit sufficiens ad masculum efficiendum, tunc demum virile semen cùm indigeat causa, tum efficiente, tum coadiuuante, ac inseruiente eidem masculinæ generationi, fœmineo videlicet semine, tanquam fortiori, eo in casu, ad masculinam prolem gignendam, & aliàs etiam per consequens, debiliori existente semine, faciliùs ad fœmineam sobolem efficiendam; Meritò quidem muliebre semen, æquè ac virile, vi generandi præditum esse, dicẽdum, ac decernendum censeo, pro vt vniuersa Medicorum Schola confirmat.

Auctoris opinio de muliebri semine, circa vim generandi.

Auctoris Excusatio.

NOstræ consanguineitatis vinculo, & occasione Francisci filij tui, meique simul nepotis, mi Hieronyme Philippelli, supradictis de causis, ad hæc scribenda, fui stimulatus, atque impulsus, & ni omnino, pro vt animus erat meus, tuæ simul, ac meæ satisfecerim voluntati, mihi profectò, veluti excusatione digno, iure optimo condonabis, quia immò tribues id meis potiùs antiquis passionibus hypochõdriacis, tibi iam notis, à quibus licet resurrexerim, non adhuc tamen datur mihi sanitate penitùs inculpata frui: Quandoquidem tum anxiæ meo semper animo inhærentes curæ, quæ vehementiùs quandoque vegere non desinunt, tum quotidianæ in curandis ægrotis occupationes, præter meæ naturæ vires, aliquantulum laboriosæ, viam pristinæ mihi sanitatis consequendæ retardant, & eò magis, quia passiones hypochondriacæ, quamuis difficillimè curentur, quandoque tamen sanantur, sed val dè rarò, vt ait Salustius Saluianus, Variarum lectionum de Re Medica, libro secundo, quod item per me, quotidiana confirmat experientia; Nec denique mirum, quandoquidem sapiẽtia humana, stultitia est apud Deum, pro vt quinto in Emblemate Alciatus refert; Qua item de re Cicero primo de Oratore sic loquitur: Disertos quidem vidi multos, sapientem verò neminem, siquidem sapientia est diuinarum, humanarumque rerum copiosè loquens scientia. Quam pariter memoriæ filiam dixere Poetæ.

Hypochõdriacæ passiones valdè raro sanãtur, & huius etiam redditur ratio.

Si autem percunteris a me, cur adeò laboriosæ, & curatu difficiles, passiones istæ reddantur hypochõdriacæ; Responsio


est etiam in promptu, nempè quia huiusmodi affectio (præter alia sibi copulata, nec contemnẽda symptomata, quæ breuitatis causa relinquo) melãcholicum circa hypochõdria humorem, propter bilis adustionem, ibi residentem, veluti ducem, primariò sequitur, quem ferè semper molestiæ concomitantur, chrasque de Platonis mẽte, libri Charmidis initio, sunt veluti contristati tot animi morbi; secundariò autem passiones istas hypochondriacas frigida & sicca stomachi subsequitur intẽperies, ex qua per oppositã iecoris, & renũ caliditatẽ, ipse met stomachus ita compatitur, vt præter flatus, & ructus, aliquãdo etiam cum vomitu, vires veluti dissoluente, coactam cibi necessitatem, persæpè cum stimulo præter naturam excitet; Huiusmodi enim stomachus, valde quidem appetit, sed parum, & deprauatè concoquit, quam porrò ob causam diù perseuerãt obstructiones, à quibus dictæ prorogãtur passiones, necnõ humanum emaciatur item corpus. Qui igitur illam patiuntur ægritudinem, non oportet vt multùm se se impleant, multùmque ieiunium ferant, pro vt dixit Rhasis in capite de Melancholica hypochondriaca. Sed sicut huic vescendi morbosæ necessitati nimis sensibiliter vexanti, quin penitùs satisfaciant, paucissimi reperiuntur, quemadmodùm etiam molestis animi curis vndique emergentibus paucissimi resistere quidem possunt, quin eisdem quoque iterùm, atque iterùm afficiantur, quamuis de ipsius met causæ ablatione solliciti esse non desint; Hinc igitur est, quòd rarò item paucissimi ab hoc immanissimo morbo liberentur; Melancholici demùm hypochondriaci vitam miserrimam prædictis de causis ducere si cogantur, quid mirum? Hæc inquam Hieronyme Phlippelli tibi aperire idcircò volui, vtpote mirari desinas, si me tandiù hoc pertinacissimo oppressum morbo cognoueris; Nihilominus me quidem promptissimum ad tibi humaniter obsequendum semper habeas vale, ex domo propria Romæ, Kalendis Aprilis, Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo, trigesimo nono.

Hypochondriacis, quæ sit iniquitas comedendi ex Rhasi.

❦

LIBRI SECVNDI FINIS.

LAELIVS ZACCAGNIVS ROMANVS
Notabilium Medicinæ duos iam antea libros in lucem editos, melius iterum quàm antea recognouit, & hinc inde auxit; Tertium præterea librum de Memoriæ detrimentis, & eiusdem Acquirendæ præceptis inscriptum, typis nuper mandauit, ad posteritatis, beneficium, & Dei gloriam, Amen.



Errata demum in imprimendo commissa, prudentis, benigniique Lectoris iudicio corrigenda non immeritò permittuntur.





INDEX NOTABILIVM

Primis duobus in libris contentorum.

A

Accidentia animi quid sint. pag. 143
Accidentium animi effectus. 143
Aceti qualitas diuersa iuxta vinorum diuersitatem. 110
Aceti detrimenta. 111
Aceti vsus, viris ne, an mulieribus magis conueniat. 110
Aceti virtutes ex Auicenna, & alijs Medicis. 111
Acetum mistæ substātiæ est, nempe frigidæ, pariter & calidæ ex Galeno. 110
Acetum quando calidius ex Galeno. 110
Acetum quando frigidum & humidum ex Auicenna. 110
Acetum cur melancholicis noceat. 111
Acetum cur mulieribus obsit propter vterum. 111
Adam ni peccasset, fuisset immortalis vnà cum descendentibus. 8
Admiratio est ingnorantiæ argumentum. 165
Aer malus quauis re nocentior est. 61
Aer in omni sua dispositione corpora nostra exiccat ex Auerroe. 62
Aer qualis euitandus. 62 & 63
Aeris boni conditiones ex Auicenna. 61
Aeris boni qualitas, & effectus. 62
Aeris inconstantia morbos inopinanter parit ex Galeno. 63
Aeris effectus ex Galeno. 61
Aer sanitati contrarius, qualis sit. 62
Aetas primorum parentum Adam, & Matusalem, ac etiam proximè descendentium, comparationem non habet cum ætate præsenti. 37
Aetas longæua primorum parentum Adam, & proximè descendentium, quandiu perseuerauerit. 38
Aetas hodierna est eadem cum ætate, qua vixit Hippocrates. 39
Alimenti perfecti conditiones. 65
Ambrosia, & Nectar, quid fuerint ex Pierio. 134
An sit melius generari aliquid, quam nihil. 159

An-

Anguillæ qualitas ex Galeno. 104
Anima legis quid sit. 25
Animalia quadrupeda sylvestria, sanitati magis conferentia, quæ sint. 98
Animalia mascula, fœminis meliora censentur. 98
Animalia quadrupeda & domestica, sanitati conferentia, quæ sint. 98
Animalium domesticorum, & sylvestrium differentia. 98
Animalium volatilium partes, cæteris meliores, quæ censeantur. 101
Animalium pedestriũ partes respectiuè meliores, quæ sint. 101
Animalium partes minùs cæteris laudabiles, quæ sint. 101
Animi curæ annos minuunt. 123
Antimachi vxor prægnans, qua de causa perierit ex Hippocrate. 52
Antimonium an sit venenum. 47
Antimonium à Matthiolo diuinum vocatur medicamẽtum. 47
Antimonium licet a Mercuriali venenum iudicetur, nihilominùs rectè præparatum, ab eodem commendatur. 47
Antimonium an caniculari tẽpore laborantibus sit propinandum. 49
Antimonium diuerso modo præparatur. 49
Aqua tẽperatè frigida sanis melior est aquis omnibus ex Auicenna. 95
Aqua ieiuno ventre an bibenda ex Rhasi. 88
Aquam purãm naturaliter bibẽtibus, ac debilem stomachum retinentibus quo modo potus concedẽdus eisdem salubrior. 89
Aquæ Tyberinæ vsus aqud antiquos Romanos fuit experimẽto derelictus, ac iterùm ex necessitate introductus. 90
Aquæ optimæ cõditiones ex Hippocrate. 89
Aquæ optimæ conditiones ex Galeno. 89
Aquæ vtilitas quando. 88
Aquæ incommoda. 88
Aristoteles, Herophilus, & Athenæus de testibus, & vsu sensus in mulieribus non rectè sẽserunt ex Galeno. 178
Aristotelis mortis causa ex Galeno. 77
Aristotelis opinio circa semen mulieris. 172
Ars, & artifex, sanitatis causæ fiunt ex Galeno. 20
Ars custodiendi sanitatẽ, vitamque prorogandi, qualis; & quantum possit ex Auicẽna. 23
Ars medica in plerisque natura metipsa præstãtior est ex Fernelio. 133
Ars medica est quandoque ipsa natura præstantior secundum Fernelium. 32
Ars medica venenosis plerisque Medicamentis sua correctione succurrit. 145
Assimilatio filiorum ad matrem, vel-

vel patrem, vnde. 178
Assimilatio filiorum ad patrem, vel matrem, cur non omninò similis ex Hippocrate. 179
Astra non imperant animo ex Lenmio. 15
Astra ne malefica?an humores naturales efficiant morbos. 16
Astrologiæ, seu Astronomiæ definitio de Conciliatoris mente. 12
Astrologorum iudicijs circa mortem, vel vitam, vtrum præstanda sit fides. 17
Auctoris opinio, & mens, circa vniuersorum salutem. 19
Auctoris vita breuiter ab ipsa met natiuitate descripta. 81
Auctoris opinio de muliebri semine circa vim generandi. 187
Aues domesticæ sanitati magis conferentes, quæ sint. 98
Aues agrestes viuentibus salubriores, quæ sint. 99
Aues magnæ, & insalubres, quæ sint. 100
Auiculæ syluestres viuentibus valde salubres quæ sint. 99
Auicenna cùm ægrotaret, cur solùm clystere, non autem purgantibus medicamentis fuerit vsus? 52
Auicennæ sententia de coitu superfluo. 148
Aurum potabile cor lætificat, ac vitam prorogat. 35
Aurum arte factum ab alchymistis, nocet cordi, & vitæ, secundum Arnoldum. 36
Aurum, quando magis lætificet cor secundum Auctorem. 36
Auri potabilis virtus ex Ioanne Hartmanno. 36
Aurum suas virtutes a Solis benignitate recepit ex Mattiolo. 36

B

Balnei vsu, qualis. 149
Balnei vsus apud Antiquos frequentissimus fuit ex Galeno. 73
Boreæ, & Austri qualitas, & effectus ex Hippocrate. 62
Brassauolus Medicus nostra ætate insignis, helleboro albo innocenter vsus est. 46
Brassicæ consideratio circa diuersæ substantiæ qualitatem. 129
Bubulæ carnis qualitas. 100
Butyro laudatur magis oleum pro sanitatis regimine. 119
Butyrum cæteris melius, quale, & quibus conditionibus. 119
Butyrum cur febricitantibus obsit. 119
Butyrum venenis omnibus, mirificè tamen exulcerantibus prodest, Auctoris experimento in virgine facto, quæ sublimatum venenum exulcerans sponte deglutiuerat. 120
Butyrum multiplex reperitur, & quomodo fiat ex Dioscoride. 119

C

Calor naturalis, & humidum radicale, in quo differant inter

ter se. 30
Capito,& Mugilis differunt inter se per Aristotelem. 104
Capparum,& oliuarum vsus,qualis ex Galeno. 135
Carnes vniuersaliter salubres,quæ sint. 97
Carnes vniuersaliter insalubres, quæ sint. 99
Carnes nimis frigidæ, vel humidæ, iudicantur insalubres. 100
Carnes cæteris præstantiores,quæ iudicentur. 97
Carnis assæ qualitas,& effectus. 98
Carnis elixæ vtilitas. 98
Carnis valde pinguis,& humidæ, salubrior coctura, qualis? 98
Carnis macræ salubrior coctura, qualis? 98
Carnium pinguium effectus. 97
Carpionis piscis fama. 105
Casei natura,& descriptio ex Galeno. 117
Casei repletio non omnes lædit ex Hipprocrate. 118
Caseus cæteris salubrior qualis? 118
Caseus præstantissimus,qualis ex Galeno. 117
Caseus toti humanæ naturæ non est malus ex Hippocrate. 118 & 125
Caseus antiquus quibus conditionibus concedendus. 119
Caseus insulsus non laudatur. 119
Castanearum vsus, qualis ex Galeno. 126
Cerebri cuiusuis qualitas ex Galeno. 102
Cerebrum gallinæ, seu perdicis, vel turturis,memoriæ corroborandæ mirificè prodest. 102
Cibaria praua, ex Galeni sententia, quæ dicantur. 129
Cibi vniuersi a Deo creati quomodo viuentibus noceant ex Auctore. 128
Cibi omnes a Deo creati vtrum hominibus vniuersis prodesse possint. 124
Cibi omnes boni ne? an mali sint dicendi, & quando viuentibus noceant. 124
Cibi omnes pro quotidiano victu hominibus conceduntur ex Celso. 125
Cibum quemcunque viuentibus conuenire dixit Hippocrates. 126
Cibus quilibet viuentibus conuenit ex Auicenna. 126
Cibi moderatè dulces,cæteris saporibus sunt magis grati naturæ. 5
Cibi boni qualitas in quo consistat. 62
Cibi omnes ad libitum ægrotantibusne?concedi possint,& quo modo ex Hippocrate. 67
Cibi praui effectus ex Auicenna. 67
Cibi mali succi, quales. 68
Cibi mali succi quos procreauerint morbos ex Galeni historia. 68
Cibi tam boni,quàm praui succi cruditas, quos pariat morbos ex Galeno. 75
Ciborum perfecta concoctio, sanitati præ cæteris confert ex Ga-

Galeno. 66
Ciborum atque laborum vniuersalis modus ex Pythagora. 24
Ciborum nimia diuersitas in prãdio, & cœna, sanitati obest. 78
Cibum cuilibet complexioni cõuenientem, & consimilem, permutate non expedit ex Auicenna, 70
Cibum in prandio, & cœna rectè non digerentibus, regiminis modus ex Auicenna. 78
Cibus, qui meliùs sapit, meliùs nutrit, quo modo intelligendus iuxta Auicennam. 66
Cibus dentibus malè attritus, perfectam in ventriculo digestionem impedit. 78
Ciceronis dictum sanitati conferens. 58
Clysteris, vel suppositorij frequentissimus vsus apud Hippocratem in epidemijs quare? 52
Cœna prandio copiosior, iuxta antiquorum morem, quibus conueniat. 79
Cœna breuis quibus cõueniat. 69
Cœnæ Antiquorum descriptio ex Virgilio. 74
Cœnæ vsus, cur magis prandio fuerit ab Antiquis celebratus. 74
Cœna parca quibus cõueniat. 80
Coitus nimia continentia, vel frequentia, mulieribus ne? an viris magis obsit. 146
Coitus diuersi effectus, iuxta proprias viuentium complexiones ex Galeno. 147
Coitus cuique naturæ quando vtilis ex Celso. 147
Coitus quibus præcipuè conferat, & quibus noceat ex Galeno. 148
Coitus voluptatem, ac delectationem, efficiant ne spiritus in semine contenti, an ipsum semen. 175
Coitus delectatio maior ne sit in mare, vel fœmina? 175
Coitus appetentia in fœminis vnde procedat ex Galeno. 177
Complexio sibi similis inueniri non potest per Auicẽnam. 181
Complexiones humanæ rarò similes ex Auicenna. 25. 31
Complexiones hodiernæ non differunt ab illis viuente Hippocrate. 37. 39
Complexiones hodiernæ non differunt ab illis viuente Hippocrate, & ratio cur non differant. 53
Complexionis humanæ meliorẽ in statum permutatio diuersis modis a Medico introduci potest. 31
Complexionum differentiæ iuxta ætatis diuersitatem secundum Auicennam. 31
Conceptionis causa quo ad mulierem, duplex est. 180
Consuetudo, vel vsus, sunt res extra rationem ex Auicenna. 67 138.
Consuetudinis effectus ex Auerroe. 76
Consuetudinis vis ex Galeno. 76
Consuetudinis exempla. 76
Consuetudinis exemplum ex Aristo-

stotele. 77
Cordis qualitas, & facultas in Cibo: 102

D

DAuid quid senserit de hominis ætate. 40
Democriti vita. 25
Dentes vitæ breuitatem, vel diuturnitatem, qua ratione denuncient. 166
Dentes firmi, ac spissi, quid boni denotent. 166
Domus electio qualis ex Celso. 63

E

ELaterij dosis iuxta Brassauolum. 42
Elaterij dosis, vel quantitas, tum viris, tum pueris vniuersaliter concedenda ex Dioscoride. 43
Elaterium quatenus commendet Mercurialis. 42
Empedoclis mors. 7
Esaiæ Profetæ de Auruspicum iudicijs notabile dictum, 15
Esculenta salubria, quæ? 120
Exercitij salutaris regula ex Galeno. 137
Exercitij hora, etiam à cibo, qua conditione conueniat. 138
Exercitij laudes, & effectus ex Auicenna. 139
Exercitium ne? an quies magis profit sanitati. 137
Exercitium violentum nō laudatur ex Galeno. 137
Exrecitium statim a cibo, quibus præcipuè noceat. 81
Extremitas in omnibus semper fugienda. 86. & 141.

F

FAuorini argumentum notabile super Astrologorum iudicia. 16
Febres signis firmatæ securissimis, vel cum signis grauissimis factæ, qua die terminentur ex Hippocrate. 12
Ficus, & vuæ maturæ, cæteris fructibus præferuntur a Galeno. 133. 134.
Ficus nutrimentum superat omnes fructus ex Auicenna. 133
Ficus siccæ qualitas ex Auicenna. 134
Ficus primæ pessimæ quia succulentissimæ, optimæ autem postremæ ex Hippocrate. 134
Ficus an fuerit pomū Adam. 135
Fœminæ generatio non semper à fœmina, nec item masculi à masculo semper procedit. 185
Fœminæ generatio quando semper fiat. 169
Fæmina est mas læsus ex Aristotele. 173
Frigidum, quibus inimicum ex Hippocrate. 111
Fructus breuem vitam habent ex Galeno. 132
Fructus quos generent morbos. 132.
Fructus cæteris magis nutrientes, tres cēsentur ab Auicenna. 133
Fructuum causā non semel ægrotauit Galenus. 132

Fungorum qualitas. 130
Fungorum causa, mulieris nobilis casus euentus, & ab Auctore curatus. 131
Fungorum malorum effectus ex Conciliatore. 130
Fœminæ generatio quando semper fiat. 169
Fœmina est mas læsus ex Aristotele. 173

G

Galeni documentum de potu, niue, vel fonte refrigerando. 96
Galeni infirmitates ob nimium fructuum voracem vsum. 9
Galeni sententia notabilis ad vitæ diuturnitatem consequendam. 135
Galeni casus valdè notabilis circa illos, qui semen copiosum, & calidum gignunt, & quæ patianrur symptomata. 55
Galeni opinio circa muliebre semen. 173
Gaudij repentini & immoderati lethales effectus omnino notandi. 144
Gaudij moderati effectus. 145
Generatio vnius cur sit corruptio alterius. 3
Gruis natura. 100
Grues, Cygni, Struthiocameli, Pauones, Ciconiæ, similesque aues magnæ praui sunt alimenti. 68. 100

H

HEcticus an possit arte medica sanus fieri. 29
Hectica mulier ab Auctore sanata. 29
Hellebori nigri vis hodiernis etiam temporibus tolerabilis est iuxta Manardum, & Costæum. 41
Helleborum simpliciter dictum, intelligitur album, de Hippocratis, & Galeni mente. 45
Helleborum album Brassauolus ipse met sumpsit,& alijs etiam sine molestia exhibuit. 46
Helleborum album ob præparationis defectum tantummodò, nostra ætate viuētibus exhiberi non potest. 47
Hermaphroditi definitio. 168
Hermaphroditi generatio secundum Astrologos. 168
Hermaphroditi generatio secundum Medicos. 169
Hermaphroditi generatio quo modo contingat, 169
Hermaphroditus caret menstruis. 169
Hermaphroditus non est agens simul, & patiens in vtroque sexu. 169
Hermaphroditorū differentia circa loca pudenda. 170
Hermaphroditum ad quem finē generet natura. 170
Hieremiæ prophetæ notabile dictum super Astrorū iudicia. 15
S. Hieronymi notabile dictum de

de Astrorum iudicijs. 15
Hippocrates non diuitiarum, sed gloriæ cupidus fuit. 25
Hippocrates quot ab hinc annis fuerit in Mundo. 37
Hippocratis doctrina vniuersis in Mundi partibus vera est. 53
Hippocrates erat scientijs, ac linguis diuersis præditus. 53
Hippocratis fine fine labores, in Medicinæ scientia, & experientia posteritati salubres, ac dulces fuere. 54
Hippocrate viuente eius fama, & Medicæ artis gloria apud Regem Artaxersem maximæ fuit existimationis. 58
Homeri notabilis de morte sententia. 8
Homo licet perfectè sanus, cur impatibilis non sit. 28
Humana generatio vtrum in virili, vel muliebri semine consistat. 173
Humanum corpus ne citò destruatur, quid agendum. 64
Humidum radicale multipliciter consumi potest, pręter quàm naturaliter deberet. 55
Humidias aquea, & a semine diuersa in mulieribus, æquè, ac in viris, quem sortiatur effectū ex Galeno. 175
Humores naturales ne citò alterentur, vel corrumpantur, quid agendum. 8
Humores quatuor humani corporis, quotidie statutis regnāt horis. 5
Humorum quatuor naturalium origo, qualitas, & effectus. 4
Hydropico asciti remedium conferens, & expertum ab Auctore. 43
Hydropicis venam secare non conuenit. 44
Hypocohndriacæ effectus. 49
Hypochondriacę passiones valdè rarò sanantur, & huius etiam redditur ratio. 187
Hipocondriacis quæ cibi quantitas conueniat ex Rhasi. 188

I

IMmortalitas quādo posset dari hoc in Mundo. 30
Imaginatio in actu concubitus quantum possit ad prolem creandam iuxtà rem in mente conceptam. 179
Inanitionis, ac nimiæ repletionis effectus. 141
Infantes nasci dentatos quando contingat. 165
Infantes nasci cum dētibus, quid denotet. 167
Infantes diuersis in corpore notis, masculisque signati, qua de causa ita nascantur. 179
Iob sententia de vita hominis verè notabilis. 2
Iuppiter, & Venus, ambo sunt ex propria natura benefici planetæ. 14
Iuuenibus, & adolescentibus quæ victus qualitas, & quantitas concedenda. 70

Lac

L

LAc humanum quouis lacte præstantius. 116
Lac vaccinum quorumlibet aliorum animalium lacte crassius iudicatur ex Rhasi. 116
Lac quibus magis conueniat ex Auicenna. 117
Lac optimum, optimi est succi ex Galeno. 116
Lac coagulatum difficilis est cõcoctionis. 116
Lac, & caseus, calculos in renibus gignendi vim habent. 116
Lactis virtutes, & effectus, quã conditione succedant ex Auicenna. 116
Lapis philosophorum nullam cum ligno vitæ comparationem retinet. 30
Lateris dolor quo modo curandus iuxta Hippocratem, & Galenum. 45
Leguminum vsus nullo modo recipitnr ab ijs, qui sanitati, ac vitæ prorogationi vehementer incumbunt. 121
Leguminum vsus quos generet morbos. 122
Leguminum vitia, quæ? 123
Leontini Gorgiæ senectus notabilis. 27
Linguæ animalium quæ sint cæteris meliores. 101
Luna semper indiget Solis auxilio ex Galeni sententia. 11
Lunæ motus, ac dierum criticorum obseruatio facienda ex Ptolemæo. 12

M

MAmillarum qualitas, & facultas in cibo. 102
Marci Crassi Cœnaculum. 73
Marcus Curius dentatus fuit auri cõtemptor ex Cicerone. 165
Maris, aut fœminę generatio ex qua causa per Aristotelem. 158
Marsilij ficini sententia valde notabilis ad perpetuam sanitatẽ, ac longæuam ætatem consequendam.
Martiæ Zazzeræ Romanæ Matronæ Nobilissimæ notabilis in Medicina casus, ab Auctore descriptus, ac tandem in antimonij præparati virtute sublatus. 48.
Masculorum generatio, quo ingenio iuxta Hippocratem, & Auicennam, possit fieri. 157
Masculorum generatio quando destrueretur. 173
Masculus quando generatur, & quando fœmina. 184
Masculi generatio quando semper fiat. 169
Matthiolus princeps omnium, qui de simplicium virtutibus præsenti viuente seculo scripserunt. 47
Medicamenta purgantia, quæ dabat ægrotis Hippocrates, eadẽ quoque ab hodiernis complexionibus recipiuntur. 41
Medicæ artis officium ex Galeno, quale. 10
Medici excellentissimi, quales ex Pla-

Platone. 82. 161
Medici qualitas ex Hippocrate. 82
Medici, ac Medicinæ sufficientia, quatenus intelligenda per Aristotelem. 18
Medici officium quale sit secundum Fernelium. 18
Medici, ac Medicinæ finis, qualis. 20
Medicinæ diuisio quotuplex. 18
Medicinæ definitio iuxta diuersos Auctores. 18
Medici nomen quantum possit apud uulgum ex Plinij sententia. 161
Medicus honore colendus propter necessitatem iuxta Salomonem. 37
Medullæ cuiusuis qualitas, & facultas in cibo ex Galeno. 102
Melācholiæ causa principalis quænam? 144
Mel & saccharum, facilè conuertuntur in bilem. 113
Mellis qualitas. 112
Mellis crudi nocumenta. 112
Mellis despumati utilitates. 112
Morbi hominibus accidunt propter peccata. 7
Morbi leues non indigent medico. 20
Morbi mali moris cur ita dicantur. 22
Morbi vt plurimùm longi in solstitijs, vel Aequinoctijs ad salutem, vel morrem iudicari solēt ex Hippocrate. 51
Morbi omnes à flatibus fiunt ex Hippocrate. 143
Morborum causam in hominibus esse Numen, dixit Hippocrates. 7
Morbos sine medicamentis quomodo sanauerit Galenus. 59
Mors naturaliter eueniens, an possit retardari, vel etiam festinari. 21
Mors viuentibus dupliciter euenit. 21
Mors citiùs, quàm naturaliter deberet, quot modis contingere viuentibus possit. 57
Mortis causa, duplici modo naturaliter de necessitate contingit ex Auicenna, & Galeno. 2
Mortis causa naturaliter euenientis ex Auerrois doctrina. 3
Mortis naturalis defintio iuxta Galenum. 28
Mulier habet testes pro vt vir, sed intus latentes à lateribus vteri. 171
Mulier verum habet semen generationi conferens & vi generādi præditum ex Galeni sententia contra Peripateticos. 173
Mulier habet vasa spermatica & testes. 174
Mulier verum semen habet, veluti Galenus euidenter probat secundo in libro de semine, capite primo. 174
Mulier iuncta viro, licet proprium non effundat semen, an possit concipere. 182. 184
Mulier habet verum semen ex Auicenna. 176
Mulieris delectatio in coitus actu qualis respectu viri. 181

Mulierem ſine proprij ſeminis interuentu ſimul cum mare concipere poſſe, probabile non eſt per Fortunium Licetum. 184

N

Natura eſt arte prior, ac ſapiẽtior iuxta Galenum. 32
Natura; & ars, ſibi inuicem auxiliantur. 33
Natura plura facit praua quàm proba, ſecundum Ariſtotelem. 33. 163
Natura non ſemper arte, Ars verò ſemper indiget coadiuuante natura, ideoque præſtantior arte iuxta mentẽ Auctoris. 34
Natura morbos paulatim curat de Galeni mente. 162
Natura quot modis in morbis curandis, rectè, vel ſymptomaticè operetur. 34
Natura humana à Mundi generatione huc vſque, quantùm fuerit debilitata ex Conciliatore. 38
Natura humana quo modo finitè in infinitum cõſeruetur. 163
Natura cur ſemper maſculum nõ producat, quamuis per Ariſtotelem ſemper maſculum efficere intendat. 185
Naturæ definitio ex Ariſtotele. 136
Naturæ humanæ deſtructio quando naturaliter cõtingeret. 185
Nuces, & auellanæ, an comedendæ. 135
Nutriens melius eſt, quod melius ſapit, & ratio quare? ex Auicenna. 127

O

Odor panis calidi cerebrum corroborat. 25
Olei qualitas. 109
Oleum eſt veluti Quinta eſſentia, & butyro melius eſt pro ciborum etiam condimento, & cuilibet veneno confert. 109
Oleum ex vitellis ouorũ expreſſum, augendis capillis & faciei maculis prodeſt. 115
Olerum vſus quo modo ſanitati conferat. 129
Oribaſij ſentẽtia de longis morbis curandis. 59
Oui albumen frigidum, & aſtringens eſt, ſed eius luteum temperatum eſt. 114
Ouorum conditio qualis, videlicet ex gallinis, phaſianis, perdicibus, ac etiam ſturnis. 114
Ouorum qualitas, & effectus ex Auicenna. 115
Ouorum differentia quo ad coctaram, & ætatẽ ex Galeno. 115
Ouorum anatis, anſeris, & ſtruthiocameli qualitas. 115

P

Panis ex optimo tritico conditiones, & qualitates obſeruandæ. 83
Panis electio qualis eſſe debeat. 83
Panis ſordidus qualis intelligen-

dus iuxtà Paulum Aeginetā. 83
Panis recentis vtilitates. 83
Panis calidi molestiæ. 83
Panis diù conseruati, ac etiam biscocti qualitas, & effectus. 84
Panis azimi, & incocti, vel torrefacti detrimenta. 84
Panis hordeacei qualitas. 84
Panis ex zeia facultates. 85
Panis ex lolio effectus. 85
Panis ex Auena, quibus conueniat. 85
Panis ex Oriza effectus. 85
Panis ex Milio, & Panico facultates. 85
Panis ex castaneis qualitas. 85
Panis furfuraceus aluum subducit. 83
Panis conditiones ad sanitatem requisitæ. 83
Panis coctura, sanitati contraria, qualis ex Galeno. 84
S. Pauli dictum de vino. 17
Pauonis qualitas, & consideratio. 100
Phasiani sunt Galli syluestres, ex Auicenna. 99
Pedum Animalium qualitas, & facultas, eorumque præparatio melior quo ad cibum. 103
Peplium, & Helleborum nigrum, eiusdem sunt fere virtutis. 51
Percæ piscis laus. 106
Perdices, & Turtures, ingenio, & memoriæ, ac senibus præcipuè conferunt. 99
Philemonis de Hippocrate iudicium circa eius effigiem. 26
Phililinus lacte tantummodo vixit. 116
Pisces frigidiore constant natura præ cæteris animantibus ex Galeno. 103
Pisces leue sunt edulium ex Hippocrate. 103
Pisces vna cum carnibus, lacticinijs, & ouis, comedendi non sunt. 103
Pisces maritimi, vniuersis aquæ dulcis piscibus meliores habentur. 106
Pisces inter maritimos, vel fluuiales, cæteris prestantiores, quales habentur. 106
Pisces quouis modo cocti, & conditi, quibus concedantur. 107
Pisces sanitati nocentes. 103
Pisces sanitati conferentes. 106
Piscis fluuialis electio. 105
Piscium vsus, quibus minùs, aut magis conueniat. 107
Piscium coctura salubrior, qualis. 107
Piscium partes, diuersæ sunt qualitatis ex Hippocrate. 103
Piscium fluuialium alimentum, quale ex Galeni sententia. 105
Planetarum influxus, remotissimæ sunt causæ. 15
Platonis dictum de sui temporis luxu. 26
Plutarchi sententia notabilis, quo ad vitam diù incolumen conseruandam. 148
Pollutio per nocturnas imagines habita, quibus nam eadem afferat incommoda, quæ concubitus. 56
Poma, & pyra cruda, sed perfectè matura sub arboribus ca

pta, quibus, & quando conueniant. 135
Poma qualibet cocta, quibus, & quando praecipuè conueniant. 136
Posca quid sit. 89
Potus frigidus qualis intelligendus. 94
Potus frigidi, & calidi vsus, fuit apud Antiquos frequentissimus. 94
Potus ne frigidus, an calidus, viuentibus magis conducat. 95 97
Potus frigidi, & calidi detrimenta ex Hippocrate. 95
Potus tam frigidus, quàm calidus viuentibus prodest, iuxta complexionum diuersitates. 95
Potus niue refrigerati, temporis processu detrimenta ex Galeno. 97
Prandij, & cœnæ modus Apud Antiquos. 72
Prandio copioso, cœna verò parca, quando vteretur Antiqui. 62
Prandij, & Cœnæ regimen hoc in seculo viuentibus vtile. 74
Pradij, & Cœnæ hora necessaria. 75
Prandij, & cœnæ Antiquorum vsus, & modus, an hisce temporibus viuentibus conuenire videatur. 78
Pueris, & infantibus, quæ victus qualitas, & quantitas conferat, 70
Pulmonis qualitas, & facultas in cibo. 102
Purgationis tempus, & effectus, ex Hippocrate, & Galeno. 10
Purgationis confercitis indicia. 34
Purgationis nō cōfercitis signa. 34
Pythagoræ vita notabilis, & exēplaris doctrina. 24
Pythagoræ dictum circa coitum 24
Pythagoras melle sæpissimè vescebatur. 113

Q

Vietis corporis incommoda 139

R

Ranæ vrinæ difficultatem, ac intestinorum dolorem quādoque in cibo sumptæ gignere consueuerunt. 104
Ratio est anima legis, vel ipsum scire per Aristotelem. 25
Renum qualitas, & facultas in cibo. 102

S

Saccharum quando calidum circa primum gradum, vel temperatum dici potest. 111
Saccharum quando, & quibus conueniat. 112
Saccharum quid sit ex Auicenna. 112
Saccharum sitim excitat. 112
Sacchari virtutes 112
Sal calidus est & siccus in secundo gradu. 108

Sal, vtrum febricitantibus possit impunè concedi ex Mercuriali. 108
Salem ciborum animam vocauit Heraclitus. 108
Salita, quæ nam sanitati aduersentur, & quos producant effectus. 108
Salita, quæ nam sanitati non obsint. 108
Salita quibuscunque salitis meliora, quæ sint ex Galeni sententia. 109
Salita omnia, qua arte sint corrigenda. 109
Salitorum frequens in prægnantibus vsus, fœtus sine vnguibus nasci permittit ex Philosopho. 102
Salomonis sententia de vita hominis. 2
Sanguis menstruus, & semen in quo differant. 180
Sanitatis causæ in quo consistant ex Galeno. 35
Sanitas perfecta vnà cum diuturna vita qua via possit impetrari. 59
Sanitatis notabile documentum ex Aristotele. 65
Sanitatis conseruandæ causa, quænam sit ex Hippocrate. 65
Sanitatis diuturnæ, cupidi, frigido ne potu, an calido vti debeant. 97
Sanitatis effectus, qualis ex Hippocrate. 113
Sanitatis custoditor quo modo fructibus vesci debeat. 135
Sanitatis causa, qualis ex Hippocrate. 142
Sanitatis custodia in quo consistat ex Auicenna. 142
Sapientiæ definitio ex Cicerone valde notabilis. 187
Sapiens quo modo dominetur astris. 151
Sapores diuersi iuxta temporum diuersitatem eligendi. 113
Saporum condimenta quibus cōcedenda. 113
Saturnus, & Mars, ambo sunt ex propria natura planetæ malefici. 14
Scammoniæ dosis iuxta Manardum. 41
Scari piscis peculiaris natura. 106
Scientia qualis ex Aristotele. 184
Scientia in quo differat ab opinione. 25
Semen muliebre humanæ confert generationi ex Galeno. 169 178
Semen retentum veneuata qualitate corrumpitur ex Galeno. 147. 148
Semen muliebre vtrumque sexū generandi vim habet ex Hippocrate. 176
Semen mulieris est vi generandi præditum iuxta Galenum, qui demonstratiuis rationibus, ac euidenter probantibus, rei veritatem ostendit Peripateticis aliter sentientibus 177
Semen virile, ac muliebre, in quo differant inter se. 177
Semen humanum quid sit ex Aner-

Auerroe. 180
Semen est quid magnum ex Hippocrate. 148
Semen muliebre humanæ confert generationi ex Auicenna, & eiusdem principium duplex est 178
Semen est in muliere, sicut in viro. 178
Semen muliebre, aut virile, vtrumque masculum, aut fœminam creandi vim habet ex Hippocrate. 179
Semen muliebre vnà cum virili, ad hominis generationem requiritur. 181
Semen muliebre simul cum virili, an semper ad prolem concurrat. 181
Semen muliebre cócurrit ad prolem iuxta Sauonarolam. 183
Semen tam viri, quàm mulieris, modo fœminas, modo masculos etiam gignit iuxtà Hippocratem. 185
Semen muliebre materialiter, ac etiam formaliter ad humanam generarionē concurrit ex Vallesio. 189
Semen virile, ac muliebre, an vt agens, & patiens, vel quo modo humanæ generationi ad inuicem interueniat. 186
Seminis calidioris indicium in homine ex Aristotele. 158
Seminis humani denominationes omninò notabiles. 148
Senectus qua via possit retardari. 54
Senectus, an possit euitari. 6
Senectutis retardatio ex Aristotele. 62
Senes, & decrepiti, an frigidi & humidi dici possint, 31
Senes tribus necessariò indigent. 57
Senibus decrepitis, & his propinquis, quæ victus qualitas, & quantitas conueniat. 70
Sex Res non naturales, ac etiam ineuitabiles, cur fuerint a Medicis ita nuncupatæ. 60
Sexti digiti locorum diuersitas, iuxta manus, & pedes. 154
Sexti digiti differentia in forma, & figura. 154
Sextus digitus inter morbos in numero collocatur. 154
Somni, & vigiliæ vtilitas, & damnum. 139. 140
Somni vtilitas, atq; necessitas. 140
Somni, & vigiliæ differentia ex Philosopho. 139
Somni, & vigiliæ causa ex magno Galeno. 139
Somni quantitas an cuilibet possit assignari. 139
Somni nocturni vtilitates ex acutissimo Peripatetico Auerroe. 140
Somnus quid sit ex Arist. 140
Somnus melancholicis potissimū confert. 140
Somnus diurnus æstiuo tempore breuis ex Hippocrate. 140. 141
Sorborum, & mespilorum vsus, qualis ex Galeno. 136
Starnæ qualitas. 99
Stomachi grauitas, & molestia ex vini copia genita, deterior est,

est, quàm si ex cibo superfluo fieret ex Principe Auicenna. 75
Stomachi lienis, & intestinorum qualitates, & facultates quo ad cibum. 102
Struthiocameli natura. 68. & 100
Suilla caro, quibus, & qua conditione conueniat. 101
Suillæ carnis qualitas ex Galeno, & Auicenna. 100
Suillæ carnis cum humana, similitudo valde connaturalis, ex Auerroe, & Galeno. 101
Symbolorum ad symbola potius quàm ad dissymbola, facilior est transitus ex Aristotele. 4

T

Tertius testis non datur. 160
Tertius testis an detur, nec ne? proponitur modus cognitionem ipsius effectiuè demonstrans. 160
Testes duos in homine reperiri, & non plures. 155
Testes duos, & non vnum, ad quem finem homini natura concessit. 157
Testis vnicus ad prolem sufficiens est. 156
Theriacæ vsus vitam prorogat Auctore Galeno. 35
Theriacæ effectus in sanis etiam hominibus, qualis ex Galeno. 35
Tricliniũ, quale apud Antiquos, & ad quid instructum. 73
Tristitiæ effectus ex Solone. 145
Trifera confert vitæ diuturnitati ex Mesue. 35
Tuberum qualitas. 130

V

Vaccinæ carnis qualitas. 99
Veneni tam calidi, & corrosiui, quam frigidi etiam effectus. 57
Venerem quæ remedia suscitent. 17
Veneris immoderatus vsus quæ damna pariat. 55
Ventriculus natura debilis, quæ vina requirat, & quo modo. 94
Vermes, & epilepsia in pueris, vnde? 90
Vermes ascarides vbi generentur. 152
Victus regimen iuxta quatuor anni tempora ex Polybo. 71
Vigesimus dies tres septimanas continet, ac perficit, propterea magis iudicat, quàm vigesimus primus ex Hippocrate viro Medicinæ Doctore. 13
Vigiliæ superfluæ incõmoda. 141
Vinum est potus, & cibus simul 85
Vinum in sanitatis regimine conuenientiùs est aqua. 86
Vini effectus ex magno Philosopho. 86
Vini calidioris notæ ex Galeno. 87
Vini frigidioris notæ ex Galeno. 87
Vini puri detrimenta. 87
Vinum cuiusuis generis non omnibus vtile. 90

Vi-

Vinum puerulis conueniens, quale ex Hippocrate, seu Polybo. 91
Vinum est lac, vis, & vita senum 91
Vinum naturæ humanæ magis gratum, ac celeriùs nutriens, quale. 92
Vinorum caliditas, vel frigiditas, ex colore cognoscitur iuxta Galeni mentem. 92
Vinum aquosissimum an infantibus concedendum. 93
Vinum super fructus bibendum semper est, nòn autem aqua, ex Donato Antonio Ferro. 133
Vinum iuuenibus quo modò cõueniat, ac eiusdem effectus. 93
Vini dilutio in prandio, & cœna quo modo facienda, & quare, ex Arnoldo. 93
Vini oligophori qualitas ex Galeno. 90
Vita humana duplici de causa cõsumitur ex Galeno. 3
Vita humana qua via possit etiam prorogari. 20
Vita humana quo vsque Medicinæ beneficio possit pariter prorogari. 23
Vita humana qua item ratione producatur. 28
Vita in quo fundetur. 123
Vita impij senectutem efficit miseram ex Cardano. 146
Vita humana quo modo medicam per scientiam, & artem protrahatur. 32. 36
Vitales spiritus qua in parte cordis, resideant. 5
Vitæ humanæ finis ex Galeno. 6
Vitæ humanæ productio tribus demonstratur exemplis. 29
Vitæ productio quot modis in homine fieri possit a Medico. 30
Vitæ terminus hominibus vniuersis ab æterno fuit a Deo præfixus, 1
Vitæ terminus abbreuiatus per Auicennam quo mòdo contingat. 21
Vitæ hominis terminus naturalis iuxta regulas Astrologicas 38
Vitæ humanæ diù conseruandæ, quæ conferant. 54
Vitæ lõgitudinis signum ex Cardano. 56
Vitæ diuturnæ causa ex Marsiliò Ficino. 122
Vitæ diuturnæ causa ex Cardano. 122
Vitæ regimen a Platone vituperatum quale sit. 66
Vniuersale cur honorabile per Aristotelem. 22
Vulpes, feles, & mures, an comedendi. 100
Vrsi, Cameli, Equi, Asini, Lupi, Leonis, hisque similes carnes, valde praui sunt alimenti. 68
Vxorem ducere qua ætate conueniat iuxta Philosophi mentem. 27
Vxor quo modo eligenda. 28

Z.

Zoroastes Magus, solo casei victu annis viginti vixit in deserto ex Mizaldo. 118

FINIS.



ROMAE. M.DC.LVI.

Ex Typographia Michaelis Cortellini.

SVPERIORVM PERMISSV.

LAELII ZACCAGNII ROMANI

MEDICI AC PHILOSOPHI

NOTABILIVM MEDICINAE LIBER TERTIVS

De Memoriæ acquirendæ præceptis, ac eiusdem detrimentis, atque remedijs, omnibus ocio litterario deditis, ac memoriæ cupidis conferentibus.



ROMAE,

Ex Typographia Michaelis Cortellini. M. DC. LV.

SVPERIORVM PERMISSV.



IN EFFIGIEM
Diſtichon.

Quale ſit ingenium, calamo ZACCAGNIVS *effert.*
Affabrè ſed faciem picta figura docet.

FRANCISCI PHILIPPELLII
I. V. D.
In Auctorem, in lucem alterum edere librum retardantem.




EPIGRAMMA.

INcipe iam LÆLI doctos exponere libros,
Vis maneat mentis fama sepulta tuæ?
Desine quàm primùm precibus te flectere nostris,
Ecquid enim maius secula nostra dabunt?
Ingenio est notus, clarus ZACCAGNIVS arte;
Eloquio demum temperat omne malum.
Hippocratis dotes felix consequere tandem?
Crescat in æthereos, vt tua fama polos.



ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO D.

D. ODOARDO VECCHIARELLIO CAMERAE APOSTOLICAE GENERALI AVDITORI.



LÆLIVS ZACCAGNIVS ROMANVS

Sanitatem & Gaudium.




VAMVIS Tertium Notabilium Medicinæ librum in ſtudioſorum gratiam euulgandi, non leuis animi ſtimulus me ferè ſemper vrgeret; Attamen aliud ex alio negocium, occupationeſque diuerſæ me inuito prorogarunt, ac in præſentem vſque diem paulatim exitum tranſtulerunt; Hunc itaque librum, qualiſcunque ſit Illuſtriſsime Præſul, tuis licet meritis inæqualem, ac longè

gè minorem, promptè offerre, ſimulque di. care, ſub tuoque patrocinio munitum in lucem edere ſum alacriter auſus, propterea quòd à cuiuſuis latrantis cerberi morſu eũ. dem facillimè tueri, & cuſtodire non minimùm valeas; Etenim (vt optimè ſcio) ſtu. dioſis memoriæ functionibus non raró feliciter vteris, iiſque data opera libenter incũ bis, præcipuè verò dum de Iuridicis cauſarum iudicijs, tuæ mentis acumine ſapienter prudenterque diſſeris atque decernis, quo. rum item cauſa ſupremam in omnibus probitatis & iuſtitiæ famam glorioſè conſequeris: Taceo ſimiliter ampliſsimà tot beneficia in me, meamque familiam gratis, & ſponte collata, ob quæ profectò quàm tibi debeam, alto ſilentio præterire non poſſum, quamuis hæc omnia non minore quidem humanitate, quàm animi magnitudine fuerint ſemper in te vnà cum generis claritate coniuncta; Sed quemadmodum in exiguum huius epi. ſtolæ locum, Oceanum gloriæ cogere minimè poſſum, tuorum videlicet maiorum, vel


pro-

proximorum nomina, nedum virtutes; & optime gesta, sic etiam rogo, vt ea cum ratione hoc tibi munusculum omnino deberi, æquo animo patiaris, libenterque suscipias. Quandoquidem exemplari virtutum, tuarumque dignitatum incitamento, Mariano Petro patruo Referendariorum vtriusque Signaturæ Decano me semper deuinctissimum fuisse confiteor atque profiteor: Sed vbi prætereo Illustrissimum Dominum Ferdinãdum Equitem Hierosolymitanum tuũ germanum fratrem, diuersis nempe militaribus & æquis honorificè partibus, tuas penè laudes pariter æmulantem, quem sanè pro viribus, non adhuc tamen ad satietatem admiror & colo. Viuas igitur incolumis diù nõ immeritò precor Illustrissime ac dignissime Præsul, ad sublimiorem dignitatis gradum quàm citò efferende, itemque singulari Dei gratia sis perpetuò felix.



Imprimatur, Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

M. A. Oddus Vicesgerens.



Imprimatur,

Fr. Saluator Pagliari Reuerendiss. Sac. Apost. Pal. Magis Ord. Prædicator.



DE MEMORIA, EIVSQVE Facultatibus.

NOTABILE PRIMVM.



QVEMLIBET profectò non latet, nullum inter viuentes reperiri, qui possit incorporea apprehendere, nisi per similitudinem quandam, & corpoream veluti formam, animæ tamen potentijs, corporeisque instrumentis perfectè simul concurrentibus; & quamuis anima rationalis absque vllo corporis adminiculo prorsus id consequi possit, nihilominus humano copulata corpori, similiter ipsa corporeis vtitur instrumentis, à quibus diuersæ intellectus operationes fiunt, inter quas vtique memoria principem locum tenens, quid inde mirum, si sapientiam memoriæ filiam poetæ finxerint: Attamen hac de re, priùs quàm de rationalis animæ essentia, eiusque potentijs agatur, de memoriæ facultatibus obiter non nulla mihi attingere liceat; Memoriæ igitur dignitas talis est, vt scientiarum omnium communis, & admirabilis quidem arca possit meritò nuncupari, de qua potissimùm Romanæ eloquentiæ parens primo in libro de oratore loquens, Memoriam inuentarum rerum thesaurum esse atque custodem dixit, verùm iuxta Senecam in præfatione libri Declamationum, Memoria est res ex omnibus partibus animi maximè delicata, & fragilis, in quam primùm senectus incurrit, quam Plato etiam in Philebo dixit

Sapientia memoriæ filia.

Memoriæ definitiones diuersæ.

Memoriæ definitio ex Cicerone.

Memoriæ qualitas iuxta Senecam.

Memoria quid sit ex Platone.

Memoriæ definitio ex Aristotele. esse conseruationem notionis, intelligentiæ, ac sensus; Peripateticorum autem princeps in libro de memoria, & reminiscentia capite secundo, Memoria (inquit) est retentio imaginum priùs ab anima receptarum, nec est præsentium, aut futurorum, sed præteritorum tantùm, facilè enim recordamur

Memoria præstantiores, qui sint. eorum, quæ sæpè cogitamus, & recordatione plùs valent celeritate ingenij præditi, & dociles homines; Auerroes demum

Memoria inter animæ operationes maximè spiritalis est, ex Auerroe. secundo colliget, vigesimo, inter animæ operationes, & potētias, maximè omnium spiritalem memoriam censuit, cuius nimirum ratio afferri posset, propterea quòd non solùm à perfectissimis fiat spiritibus, verùm etiam quia per ipsam memoriā animus, tam imaginationis, quàm discursus operationes diligenter conseruat: Nam multa legere, sicuti studiosis est facile, ita etiam multa intelligere, bono, & exercitato ingenio difficile non est, veruntamen ea congerere, & in memoriæ domicilio, veluti sigillo impressa retinere, ita vt non effluant, hic punctus, hic labor, hic sudor est; Necessarium etenim ac præcipuum vitæ humanæ bonum est, quecũque didicimus memo-

Memoriæ mira exempla. ria tenere, si possit semper fieri, perinde ac in antiquorum exēplis de Cyro Persarum Rege narratur, qui suos innumerabiles milites nominatim singulos conuocabat, nec non de Mitridate duarum & viginti nationum rege, qui totidem linguas, nullius interpretis auxilio, & alloquebatur, & audiebat, pro vt etiam de Imperatore Iulio Cæsare quatuor simul epistolas diuersis totidem scriptoribus dictante, nec non de Traiano Imperatore similiter idem agente vulgata pro certo fama notissima est; Non ne itidem mirum de Seneca est, qui duo mille nomina suis ordinatè discipulis recensebat; Quemadmodum in Græcia Charmadas quidam non defuit, qui quæuis volumina in bibliothecis legisset, eadem legentis modo narrabat. Hunc similiter Metrodorus Scepsius adæquauit, nam quæcunque legebat, vel audiebat, eisdem met verbis repetita reddebat; Hic item suis in scriptis, Oratori potiùs, quàm philosopho vicinior fuit, ac nouo quodam dicendi genere multos a sui imitatione deterruit; Huius denique ipsius memoriam mirificè commendat etiam Cicero, Tusculanarum quæstionum libro primo. Attamen huc vsque prædicta quo ad me, prodigiosa, & rara, vel diuina potiùs, quàm humana fuerunt exempla memoriæ: Sicut è contra de Claudio Imperatore adeo immemore fama est, qui dum vnà cum vxore in lecto iaceret, vbi

nam

nam gentium, & quicquid de ipsa met esset, percontabatur, Suetonio Tranquillo in eius vita referente. Hæc inquam omnia, si vera tandem extiterint, pro vt quidem narrantur, sunt aureo signanda lapillo.

Verumtamen si quis apprehendendæ, vel adipiscendæ memoriæ viam cupiat, & modum mirificum quærat, Petri Thomai librum sub nomine, vel inscriptione Fœnicis consulat, ibi enim vtiles vtique regulas, aptaque inueniet præcepta, quibus mediantibus vnusquisque forsitan hac de re voti compos euadet, quandoquidem hic idem ab Eminentissimo Cardinale Lancellotto memoriæ præceptor fuit non temere nuncupatus.

De rationalis animæ sede in viuentibus, antiquos iuxta philosophos.

NOTABILE SECVNDVM.

Animæ rationalis diuersæ in homine sedes iuxta antiquorum opiniones.

NOn vniformis fuit opinio antiquos inter philosophos de propria rationalis animæ sede, humano viuente corpore, pro vt Galenus in libro de historia philosophica manifestè scriptum reliquit; Quidam enim existimarunt eam esse in toto pectore, vt Parmedines, & Epicurus, multi posuerunt eam in sanguine, inter quos fuit Empedocles; Alij verò in arterijs cordis, qualis fuit Diogenes, non nulli quidem in toto corde, vt Aristoteles, & Auicenna; Verùm Hippocrates fuit primus, qui animam rationalem toto in cerebro locaret, & post eum Plato; sed Strabo philosophus eam in syncipite locatam putauit; Erasistratus autem in membrana totum cerebrum ambiente, Herophilus dixit eam in ventriculis cerebri, tanquam in propria sede operari, Galenus tandem tres esse animas, ac tres facultates, natura, & loco distinctas promulgauit: Quid igitur mirum tot opinionum differentias, philosophos inter ac Medicos hac de re fuisse auditas? Si humana sine dubio sapientia stultitia est apud Deum, pro vt quinto in emblemate Alciatus refert, quod item Romanæ eloquentiæ princeps Cicero perfectè cognoscens primo in libro de oratore, posteris patefacere non recusauit, ibi enim vtpote ad rem nostram, prudenter loquitur, dum ait, disertos quidem vidi multos, sapientem verò

Sapientia humana vtrum sit vera sapientia.

Sapientiæ definitio ex Cicerone.

neminem, siquidem sapientia est diuinarum humanarumque rerum copiosè loquens scientia.

De Anima rationali, eiusque potentijs, ac propria eiusdem sede in viuentibus.

NOTABILE TERTIVM.

Animæ rationalis essentia.

Animæ rationalis aduentus, quandiù à conceptione homini contingat.

Anima rationalis qua in parte corporis humani principaliter resideat.

NArratis igitur prædictis opinionum diuersitatibus, tot inter sapientes philosophos, ac medicos, circa propriam rationalis animæ in homine sedem, ad maiorem vtique huius rei dilucidationem, dicendum, ac pro certo decernendum pariter est animam rationalem esse immortalem, atque ab omnipotenti Deo ex nihilo creari, & quadragesima die in maribus, sexagesima verò in fœminis, ab ipso conceptionis actu, in embryonis forma collocari, totamque in toto humano corpore, ac totã in qualibet eius parte essentialiter permanere, proptereà quod sit indiuisibilis, & omnino immaterialis, quamuis principaliter in corde secundum Aristotelem, & Auicennam, vel in cerebro iuxta Hippocratem, nobilissimis tanquam in partibus resideat, atque operetur: Hæc item rationalis anima, licet vnita corpori, ab ipso tamen separabilis est, nec perit cum eo, pro vt alijs formis inseparabilibus accidit, nec minùs vtitur corpore ad intelligendum, sed per eam tantummodo intelligit corpus, ac viuit, ideoque per hanc materno in vtero fœtus intelligendi potentiam, ac vim, non per interualla, sicut aliqui putant, sed in eodem instanti à Deo suscipit.

Verùm quia per Aristotelem secundo de generatione animalium, tertio, non simul contingit animal, & hominem fieri, idcirco priùs per animæ vegetatiuæ, ac sensitiuæ participationem est animal, postea verò per animæ rationalis aduentum, fit homo.

Animaduertendum tamen est, quamuis tres animæ, ac tres facultates natura, & loco distinctæ per supradictum Galenum existant, non esse propterea dicendum tres animas quolibet in homine dari, nec minùs duas, quemadmodum tenent ij, quos sa-

ſacroſancta Synodus Conſtantinopolitana anathematizat, pro vt ex Canonis vndecimi verbis colligitur, ſequenti modo nimirùm, Ponebant enim in homine duas animas in vnam naturam non coeuntes, quod enimuerò prædictæ Ariſtotelis doctrinæ non ſolùm repugnat, ſed vltrò concedi etiam debet eas omnino tranſmitti, ſimulque in vnam recipi eſſentiam ipſiuſmet animæ rationalis vltimò aduenientis, per quam aliæ duæ perfectionem acquirunt, quod item vt manifeſtè pateat, eſt euidenter probandum ex eodem Ariſtotele, ſecundo de anima, textu ſeptimo: Ad hoc enim vt ex duobus vnicum fiat ens per ſe, ſufficit in vno tantummodo conſiſtere eſſentiale complementum alterius, ſicuti profectò ſe ſe habet anima ſenſitiua, ad vegetatiuam, ex quibus fit vnicum ens per ſe, & vna anima irrationalis, quæ iterùm animam intellectiuam, ſeu rationalē, veluti eſſentiale complementum ſimiliter ſuſcipiens, tunc rurſum in vnum conuertitur ens per ſe, quod eſt anima rationalis atque immortalis, ex cuius perfecto ſcilicet complemento, ſatis per Ariſtotelem probato, quæuis opinio aliter ſentiens, penitùs ceſſat: Porrò rationalis animæ operationes, non eſt vtique mirum ſi ab vno, eodemque cerebri loco non producantur, propterea quod prudens natura cerebri ſubſtantiam variam, atque diuerſam compoſuit, ac diſtinctè formauit, iuxta quam ſanè diuerſitatem, imaginationis locus in anteriori capitis parte ſitus eſt, diſcurſus item ſedes, eſt in medio capite locata, memoriæ verò theſaurus, in poſteriori capitis parte aſſiduè reſidet: Id autem experientia quoque verum eſſe patet, nempè quia vnica tantummodò mentis impedita functione, læderentur ſimul, ac ſemel omnes, ni eſſent eiuſdem met animæ inſtrumenta inter ſe ſe diſtincta, ſiquidem non deſunt multi, qui rectè ſermocinantur, nec propterea memoria pollent, quemadmodum plurimi etiam ſunt, qui licet admirabiles in mente concipiant imagines, eaſdem tamen perfectò colloquio exprimere, vel patefacere, nec ſciunt, nec vllo modo poſſunt.

Anima ſenſitiua & vegetatiua, & rationalis, quo modo in unicam recipiantur, & includantur eſſentiam ex Ariſtotele.

Imaginatio qua in parte cerebri, & qua in parte diſcurſus, & memoria fiant.

Attamen quia duæ frequẽtiores perſępè ſunt cauſæ memoriam lædentes, frigiditas planè ſicut humiditas, per ſupra citatum Ariſtotelem, hinc igitur fit, vt hæc retentionem impediat, frigiditas verò motum neceſſarium ad memorandum prohibeat, propterea frigiditatis filia dicitur obliuio, pro vt etiam Pauli Æginetæ, aliorumque auctoritate confirmatur,

Memoria quó modo a cerebri frigiditate, ac humiditate lædatur.

Obliuio frigiditatis dicitur filia.

qua

qua item de re Hippocrates, non sine causa decimo octauo, quinti aphorismorum libri, dixit frigidum esse inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, & spinali medullæ, calidum verò vtile.

Frigidum quibus corporis partibus præcipuæ obsit.

Omnes item qui multo sunt in motu, vel propter animi passionem, vel propter ætatem, memores esse non possunt, ijs tanquam vtique in aquam fluentem incidente motu, & sigillo, ex Philosopho de memoria, & reminiscentia, capite secundo; qua nempe de causa diuinus etiam Plato, hac de re, in Charmidis libro, non longè ab initio, mentis pasionem, veluti continuum animi morbum esse, sapienti iudicio pronunciauit; Memoria igitur animi quiete, ac tranquillitate indiget, ad hoc, vt posit augeri, & ad miraculum vsque prædicari, cuius memoriæ demum qualitas consistit in calido & sicco ad proportionem naturaliter permisto, atque composito; siquidem nimius calor animales intensiuè spiritus concoquens, eosdem in fuliginem vertit, succósque generandis spiritibus aptos torrefacit, & hoc scilicet modo memoria euolat ac euanescit; Nimia pariter siccitas apprehendendæ memoriæ nocet, quandoquidem impedit ne formæ imprimãtur in ea, quamobrem sic etiam memoria deficit; Moderata veruntamen siccitas, atque durities, aptę sunt ad memoriam, quemadmodum temperata mollities ad eiusdem receptionem requiritur ex Galeno in Arte Medicinali & Platone in Theæteto.

Memores, qui nam esse non possint.

Animi pasiones, veluti cōtinui sunt animi morbi. Memoria indiget animi quietæ. Memorię qualitas verè naturalis in quo cōsistat.

Memoriæ nimia cerebri siccitas aduersatur.

Memoriæ siccitas moderata, nec non item durities, aptæ sunt ad memoriam cū temperatā mollitie.

De Memoriæ acquirendæ pręceptis,

NOTABILE QVARTVM.

A Veritate alienum profectò non est, nihil immediatè posse de potentia ad actum naturaliter reduci, nisi per aliquod medium successiuè pertransieat, sicuti memoriæ omninò contingit, quæ tandem vt suo munere fungi posit, quatuor indiget instrumentis vtpote vehiculis, vel potentijs naturaliter concurrentibus ad memorationis effectum.

Prima nimirum potentia, quæ idcirco actualis dicitur propterea quòd à spiritibus animalibus tanquam instrumētis principium habet, ac proindè ipsi met spiritus animales, à cogitatiua ad memoratiuam, formas, aut species, veluti per ductum na-

naturalem celerrimè transferunt.

Secunda potentia actualis, est simulacrum formarum in ipsa memoria fixarum.

Tertia verò actualis potentia, est reactio eiusdem memoratiuæ in cogitatiuam, mediantibus tamen ijsdem spiritibus animalibus tanquam principalibus agentibus, & maximè necessarijs.

Quarta demum actualis potentia est ipsamet eadem actio, per quam cogitatiua recognitionem propriam cognoscit, & per hanc scilicet memorari, seu memoria contingit, quæ sanè perfectus est eloquentiæ thesaurus: Verùm si forte fortuna vnum ex his quatuor ad memoriam requisitis aliquo in subiecto desideretur, quòd aliquando contingere quidem potest, vel ob naturalem complexionem imperfectè dispositam, vel ob alicuius præteriti morbi causam commemorationis defectum necessariò subsequi non est nouum. Memoriam quo modo fieri contingat.

Ad subueniendum igitur vrgentibus huiusmodi necessitatibus, non minimum erit adiumentum sequentibus vti præceptis paulò inferiùs aptè dicendis: Interim verò liceat mihi quæsò, vel saltem dicere priùs concedatur, quis nam primus fuerit memoriæ inuentor, quandoquidem licet in Primo etiam Notabili rara prorsus exempla de celeberrimis vtique viris, vt pote in memoriæ præstantia singularibus, & admirandis fuerint enarrata, id mihi perficiendum nihilominus adhuc superest.

Hac igitur de re, Simonidem Chium, vel Cæum artis memoriæ inuentorem fuisse ferunt Cicero quinquagesimo tertio in capite libri tertij de oratore, & Quintilianus secundo in capite libri octaui, Simonidem (inquam) celebri, & frequenti Triclinij conuiuio solitum interesse dicunt, qui primus bona sorte sua, cum egressus de triclinio fuisset, eo statim atque discesso, triclinium repente supra miseros conuiuas inopinanter corruit, quos ita confregit, vt cum eos humare vellent sui, non possent eosdem sic obtritos atque contusos vllo modo internoscere; Quamobrem Simonides paulò ante signatis conuiuarum animo sedibus, eo quòd meminisset quo eorum loco quisque cubuisset, vniuscuiusque profectò sepelliendi auctor ac demonstrator fuit: Hinc igitur patet ex Cicerone secundo ad Herennium libro, nimirum ex locis, veluti ex cera, aut tabella, & imaginibus instar litterarum, principale memo- Memoriæ acquirendæ principale præceptum ex Cicerone.

riæ

riæ præceptum ſemper eſſe petendum.

Memoriæ localis præcepta à diuerſis Auctoribus inuenta.

Attamen quia multa ad memorandum præcepta non deſunt, præter ea, quæ præcipuè de locali, vel artificioſa memoria pluribus nempe modis excogitata, nec non inueſtigata fuere a diuerſis auctoribus, vt pote à Cypriano Soario rhetore, à Guilielmo Gratarolo Medico, à Cicerone, ab Ariſtotele, à Simonide Chio, vel Cæo, poeta Lyrico, à Metrodoro Sceſpio, & alijs, qui modò imagines in mente conceptas, modo elemēti litteras, vel diuerſa item ſigna, ſeu loca, pro vt etiam animalia multiplicia numericè, ac ordinatè diſtincta, mirificè quidē, & ingenioſè ſunt perſcrutati, de his igitur agendum præciſè nunc eſt, videlicet.

Memoriæ localis exemplum ex Cypriano Soario rhetore.

Cyprianus Soarius tertio artis rhetoricæ libro, capite quinquageſimo quarto, vbi de memoriæ artificio agens, poſt multorum declarationem ad hanc rem ſpectantium, ea tandem ſignificare conatur certis imaginibus in modum exempli locatis, atque inuentis, eius autem verba ſunt hæc; Plùs enim quā firma debet eſſe memoria, quæ aliam memoriam adiuuet, cum ea, quæ fuerint ſcripta, vel cogitatione comprehenſa, ordine his locis ſunt commendanda, ſignis, quæ memoriam eorum excitent notata, ita fiet, vt res ordine teneantur; exempli gratia, ſi ſit de nauigatione, re militari, & agricultura dicendum, nauigationis, anchora, rei militaris, gladius vel ſpeculum, agriculturæ, ſpica, vel ſimile aliquid imago eſſe poteſt: Hæ imagines ſupradictis locis ordine ſunt committendæ, deinde cum repetenda fuerit memoria, incipies ab initio loca accerſere, & quid quique credideris repoſces: Imago enim cuiuſque admonebit, vt, quamlibet multa ſunt, quorum meminiſſe oporteat, ſint ſingula connexa quodam choro. Sic enim fit vt ordinem rerum, & locorum ordo conſeruet, res autem ipſas, rerum effigies notet; Vtendum eſt autem imaginibus aliquid agentibus acribus, inſignitis, quæ occurrere, celeriterque percurrere animum poſsint: Loca quæ aſſumpſeris, egregiè, commoditerque notare oportebit, vt perpetuò hærere poſsint. Nam imagines pro rerum varietate ſubinde ſunt mutandæ, at loca perpetuò remanere debent: hæc ille.

Memoriæ localis regula ex Guilielmo Gratarolo Medico.

Guilielmus Gratarolus Medicus Bergomas, circa initium libri ſecundi de locali, vel artificioſa memoria, ſub tacito Auctoris nomine (qui vt arbitror, eſt ipſe met idem) multiplicia finxit animalium genera, ordine alphabetico diſtinctè notata, ſe-

ſequentibus vtique verbis: Quidam non ignauus Auctor ex animalibus locos fingebat, & eorum ordinem ex alphabeto latino deduxit, vt à ſingula littera vnius animalis nomen inchoaretur, perinde ac ſi nomina hæc eſſent. Aſinus, Baſiliſcus, Canis, Draco, Elephas, Faunus, Gryphus, Hircus, Iuuenca, Leo, Mulus, Noctua, Ouis, Panthera, Qualea, Rinoceron, Simia, Taurus, Vrſus, Xiſtus philoſophus, Hyæna, Zacheus. Hæc ſingula in quinque locos diuidebat, in caput, in anteriores pedes, in ventrem, in poſteriores pedes, & caudam, nam hunc ordinem ipſa natura porrexit, neque confundi in eis enumerandis ingenium poteſt; ſic itaque centum & quindecim locos nactus, in eis rerum memorabilium imagines ſculpebat, ac etiã in loquentis facie multa ingenio ſcribi præcipiebat, in capillis, in fronte, in oculis, ſicque deorſum ad pedes deſcẽdit: ſic Gratarolus medicus.

Verùm Romanæ eloquentiæ parens Cicero, ſecundo ad Herennium libro, pulchram & amplam finxit domum, multis nempe locis diſcretam, ſibique complacuit, vt inter quintum quemlibet quoque locum, vel manus aurea, vel ſimilis aliqua induceretur forma ſeu figura, inter quas tale quodãmodo appareret diſcrimen, ita vt vna ab altera facilè ſecerneretur, ac in earum qualibet immobilis omnino retineretur ordo, itemque conſeruaretur, nec non à dextrà ſemper tam ingreſſus, quàm regreſſus etiam fieret. *Memoriæ localis forma, ex Cicerone.*

Magnus demum Philoſophus in peripatetica ſchola primatum tenens, hac de re quibuſdam vſus eſt notis, alphabeti videlicet litteris, quemadmodum tertio in capite de memoria, & reminiſcentia dilucidè patet, etenim ibi ſic loquitur. Si quis intellexerit in quibus A B C D E F G; Si enim non in E reminiſcitur, in H. memoratus eſt, hinc enim ad ambo motum eſſe contingit, & in D. & in F; ſi verò non horum aliquid quærit, in G veniens, reminiſcetur, ſi D aut C inquirit, quemadmodum in G veniens, reminiſcetur, ſi G aut F inquirit: ſi autem non, in A, & ſic ſemper. Eius autem quod eſt ab eodem aliquando quidem meminiſſe, aliquando autem non, cauſa eſt, quia contingit ad plura motum eſſe ab eodem principio, vt ab ipſo E in F, aut in D, hæc Philoſophus. *Memoriæ localis forma, ex Philoſopho.*

Attamen circa ea, quæ hactenùs de memoriæ localis artificio dicta ſunt, quid eſt profectò decernendum? etenim prædictas dari quidem regulas, aut imagines, à doctiſſimis viris tot *Memoriæ localis difficultas, atque iudic. ex Auctore.*

modis inuentas, nec non summo iudicio, & arte descriptas, nō est vtique mirum, siquidem ad memorandum aliqua ex parte prodesse, negari non potest; Huiusmodi tamen rarum artificiosæ memoriæ donum, vtpote laboriosum atque molestum ad impetrandum, pro vt etiam nimis arduum atque difficile ad reducendum ad actum, semper iudicaui atque cognoui, quemadmodum sensus & ratio mihi persuadere videntur; Quandoquidem qui memoriæ artem docuere, idcirco eam docere potuerunt, propterea quòd non solùm docti, sed optima simul memoria fuerunt naturaliter prædīti; Nam artificiosę memoriæ priuilegium, nisi valde solerti mentis applicatione, nec sine molestia, paucis à natura conceditur, rara siquidē sunt huiusmodi exempla memoriæ: Nihilominus interim quædam pauca & necessaria pro memoria præcepta, tanquam ad exequendum faciliora, breuiq; methodo comprehensa, pauló post indicare atque proponere non recusaui, quæ quidem diuersorum studiorum tyronibus, aut discipulis maximè profutura iudicaui, ne prædictis de causis tempus, in artificiosæ memoriæ studio, sine progressu conteratur.

Quòd autem nostra hæc opinio non sit sola & pertinax, nō solùm ratio satis euidens est, verùm etiam ex auctoritate Iasonis Zyricei medici optimè comprobatur, qui prædictas nēpe difficultates non ignorans, ac rectè perpendens in libro, quem de vniuersis cerebri morbis inscriptum reliquit, dum vigesimo octauo in capite de memoriæ detrimento plurima proponit remedia, prænarratis idcirco de causis, de memoriæ localis artificio ne verbum quidem fecit, cum tamen memorię laudes non prætermiserit his quidem verbis: Memoriæ probitas quàm sit conducibilis, & quantis votis expetenda, neminē fugit; hæc sola iucundam, & amabilem eorum vsuram nobis præstat, quæ de laboribus, & ærumnosis studijs consecuti sumus, promus est, & condus omnium operum, quæ in hac vita negociosi conficimus; hæc Iaso: Mercurialis præterea, qui narratis de causis ingratum pariter memoriæ localis consequēdæ saporem prægustauit, dum in Prælectionum libro capite decimo octauo de Memoriæ deperditæ causis lucidenter agit, hac de re sic loquitur; & quanquam antiquo tempore Simonides medicus, & Metrodorus Sceptius, Raymundus Lullius, & Arnoldus Villanouanus nostris temporibus artem fecerint memoriam recuperandi, & acquirendi, nihilominus meræ nugæ

Memoriæ laudes, ex Iasone.

sunt,

ſunt, quoniam qui hanc artē docebant, præſuppoſuerunt optimam memoriam, ita Mercurialis. Porrò dictis item de cauſis atque rationibus impulſus (vt opinor) Fernelius, noſtra tempeſtate doctiſſimus, eiuſdem ferè opinionis eſſe videtur; Etenim dum quinto in libro de Animæ facultatibus, capite octauo, & ſexto in libro de Functionibus & humoribus, capite vndecimo, & decimo quarto, quibus præcipuè in locis de Mentis functionibus, ac intelligentia memoriæ diſertiſſimè loquitur, dictis profectò in libris, pro vt in cæteris, localem, ſeu artificioſam memoriam alto ſilentio præteriuit; ſcilicet quia mentem ad altiora tendebat; Hæc igitur ſint obiter dicta, & quò ad rem noſtram.

Primo vtique loco præceptum præ cæteris dicendis magis vrgens, quò ad quemlibet memoriæ exercendæ cupidum, circa proprij ſubiecti qualitatem aut diſpoſitionē omnino verſatur, nimirum quia vnuſquiſq; ſui met ingenij vires neceſſariò metiri prius, ac prudenter animaduertere debet, an certam poſſit habere intelligētiam atque rationem eorum, quæ ſunt addiſcēda & mandanda memoriæ, ne temporis atque laboris fructus reddantur inanes; Ratio ſiquidem, intelligentiæ ſtimulus ac finis eſt, quæ ſcilicet ratio apud iuris peritos anima legis dicitur, & iuxta Philoſophum eſt ipſum ſcire, pro vt dixit primo Metaphyſicæ, capite ſecundo, quod itē ſcire facit rem per cauſam cognoſcere, propterquam res eſt, ita vt non aliter ſe habere contingat: Nec mirum pariter eſt, ſi Plato dixerit, quod bene intellectū eſt ſemel, prorſus nunquam poſſe obliuioni tradi.

Memoriæ præceptum in omnibus neceſſariò requiſitum

Memoria diſponitur a recta intelligentia rerum apprehendarum.

Memoriæ fundamentum, ex Platone.

Secundariò verò, præceptum ad rectè memorandum ſequitur, hoc ſiquidem in ordine dicendorum conſiſtit, ac vehemētem propterea in verborum connexione vim retinet; Etenim in ſciētijs addiſcendis, excogitandus, vel ſaltem animaduertēdus quidam eſt ordo, qui quadam in proportione, ſeu rerum connexione verſatur, ea enim, quæ ordinata ſerie dicuntur, vel inſtinctu naturæ, vel artis continuatione, optatum finem feliciter conſequuntur.

Memoriam ordo dicēdorum iuuat.

Tertium item præceptum tanquam vtiliſſimum, docet memoriam frequenti ac ſollicita meditatione indigere, per quam diù phantaſmata neceſſe eſt hominem ſpeculari, ac ſæpenumerò mente reuoluere, quæ ſunt mandata memoriæ, ad hoc, vt eidem hærere perpetuò poſſint, facilè enim recordamur eorum, quæ ſæpè cogitamus de Philoſophi mente, in libro de memo-

Memoriæ ſtudium qua in re conſiſtat.

ria & reminiſcentia, capite ſecundo: Qua de re motus animi celeres, & ad memoriam firmi, labore diuturno ſunt conſeruandi, imagines verò ſubinde ſunt pro rerum varietate mutandæ, loca tamen ſemper eadem remanere debent: Ars enim memoriæ nulla alia eſt, præter quàm exercitatio,& labor in aſſidua recordatione, ac eorum repetitione, quæ audita, vel viſa, excogitataue ſunt, ideòque vulgatum hac de re Ciceronis dictum in libro de oratore ſatis ſuperque probatur, nempe memoriam quotidie exercendo, ſicut & alia omnia augeri: Quamobrem hic ſanè verus, cæteriſque melior eſt modus, qui memoriam augeat, corroboret, atque confirmet, prout demum inertia, & negligentia, atque ſocordia eandem hebetant, atque corrumpunt.

Memoriæ loca ſ.s præceptum vile. — Memoriæ ars quo in re conſiſtat. — Memoriæ adiumenta, & detrimenta.

Quartum memoriæ præceptum circa ea verſatur, quæ ſunt mandanda memoriæ; Hæc enim vtilia non modò, vel neceſſaria futura ſunt, verùm etiam omni delectatione, ac iucunditate debent eſſe referta, videlicet quia voluptas non ſolùm eſt rerum dicendarum patens veluti ianua & via, ſed promptus etiã ingenij ſtimulus, efficax voluntatis effectus, perfectiſſimum denique memoriæ fundamentum & complementum euadit, quã ſanè voluptatem tranquilla mens atque ſerena, nec non perpetua vitæ ſobrietas concomitari ſemper debent, ad hoc, vt vſque ad miraculum poſſit augeri memoria, quæ animi quiete pariter indiget ex præcitato Ariſtotelis loco: Porrò crapula & ebrietas, quemadmodum ingenium hebetant, ita memoriã prorſus auertunt & obruunt, quandoquidem ventris plenitudinem, mentis leuitas facillimè ſequitur.

Memoriæ ſum mopere prodeſt voluptas in rebus agendis. — Memoria admirabilis quomodo fiat. — Memoriæ inimica quæ ſint.

Quintum memoriæ præceptum bifariam diuiditur, partim videlicet ſubiecti ætatem reſpicit, partim quoque inſignem nominum, vel ſententiarum copiam, rerumque ſimilitudinem requirit: Hæc enim ſingula & vniuerſa, duce memoria, vberem verborum ac rerum varietatem gignunt, hominemque diſertũ & eloquentem reddunt: Verùm quò ad ſubiecti ætatem primatus meritò pueritiæ, deinde verò adoleſcentiæ datur, amborum ſiquidem ætas, pro exercenda & aptè colenda memoria, bonarum litterarum ſtudio, cæteriſque ſcientijs faciliùs aſſueſcit, pro vt efficacior in ijſdem quoque redditur habitus, nulliſque ſollicitis mens agitatur curis, memoriæ ſemper aduerſis; Adultis verò prædicta, quò ad optatum conſequendum effectum magis ardua redduntur, ideòque magnus philoſophus

Memoriæ quænam ætas magis conferat.

Ari-

Aristoteles secundo in capite libri de memoria & reminiscentia, ad rem nostram ita scriptum reliquit; Quapropter & valde iuuenes, & senes immemores sunt, fiunt enim illi quidē propter augmentum, hi verò propter decrementum; similiter autem & multum veloces, & multū tardi, neutri videntur memores, illi enim humidiores sunt, quàm opportunum sit, hi verò duriores: & similiter primo in capite præcitati libri sic dixit; sed frequenter magis memoratiui quidem, qui tardi sunt, magis reminiscitiui autem, qui veloces, & dociles: hæc Aristoteles. Animaduertant igitur omnes, vt in quibuscunque gerēdis, aut dicendis, ita rerum diuersitates præmeditentur priùs, atque perpendant; easdemque sculptas in mente retineant, vt nulla tandem oriatur implicatio memoriam distrahens, vel penitùs destruens: Senibus autem ob ætatis frigiditatem, ac rerū præteritarum & præsentium multitudinem, spiritus animales non sunt admodum prompti, & ad recordandum perspicaces, pro vt in adolescentulis, non tamen valde paruulis ex præcitato Aristotelis loco, præter aliam quoque senectutis difficultatem, videlicet ob tot vrgentes & fere consuetas illius ætatis tū animi, tum corporis demum curas, quibus nempe de causis, si obliuiosa, & quadam veluti confusione persæpe senectus perturbata reddatur, quid inde mirum?

Memoria indigent valde iuuenes, & senes pro vt multum veloces, & multum tardi, ex Aristotele.

Senes cur naturaliter sint obliuiosi.

Sextum itaque præceptum de memoriæ aditu per verborum similitudinem, aut rerum connexionem accuratè decernere docet, quandoquidem ex his, & præcipuè ab affectibus vnà cū effectibus erit hinc inde petenda, & disponenda veluti memoriæ via, quæ optatum facilè sortietur effectum; Etenim affectus, qui vt plurimum quemlibet cogere atque torquere non desinunt, exempli gratia, vel sunt iræ, vel misericordiæ, siue gaudij, seu mæroris, vel admirationis, aut risus, & similium, quorum vnusquisque suos producit effectus: Nam quo ad iram, eius illico prouocatur effectus, videlicet quando iustis de causis vnà cum efferuescentia sanguinis circa cor, ac spe simul vlciscendæ vindictæ, violenter ac supra modum animus indignari cogitur; Effectum verò misericordiæ tunc sanè produci necesse est, quando quis demum quicquid audit, vel proprijs met oculis cernit, idque misericordia dignum cognoscens, dolore postmodum ac pietate simul & semel ductus, maximopere cōpatitur: Sed eo ipso gaudij resurgit effectus, statim vt eius animum, de eo, quod diù sperando concupiuit, voti compotem fieri

Iræ effectus & causa.

Misericordiæ effectus, & causa.

Gaudij effectus, & causa.

Mœroris effectus, & causa. fieri omnino contingat; Mœroris item effectus nil aliud est, nisi tristis ac firma mentis sensatio; vel ex accidenti, vt pote ex quolibet infelici & inopinato, ac præter spem euentu, vel ab humore melancholico naturaliter, aut ex morbo producta, in qua longo tempore ita persistunt homines, vt quasi continuus animi morbus dici posse videatur; Admirationis tamen effectus, veluti firma ignorantiæ imago, eatenùs inquam euenire videtur, quatenùs ex improuiso, ac præter opinionem, cuilibet admiranda ac tanquam noua respicere, vel audire repente contingat; Veruntamen si admiranti postmodum cum iucunditate gaudium immediatè superueniat, admirantem profectò subinde in risum prorumpere necesse est, neque id mirum, quoniam ex admiratione cum gaudio, fit risus, in liene quidem, sicut in propria domo sedem retinens iuxta physicorum doctrinam, inter quos doctissimus Mercurialis vigesimo secundo in capite libri tertij Prælectionum, præcisè scribit lienis magnitudinem risum intemperantem naturaliter efficere, prout etiam ex Plinij auctoritate trigesimo sexto in capite libri vndecimi Naturalis historiæ hoc idem affirmante testatur: Porrò præter hæc ad commemorandum quoque non parum confert priùs de ante actis diligens tum loci, tum temporis præmeditatio, vel item adæquata rerum, seu verborum similitudo, videlicet, qui recordari voluerit nominis Hortentij, tunc horti nomen firmiter animo apprehendere debet, ad localem nempe memoriam velociter confirmandam; Si verò ad memoriam sibi reducere cupiat herbam fumoterram nuncupatam, priùs in mente fumum diligenter concipiat, posteà verò terram ad faciliùs recordandum consideret, & sic de cœteris iuxta rerum diuersiatem, ad correspondentia similiter nomina citò confugere non obliuiscatur; Hæc enim certa, & valde singularis est regula pro circunstantijs ad memoriæ celeriter mandandum requisitis; His igitur, similibusque præceptis, tam loca, quàm imagines plurima varietate signatæ, pro vt etiam diuersæ rerum, nominumque similitudines, eo vtique studio sunt animo affigendæ, nempe vt circa omnia, quæ fuerint scripta, vel in mente firmata, velocissima cogitatio possit recto ordine vndequaque percurrere, plùs enim quàm firma, & prompta debet esse memoria, si per eam occultus scientiæ thesaurus perfecta verborum eloquentia efferri, atque euidenter etiam patefieri velit: Hac itaque via, & exercitatione memoriam velociter

Admirationis effectus, & causa.

Risus effectus & causa, & an lien risum efficiat.

Memoriæ conseruandæ facilis, breuisque regula, per nominum, rerumque similitudinem.

ali,

ali, atque firmari posse sperandum feliciter est.

Septimum & vltimum præceptum in discipulorum gratiam instituitur, quod lucrandæ profectò memoriæ modum instruit, atque ad id impetrandum facillimam inuestigat vtique viam; Quamobrem duo tantùm, discipulos nimirum, eorumque studium, ac debitum simul tempus distinctè complectitur.

Quo ad primum igitur discipuli attentè, & accuratè ad præceptorem sapientem audiendum debent esse parati ac dociles, neque coram præceptore a repentino pudore, vel timore sunt vllò modo deterrendi, quandoquidem animi vires ab intelligentia disgregantur atque turbantur; Verùm deinde si a præceptore interrogentur, non illico, & sine meditatione respondeant, ne imprudens, vel absurda subsequatur responsio; Quodcunque autem discendo lucrati fuerint, solerti, perfectoque ingenio quacunque in ætate iterum atque iterum meditentur ac repetant, Catonem imitantes, qui quicquid in dies legisset, aut memoriæ mandasset, vel quomodolibet cogitasset atque dixisset, in crepusculo commemorabat; Infelicem præterea diem existiment illum, qui sine vllo memoriæ progressu transierit, quem diligentiori saltem cura, valdeque sollicita libenter in posterum restituere studeant atque conentur, amissum enim tempus est irreparabile damnum; Discipuli præterea de se met ipsis non ita præsumant & audeant, vt se se iam doctos euasisse, nec ampliùs præceptore indigere arbitrentur, siquidem non pauci facti sapientes fuissent, ni se vocari discipulos ignominiæ ac verecundiæ retulissent; Quamobrem indocti, & priùs quàm deceret, a præceptore discedere maluerunt, quàm sub eadem disciplina, maiorique progressu, in sapientum numero, temporis diuturnitate collocari; Porrò dum item discipuli cum socijs disputaturi sunt, ab errandi timore nunquam sunt deterrendi, quandoquidem quæ coram alijs vultus erubescentia discuntur, tenacius etiam custodiuntur, ac meliùs retinentur, idcircò in futurum se met ipsos interrogationibus, declarationibus, responsis, nec non etiam alicui ancipiti Doctorum interpretationi paulatim assuescere incipiant, vel dubitare saltem discant (etenim qui de nullo dubitat, nihil scit) dummodò dubitationes prædictæ nimis leues, aut scrupulosæ non sint.

Memoriæ præceptum ad discipulos pertinens.

Catonis præceptum pro discipulis circa memoriam.

Quo ad secundum, quod præcipuè studium, & opportunum temporis fructum in discipulis respicit, ac necessariò requirit:

Ari-

Aristoteles hac de re secundo œconomicorum libro, capite sexto, dixit surgere de mane ad sanitatem, & philosophiæ studia maximum esse adiumentum: Itaque ex dictis Aristotelis verbis constitutæ ac certæ sunt horæ studio dicandæ, videlicet illæ, in quibus fuerit magnopere stomachus a cibo exinanitus, nempe quia tunc temporis non adsunt incalescentes, & obtenebrantes caput, mentemque vapores, qui a cibo in stomacho existente vt plurimùm eleuari solent: Quiuis igitur discendi cupidus, duas matutinas circiter horas, & ad libitum plus, minùsue, iuxta propriam necessitatem, vel totidem vespertinas ante cœnam sibi ad optatum vtique studium eligat, quo demum tempore prudenti iudicio proprium prius ingenium, atque memoriam ita metiri debet, ne quid supra vires suas capere tentet; Etenim quicquid discitur non retinere, nullius vtilitatis est, prout indefessa item opera litterarum studio se totum frequenter committere, insaniendi quoque periculum portendit: Si quantum denique opporteret, in mente firmari non potest, prout accidere sæpè solet, nimirum quando ob diuersorum librorum lectionem mens agitata distrahitur, vel ob studium nimis prolixum, atque sollicitum, animæ potentiæ præter iustum defatigantur modum, tunc sanè librorum, & studij minuenda quantitas est, nec non in eorum repetitione quæ addiscuntur multiplicandus est numerus, nempe vt retineri facilius possint; Quamobrem hac de re, pariter agens Cicero pro Archia, tertio de Oratore, sic ait; Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur; hæc eloquentissimus Cicero; Verùm profectò quid dulcius est ocio litterario, atque iucundius? eo nimirum sponte, ac iusto temporis interuallo moderatè perseuerato.

Horæ ad studium aptæ ex Aristotele.

Memoriæ studio quot horæ, & quo tempore conueniant ex Auctore.

Animaduertant prætereà discipuli, ne ijs, quæ scriptis commiserunt, ita confidant, ac si ea met ipsa memoria tenerent, quandoquidem si ea interdum scripta non rectè custodiant, vel per incuriam amittant, tunc vnà cum scriptis omnia sanè labuntur & euanescunt, prout Antisthenis Atheniensis confirmatur exemplo, qui amico cuidam conquerenti, ac deploranti, propterea quòd suos commentarios valdè curiosè factos perdidisset, tua intererat (inquit) ista potiùs animo, quàm chartis inscribere: Quamobrem non est mirum, si quicunque suis

Memoria non sit scribendo solùm in chartis.

scri-

scriptis omnino confidunt, ijdem pariter memoriæ exercitationem derelinquant, ac penitùs destruant.


Porrò discipulorum quoque per interualla relaxandus est animus honesto, ac temperato ludo, motu corporis vt plurimùm facto, prout etiam musica, quæ dulcis animæ veluti requies, & simul hilaritas est, nec non item delectabili, lætoque sonitu, iuxta sequentes versiculos, vtrunque complectentes. Discipulorum qui es & animi relaxatio, qualis.

Nam nihil humanas tanta dulcedine mentes
Afficit, ac melicæ nobile vocis opus.
Tange lyram digitis, animi dolor omnis abibit,
Dulcisonum reficit tristia corda melos.

Discipulorum item animus oblectari decenter poterit amœni viridari pulchritudine, aut breui equitatione, stomacho & coxis vtilissima iuxta Plinium libro vigesimo octauo, capite quarto, vel clara nobilique historia, siue iucunda fabularum & comœdiarum lectione, aut similibus mentis oblectationibus & exercitijs, ex Celso Medicorũ Cicerone ob eloquentiam, secundo in capite libri primi; Quapropter hisce omnibus vicissim, & moderatè adhibitis, tam corporis, quam animi vires mirum in modum, & meritò reuiuiscunt, & ad studium spiritus iterùm promptiores redeunt, alioquin iuxta sequentem versiculum, nempe. Equitatio stomacho & coxis vtilis, ex Plinio.

Quod caret alterna requie durabile non est.

Et iuxta Hippocratis mentem secundo Aphorismorum libro, vigesimo secundo tamen Aphorismo expressam, nimirum, Laborem quies, & quietem labor soluit: Quam aphoristicam vtique sententiam, de corporis, ac mentis quoque labore intelligendam censeo, quandoquidem sollicitis perturbata mens curis quodammodo laborare videtur, ijsdemque postea remotis, iucunditatem summam, & quietem præter modum recipit atque consequitur, prout quiuis deinceps non semel poterit experiri.



De Complexionibus ad Memoriam naturaliter aptis

NOTABILE QVINTVM

Memoriæ causa principalis, quæ nam?

MAgnum ſanè fundamentum quo ad memoriam requiſitum, ad peculiarem ſubiecti diſpoſitionem, veluti conditionem, ſine qua non, & vtpotè naturalem ac efficientem bonæ memoriæ cauſam eſſe referendum indubitatum eſt quæ vtique diſpoſitio potiſſimùm conſiſtit in tertij ventriculi cerebri recta temperatura æqualiter proportionata, poſterioris nempe capitis partis, occipitis nuncupatæ, vbi propriè memoria perfectiſſimis munita ſpiritibus, animali virtute mediante, in ipſo met cerebro locata, mirum in modum ſuo munere fungitur, cui ſiquidem ſpiritus a corde per arterias ad caput celerrimè ducti, promptè ſubueniunt, ac neceſſariò inſeruiunt, quæ demùm temperatura, mediocriter, vel æqualiter calida, & ſicca eſſe, atque perſiſtere debet: Non enim rectè anima ſe ſe habet in denſo, aut lutulento, vel molli nimis, aut duro, vt inquit Plato in Theæteto: Veruntamen huiuſmodi temperaturam memoriæ magis adæquatam, & proportionatam, vt plurimū poſſident homines a ſanguinis billioſi prædominio naturaliter dicti, vel bilioſi tantummodo, ſed naturalis tamen melancoliæ ſubdominium retinentes, ambo enim ſunt in ſuis actionibus celeres, in reſponſis acuti, prudentes, & prompti, nec non ſpiritu, iudicioque prædîti.

Complexiones ad memoriam magis aptæ, quæ?

His accdunt itē naturalis melancholiæ prædominiū habētes, de quibus agens Philoſophus primo in problemate ſectionis trigeſimæ, quid inde mirū, ſi, dum ingenioſos ibi apertè denunciauit melancholicos, multiſque in rebus cæteris præſtantiores eſſe dixit, de his inquam melancholicis paulò ante dictis, eius doctrina intelligenda prorſus videatur; (multiplex enim inter melancholicos differentia verſatur, pro vt inferius patebit) Hos iterum magnus Ariſtotelis præceptor Plato, ſub furoris nomine intelligendos voluit in Phædro, pagina quadringenteſima quinquageſima nona, vbi ac de re ſic loquitur. Furoris autem duas ſpecies ponimus, Alteram ab humanis morbis. Alteram ex alienatione diuina, qua extra conſuetam vitæ con-

Melanchnlici ingenioſi quales intelligendi.

Furoris nomē duo iciter intelligitur ex Platone.

constitutionem quis rapitur. Diuinæ autem partes quatuor, vt Dij præsunt quatuor. Et vaticicinij quidem inspirationem Apollini, misteria Dionysio, poeticam Musis, amatorium furorem Veneri, & Amori omniũ optimum tribuimus. & pagina quadringentesima quadragesima nona eiusdem Phœdri supra citati, hæc item ait. Sic enim simpliciter verum esset furorem esse malum, rectè a nobis dictum fuisset, Nunc autem maxima bonorum nobis fiunt per furorem diuino quodam munere concessum. Nam, & quæ in Delphis futura prædicit vates, & quæ in Dodona Sacerdotes, furentes quidem multa ac magna commoda priuatim & publicè Grẹcis hominibus attulerunt; sanæ verò dum sunt, exigua, aut nulla, sic Plato. cuius quidem de furore sententia secundo modo sumpta, est eadem cum naturalibus melancholicis, & Aristotelis opinioni maximè adæquatur; Hi nempe veluti diuina proferentes, mira interdum vaticinantur, verùm Libero patre eosdem lætificante, doctrinẹ quoque vbertatem, & copiam ostendunt, iuxta sequentem versiculum, nempe.

Furor bonus, an malus, quo modo ex Platone.

Fœcundi calices, quẽ non fecere disertum?

Non dissimilis item hac de re fuit sententia Zenonis stoicorum principis, dum dixit, quemadmodum lupini aqua dulcescunt, ita propemodum Bacchi liquore melancolichorum naturalium ingenia reuiuiscunt, ac internam veluti dulcedinem cum hilaritate denunciant; si verò fortuitò contingat vt huiusmodi melancholici cupidinis capiantur telis, illico effrenati amoris vim furori penè similem ferre coguntur; similiter etiam dum sponte Musis dediti, carminibus libenter ac violenter incumbunt, eorum dulcedine capti, stimulisque gloriæ ducti, poeticum in furorem leuiter incidunt; In omnibus igitur melancolici semper alijs præsunt, quoniam vtpote diligentiores ac perspicaciores, quicquid agunt, non modò patienter, & accuratè, sed etiam perfectè ad exitum perducere conantur atque festinant, quod item confirmat Aristoteles in fine primi problematis trigesimæ sectionis, dum dicit. Hinc efficitur porrò, vt melancholici omnes, non per morbum, sed per naturam sint ingenio singulari, hæc Aristoteles.

Zenonis sententia de melancholicis.

Poeticus furor, causa, naturalis melancholia.

Melancholici naturaliter sũt ingenio singulari, ex Aristotele.

Naturalis præterea melancholiæ magis minusue particeps quilibet est, propterea quòd est vnus ex quatuor humoribus correspondentibus quatuor elemẽtorum qualitatibus, ex quibus humanum corpus necessariò conficitur, qui nempe humores

Melancholiæ naturalis quiuis particeps est.

res

Animalia sanguine prædita velut sunt omnia bruta, quatuor humoribus constant, ex Galeno.

res, a Galeno libro secundo de elemẽtis, capite primo; nõ generationis tantùm hominis, verùm etiam cuiusuis animantis sanguine præditi principium veluti commune dicuntur, ac propriam elementorum vim retinent, videlicet quia tum substantiæ, tum qualitatis ratione, ipsorum elementorum naturam similiter æmulantur.

Melancholiæ præter naturã generatio

Attamen quia de melancholicis naturalibus dictum satis esse videtur, adhuc item superest vt de melancholicis pręter naturam præcipuæ quedam causæ, diuersique narrentur effectus, qui vel ab eadem melancholia naturali supra modum aslata, siue a bile naturali vehementer adusta fieri maximopere consuecuerunt, propterea quòd vtraque præter naturam sit valde mutata, ita vt hac de causa horum vita, mores, & facta peculiarem indicent naturam, obseruatione non minima dignam inter quos demum, licet quidam ingenio atque memoria pollere videantur ob mira quæ interdum vaticinantur, ac firmiter prædicant, nihilominus ijdem, deprauatas rerum imagines falsò prius in mente conceptas, vti veras subsequũtur, atque confirmant.

Melancholiæ præter naturã effectus diuersi.

Inter hos igitur quidam sunt cogitabundi, silentes, ac tristes; quidam inuidi, tenaces, ac timidi, assidua tamen suspicione turbati; aliqui item inuiti plurimas noctes vigiles pertransire coguntur; alij verò dormientes, insomnia terrorem inducentia, & oberrationes patiuntur, non nulli pariter in somnijs monstra formæ peregrinæ vagantia, vel propriam domum incendio flagrantem sese vidisse, magno deinde pauore expergefacti narrant; Non pauci etiam falsò ridentẽ præseferunt ferè semper vultum; Nec præterea desunt qui modò tristes, modò iracundi, ac furentes appareant; Multi quoque inanium rerum timore perterriti, sine manifesta causa contremiscunt, & expauescunt; Multi denique męsti, & queruli, vel stolidi semper remanent.

Melancholicorum præter naturam exempla diuersa ex Cælio Aurelia no.

Qua de re Cælius Aurelianus primo in libro Diuturnarum passionum, circa quinti capitis initium, non nulla item refert exempla, hisce verbis expressa, videlicet. Sic denique furens alius gallum gallinaceum, alius fictile, alius laterem, alius Deum, alius oratorem, alius tragœdum vel comœdum, alius stipulam ferens, mundi se centrum tenere credebat, alius se sustentandum manu poscebat, vagiens, vt infans, hæc Cælius Aurelianus.

Phi-

Philosophus item sapientissimus, circa primi problematis trigesimæ sectionis medium, de huiusmodi melancholicorum causa, & affectu, sic loquitur. Exempligratia, in quibus multa, & frigida bilis est atra, hi stolidi sunt, & ignaui, in quibus permulta & calida, ij perciti & ingeniosi, amasij. propensi ad omnem excandescentiam, & cupiditatem, non nulli etiam loquaciores, multi etiam propterea quòd ille calor sedi mentis in vicino est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico inferuescunt, ex quo Sybillæ, & Bacchæ, & omnes qui diuino inspiraculo instigari creduntur, cum scilicet id, non morbo, sed naturali intemperie accidit; Maracus Ciuis Syracusanus, poeta etiam præstantior erat, dum mente alienaretur, hæc Philosophus. Melancholicorum præter naturam causa & effectus, ex Philosopho.

Concludendum est igitur ex dictis huiusmodi melächolicorum non naturalium, vel potius desipientium, tot esse demum effectus, & simul etiam causas, vt minimè mirum sit, si, qui tandem ita afficiuntur, memoriæ, vel scientiæ, ne dum sanitatis pariter beneficio, arcanis quibuslibet medicinæ remedijs, licet congruenter & opportunè adhibitis, frui consequenter nullo modo possint.

Plegmatici demum raró memores atque sapientes fiunt, quandoquidem vt potè natura frigidi & humidi, ad apprehendendam memoriam naturaliter inepti redduntur, quæ nempe memoria potissimùm consistit in cerebri temperatura mediocriter calida & sicca, veluti declaratum abundè superiùs est ex Galeno in Arte parua, ex Platone in Theæteto, & Aristotele in libro de Memoria, & reminiscentia capite secundo, Ijdem præterea ad scientias hebetes ac tardi vt plurimùm sunt, videlicet quia frigidi est pati, calidi verò agere, ex eiusdem Aristotelis præcitato iam loco, rectè igitur pro vt dixit in Arte parua Galenus, facilitas intellectus subtilitatis substantiæ cerebri est cognitio, tarditas verò pinguioris, & iuxta dictum Aristotelem, subtilitas sanguinis ad intellectum, crassities autem ad corporis robur. Plegmatici raró memores, atque sapientes. Memoria in quo naturaliter consistat. Intellectus facilitas, vel tarditas, vnde?

Verùm profectò pro firma, & certa huius rei conclusione, procul dubio est concedendum non minimo esse adiumento naturalem, ac bonam cerebri compositionem, tanquam instrumentum aptum, ac rectè dispositum ad memoriam exercendam, licet negandum quoque non sit, interdum aliquid artificij memoriæ condonari, quemadmodum contingit ijs, qui Memoria fit etiam artificio,

memo-

memoriæ localis vtuntur regulis, quę quoniam difficultatem non minimam pariunt, & quibuslibet non adæquantur ingenijs, nec satisfaciunt præcipuè discipulis, videlicet, quia huiusmodi regulæ, ijs potius videntur esse confusio, quam progressus, & acquisitio memoriæ, idcirco talem discendi modum, vtpotè nimis memoriæ laboriosum atque molestum, non ab re omittendum iudicaui atque decreui, Porrò nec obliuioni prorsus est committendum, memoriam sanè felicem non omnibus veluti ex priuilegio a natura concedi, siquidem vulgatum iam est adagium, ex quouis nimirum ligno, Mercurij simulacrum non fieri; Si igitur qui naturali instinctu ad memoriam atque doctrinam inepti, quauis etiam adhibita diligentia vel arte, oleum tandem, & operam perdant, quid inde mirum?

Memoriæ localis difficultas.

Memoriæ atq; doctrinæ, naturale inte dum obstat impedimentum.

De Memoriæ detrimentis.

NOTABILE SEXTVM

AD maiorem autem intelligentiam, & pretiosæ memoriæ tutelam, nullo sunt transeunda silentio quædam satis perniciosa memoriæ cupidis, nempe vt prudenter ab ipsis animaduerti atque euitari possint: Nam licet plurima fuerint hac de re in Quarto, & Quinto Notabili diligenter inuestigata nec non aptè descripta, nihilominùs quædam adhuc notatu digna supersunt.

Qua de re inter eximia memoriæ detrimenta, primo vtique loco nō pauci sunt momēti, quæ fiunt a crapula indigestiones atque ebrietates, per quas ratio, mens, intellectus, iudicium, atque memoria obstupescunt, & obscurantur; Etenim vinum plus iusto potatum, & eo magis generosum, fumosoque halitu præditum, caput vehementer humectat, ideoque nil, æquè, ac superflua humiditas memoriam destruit, ac proinde obliuionem inducit; Discriminis autem effectus inter crapulam, & ebrietatem iuxta Philosophum in tertia Problèmatum sectione, numero decimo septimo, ita distinguitur, nimirum quòd ebrietas vnà cum mente adimit & sensum doloris, crapula verò constante mente, caput dolore afficit.

Obliuionis causa.

Ebrietatis, & crapulæ differentia ex Philosopho.

Porrò quò ad crapulam, quid mirum si diuinus Plato circirca septimæ epistolæ initium ad Dionem familiarissimum scri-

ſcribens, in hæc vtique verba proruperit, Vitam illam, quam beatam vocant Italicarum, Syracusanarumque menſarum plenam, nullo modo probaui, bis videlicet in die ſaturum fieri, & nocte nunquam iacere ſolum, & cætera, quæ vitam huiuſmodi ſubſequuntur, nemo enim omniũ, qui ſub cœlo ſunt, ſi in huiuſmodi moribus ab adoleſcentia nutriatur, quamuis natura, & ingenio excellenti præditus' nunquam tamen prudens euadet, eademque erit de cæteris virtutibus ratio, hæc Plato.

Potus item vini, vel aquæ, ſine vrgenti ſitis neceſſitate, nec non ob iucunditatem potius, & luxum, longè a cibo ſumptus, quo ſanè tempore perficitur in ſtomacho cibus, intempeſtiuus tunc demum potus digeſtionem impediens nimiſque perturbans, non minimo eſt detrimento memoriæ, præter quàm, quòd ſanitati etiam obeſt, iuxta Salernitanæ Scholæ verſiculum, trigeſimo octauo in capite dicentem.

Vt minus ægrotes, non inter fercula potes.

Cuius nempe verſiculi ſententiam, inter prandium, & coenam ſuperbibendum non eſſe, intelligendam cenſeo, iuxta poetarum licentiam, hoc in caſu figura ſynecdoche vtentium, ac fercula, pro prandio, vel cœna quodammodo ſignificantium.

Magnam pariter memoriæ iacturam frequens concubitus affert, per quem vtique vires, ac ſpiritus vnà cum ſanguine languescere non eſt nouum', nimirum quia ſemen, auctore Hippocrate in libro de Genitura, eſt quid magnum, & maiori ex parte a cerebro prouenit, idcirco non ſine cauſa Palladem, armorum atque ſapientiæ Deam, virginem eligere antiquitas voluit; qua item de re non eſt mirum ſi ſemen, partem cerebri nobiliſſimam appellarit Alcmeon, Pythagoras verò quandam ſpumam ſanguinis melioris eſſe dixerit, magnus autem Plato medullarum diſtillamentum vocauerit ſemen, Attamen Zeno citticus ſemẽ dixit ſperma hominis, quod cum humido emittit, partis animæ ſpolium, & generis proauorum permiſtionem poſſe optimè nuncupari.

Memoriæ iacturam frequẽs concubitus affert.

Seminis humani denominationes pulchræ iuxta diuerſos Philoſophos.

Nocent quoque memoriæ functionibus intempeſtiuæ vigiliæ, laborioſæ mentis curæ, animique terrores, dum ſupra modum exceſſerint, propterea quòd ipſorum cauſa ſpiritus animales a ſede atque officio memoriæ repentè auertantur, ac diſſipentur.

Memoriæ quæ item noceant.

Ca-

Cauendæ prætera sunt aeris vndiqe transeuntis constitutiones in summo dominantes, præcipuè verò aquilonares, & australes; Aquilonares enim ob frigidissimam tenuissimamque naturam, sensibiliter humanum in corpus penetrantem, cerebro sunt admodum inimicæ, vt ait Hippocrates quinto Aphorismorum, decimo octauo; Australes verò constitutiones, ob crassi humidique aeris excessum, caput grauant, auditum hebetant, corpusq; dissoluunt, eodem Hippocrate teste, tertio Aphorismorum libro, quinto verò Aphorismo, prout consequenter etiam nocturnus aer, eiusque tam matutina, quàm vespertina crepuscula, & memoriæ, & oculis, & sanitati aduersa iudicãtur.

Memoriæ impedimenta diuersa.

Præterea vita quædam ociosa, nec non superflua item quies atque ignauia, somnusque diurnus non propter vrgentem vtique lassitudinem, seu nimium æstum, in canicularibus præcipuè diebus concedi assuetus, at breuis, ex Hippocrate primo in lib. de Diæta numer. 38. sed in voluptatis nimirum gratiam, & libitum proprium, illicò cibum etiam subsequens; Hæc inquam viuendi ratio, superfluitates corporis retinet, natiuum calorem imbecillem, ac hebetem reddit, fluentes inquinat spiritus, caput vaporibus replet, læditque memoriam, quemadmodum etiam longa in balenis, & inclusis vnà cum igne domicilijs mora, in ijsque præsertim, vbi frequens turba versatur, pro vt etiam longum sub Phæbi radijs iter, similesque demum viuendi errores, absque memoriæ, ac sanitatis dispendio non fiunt.

Memoriæ, quæ cibaria sint a proprietate aduersa.

Præcauenda similiter sunt ea, quæ insitam nocendi memoriæ qualitatem, seu proprietatem retinent, quorum in numero sunt lac, fungi, auellanæ, tubera, dactili, oliuæ præsertim nigræ, & herbæ vt plurimum crudæ comestæ; Euitanda sunt etiam cibaria valde salita, vel acria, seu fumosa & acuta, veluti sunt allium, porrum, sinapi, acetum, brassica, cæpæ, ascaloniæ, raphani, armoraceæ, panis azymus, carnes quælibet permacræ, antiquę, & salitæ, sicut etiam reliqua huiusmodi qualitate prædita; Magno item iudicio sunt respicienda cibaria crassa, glutinosa, vel dura, multisque superfluitatibus redundantia, vtpotè sunt caro ceruina, caprina, arietina, & bubula de quibus Galenus tertio de alimentorum facultatibus, capite primo sic dixit; Bubula verò alimentum ipsa quoque non exiguum, nec discussu leue præstat, sed sanguinem crassiorem, quàm par est progignit, comitantur autem

item hanc capreolorum caro, & ceruorum, arietumque, & castratorum vetustorum, hæ enim temporis vetustate terrei alimenti naturam sibi concesserunt, vt ex feculento sanguine procreatæ, noceant virtuti animali, & spirituali, & cerebro, ita Galenus. Qua de re suillæ item carnes, vel domesticæ, vel syluestres, generaliter reprobantur, præcipuè tamen earum extremitates, cerebrum, intestina, renes, ac ventres, & quo ad has vtique partes, eadem erit de cæteris animantibus ratio; Dictis igitur de causis, reijciuntur etiam pecudum, pauonum, anatum & anserum carnes, nec non oua ad duritiem cocta, caseus antiquus, vt pote magis acer, & salitus, cochleæ, & ostracea omnia, & cætera his consimilia, veluti prorsus perniciosa memoriæ, quæ quidem sunt animaduertenda prudenter ab ijs, qui augendæ, vel tuendæ memoriæ saltem, desiderio magno tenentur, quin immo eadem sanè contempta, erunt non minimo quoque sanitati detrimento futura, Galeno teste tertio de Alimentorum facultatibus, capite secundo: Ex dictis igitur quemadmodum arbor mala bonos fructus producere minimè potest, ita propemodùm cibaria prædicta, vti mala, & cerebro nocua, memoriam penitùs obtusam, inertem, ac tardam reddere consueuerunt.

Quamobrem sine dubio hac de re præstanda est Auerroi fides, qui secundo colliget, vigesimo, non immeritò maximè spiritalem esse memoriam protulit, propterea quòd perfectissimis constet spiritibus, quos non aliter, neque aliunde, quàm ab optimis quidem cibis, vt pote ad memoriæ functiones magis aptis, promptè restaurari, rectèque sustineri, nullum sit in dubium reuocandum, sicut ab initio satis declaratum videtur; electos itaque cibos, & probitate meliores, nec non bona itidem subiecti concomitante natura, vnà cum studio, vitæque temperantia, & animi quiete, prædictisque regulis, memoriæ nedum acquirendæ, verum sanitati potissimùm conseruandæ profuturos, iure optimo est consequenter concludendum.

Memoria cura specialis ex Auerroe.

Memoriæ acquirendæ causa necessariæ.

De cibis ad memoriam necessariò requisitis.

NOTABILE SEPTIMVM

QVoniam ex prædictis memoriam perfectissimis vtique cibis ali, & conseruari, non est apparenter de Auerrois mente demonstratum, idque sanè vt memoriæ cupidi faciliùs consequi possint, idcirco breui, & peculiari sermone hoc spontè complectar, & a pane veluti singulari ciborum omnium fundamento, & ad humanæ sustentaculum vitæ valde necessario, libenter exordiar.

Panis optimi qualitates.

Panis igitur ex optima tritici farina confectus, & similaceus dictus, præ cæteris est eligendus; Hic enim bonum generat chymum, & naturalem in substantiam facilè vertitur, ibique firmatur, nec flatuosus est, referente Galeno, primo de Alimentorum facultatibus, capite secundo; quin immo prout verè sentio, clarum etiam generat spiritum, ad virtutis animalis operationes velociter aptum, Hic item panis nō sit salitus, nec admodùm fermentatus, nempe quia ob contractum acorem, cerebro ac stomacho molestus est, omnino tamen fermento non careat, sicut est panis azymus dictus, quandoquidem sanitati, & memoriæ prorsus inutilis est; Præterea sit debito modo coctus, etenim qui talis non est, a Galeno præcitato in loco vituperatur his verbis. Is deterrimus panis censendus, & ventriculo inimicus, qui in crustaceis admodùm aduritur, in intimis verò incoctus relinquitur; ita Galenus: Panis demum sit recens vnius, vel alterius ad summum diei, neque comedatur calidus pro vt ex furno extrahitur, videlicet quia non solùm velociter saturat, sitim excitat, in ventriculo turget ac innatat, sed exhalantem, & humidum quoque vaporem cerebro inimicum intrinsecùs infert, licet ex aduerso, extrinsecùs eiusdem calidi panis vapor, & odor, corroborandi, & recreandi spiritus animales, qualitate mirifica polleat. de pane tandem hæc satis.

Panis deterrimi qualitas quoad cocturam, ex Galeno.

Vinum autem ad memoriam aptum, diligenter quærere, aut inuenire, admodum facile non est; subacidum enim vinum, aut nigrum & acerbum, vel nouum, & crassum, nullum vtique

me-

memoriæ conferens est, nec item nimis dulce, ficut nec generosum vel potens, nimirum quia vtrunque, ob odorem valde fumosum, cerebri functionibus obest, quemadmodum ingeniosè prudenterque cognouit Galenus, vndecimo in capite libri primi de sanitate tuenda, dum dixit, cum omnis excessus sit fugiendus, maximè illum fugere expedit, ex quo non corpori modò, verùm etiam animo damnum accedit, hæc Galenus. Quomobrem hac de re, vinum aptissimum erit album, clarum, ponticum ac tenue, vel item subdulce ac imbecille, siue oligophoron, id est, quod aquæ naturæ proximè accedit; Nam ficuti dixit Galenus septimo Methodi, circa sexti capitis medium; Est autem vinum obligophoron græcè dictum, quod si diluatur, minimam sustinet aquæ mistionem, id est sanè imbecillissimum, & vt in vinis aquosissimum, hæc ille. Ex prædictis igitur vinis eligendum est illud, gustui, & stomacho magis gratum, & conuenienter dilutum, ex præcitato Galeni loco, vbi vinum imbecille, seu aquosum, cum vehementissimo, & validissimo comparans, de oligophoro, siue aquosissimo vino scriptum reliquit his verbis: At vinum, quod aquosum natura est, cæterùm austerum, id percommodum est, quod & ab aquæ imbecillitate recessit, & vini noxam non dum habet, hæc Galenus: Porrò vinum, tam cibi, quàm potus vicem gerit, siquidem vti cibus, alio quouis cibo citiùs reficit ac nutrit, etenim quicquid nutrit, cibum dixit esse Galenus tertio de Alimentorum facultatibus, capite quarto, similiter etiam tanquam potus, quouis alio potu, humido radicali insensibiliter labenti celerius gratificatur, & subuenit: hactenùs autem de vino.

Vinum memoriæ propriũ ac conferens, quale, ex Auctore.

Vin. oligophoron quale, ex Galeno.

Vinum cibi, ac potus vicem gerit, ex Galeno.

Carnes item diuersæ non desunt, quæ vel à proprietate, vel saltem vti valde necessariæ, non minimum prosunt; Veruntamen quia ex quouis cibo requisiti ad memoriam spiritus gigni profectò non possunt, idcirco eligendi sunt illi, hac potissimùm facultate donati, quorum in numero primatum tenent phasiani, deinde starnæ, perdices, ac turtures, quibus accedunt etiam ficedulæ, turdi, merulæ, capones, palumbesque domesticæ, vel agrestes, pro vt quoque gallinæ domesticæ, atq; syluestres, nec non frigellæ, pullique gallinatei, pingues tamen, ac iuuenes omnes; Inter quadrupedes verò carnes, tum domesticas, tum syluestres, postremo vtique in loco numerantur hædi, castrati, vituli præcipuè lactentes, postea verò tam-

Memoriæ quæ carnes prosint.

pestres, agnique annales, assi potiùs, quàm elixi, lepores demum atque capreoli, sed iuuenes, & pingues pariter omnes.

Memoriæ qui cibi conferãt.

Conueniunt præterea fercula, vel esculenta ex farre, siue oriza, in prædictarum carnium iure diligenter cocta, nec non sacchari, & cinnamomi parumper condita, pro farris, & orizæ corrigendo lentore, ac etiam quia ipsa met fercula gustui magis grata redduntur, & perfectiorem in sanguinem conuertuntur; Laudatur similiter insculum, prout panis coctus, aut contritus, modico tamen sale in iure carnium prædictarum debito modo ebullitus, cuius in fine vnum vel alterum oui vitellum addere non dedecet, alteruter enim cibus ex prædictis, memoriæ spiritibus præsto esse non desinit; Verùm enim verò animaduertendum semper est, ne, memoriæ exercitio seduló incumbentes, præfatis quidem cibis, continua vitæ sobrietate ac temperantia vesci, obliuiscantur ac desinant, ne tandem inanes reddantur memoriæ fructus; nunc verò de piscibus agendum superest.

Memoriæ necessarius vitæ modus conueniens.

Pisces frigidi sunt, & humidi.

Pisces frigidum & humidum viuentibus alimentum vniuersaliter præbent ex decisa Galeni sententia pluribus in locis libri tertij de Alimentorum facultatibus, nec non etiam sexto de vsu partium, capite nono, vbi, a propria natura pisces cæteris animantibus frigidiores esse, satis dilucidè probat, id autem tum ob aquam, in qua assiduè morantur ac viuunt, tum ob eorum temperamentum, quod præcipuè demonstratur, & patet ex ipsa met penuria sanguinis, quo vel penitus carent, vel tandem vix inficiuntur, ideòque memoriæ cupidis non conuenire videntur, nimirum quia inter perniciosas memoriæ causas, duæ potissimùm vtpote nimis vrgentes recensentur, frigiditas inquam & humiditas, vtraque tamen excedens (prætereo nempe cerebri tum calorem, tum siccitatem supra modum pariter dominantem (quæ demum frigiditas, vel sola est, vel cum humiditate coniuncta, siquidem ambæ simul, eò vehementiùs nocent; Etenim frigiditas motum necessarium ad memoriam reuocandam implicat, ac est humiditate deterior; Humiditas verò retentionem auertit; Nihilominus quia diuersi non desunt pisces, frigiditate ac humiditate, magis, minùsue præditi, iuxta propriam locorum diuersitatem, in quibus morantur ac degunt, idcirco cæteris præstantiores, ac salubriores sunt eligendi; Quapropter inter omnes vtique pisces, mariti-

Pisces cæteris animantibus sunt frigidiores ex Galeno.

Memoriæ causæ magis aduersæ.

Cerebri frigiditas est memoriæ humiditate deterior.

mi

mi locum principem tenent, deinde fluuiales, ac inter vtrosque, petrosi, vel squamosi, nec valde magni, quique saxosis item in locis, vel in torrentibus, aut alto in mari huc illuc ventorum impetu agitantur ac viguunt, quorum in numero inter maritimos vbique gentium celebrantur summopere sturio, lupus, vulgò spigola, Murena, Erythrinus, Gobius, Dentalis, Aurata, sarda, Lingulaca, Cuculus, Asellus, Zilia, Mullus vel Triglia, & huiusmodi. Pisces cæteris meliores, qui?

Inter fluuiales verò pisces, præ cæteris recipiuntur Carpio, Perca, Scarus, Lampetra, Trutta, similesque pisces, de quibus diligentissimus Galenus tertio de Alimentorum facultatibus, capite vigesimo octauo, præfato in casu, pro vt in puncto, scriptum reliquit his verbis. Porrò alimentum, quod ex eis sumitur, non modò ad coquendum est facile, verùm etiam hominum corporibus saluberrimum, vt quod mediæ constitutionis sanguinem procreet, medium autem voco sanguinem. qui neque admodum tenuis est, neque aquosus, neque vehementer crassus; Tales enim minùs nocui sunt, atque in torrentibus capiuntur, vbi saxorum copia abundat, hæc Galenus. Ex cuius item verbis, dum dixit (tales enim minus nocui sunt) notandum breuiter est, prænarratos quidem pisces aliqua correctione seu præparatione indigere, vt damnum vel etiam minimum auferatur ab ipsis, quod sanè fieri duplici modo potest: Primus vtique modus omnino a coctura dependet, assi enim super craticulam pisces, elixis præferuntur & frixis, quoniam igne mediante, superflua ipsorum humiditas consumitur, ac proinde salubrior redditur etiam cibus: Secundus verò modus eorundem condimentum penitùs respicit, quod pro diuersorum piscium natura, vel condimento item diuerso, tum in elixis, tum frixis, vel assis, diligenter requiritur, ac pluribus conficitur etiam modis, gustui non ingratis, videlicet sale, oleo, aceto, vino, sapa, vel melle, pro vt etiam petroselino, saluia, rorem arino, serpillo, sampsucho, & anetho, pariterque coriandris, croco, pipere, cinnamomo, caryophyllis, cęterisque necessarijs, atque salubribus condimentis, ad coquorum, vel comendentium arbitrium, & gustum, aptè accommodatis: Quandoquidem pisces, modis hisce diuersis præparati atque conditi, vel vt vulgò etiam dicitur (marinati) licet memoriæ studio deditis, carnium alimento atque virtuti respondere, nec satisfacere minùs possint, quadragesima- Piscium electorum alimentum saluberrimum ex Galeno. Piscium præparatio multiplex. Piscium præparatio salubris. Memoriæ studio deditis, verum pisces possint cõ.edi.

mali nihilominus tempore, cæterisque inter annum diebus christiana de lege carnibus vescendi prohibitis, poterunt quandoque concedi: nunc verò de piscibus hactenus, ac de ouis iam iam breuiter agendum.

Oua gallinarum quibuslibet aliis meliora ex Galeno.

Oua ex gallinis iuuenibus noui Timè nata, cæteris animantium ouis meliora censentur, dúmodo recenti Tima semper, quò ad tempus, & quò ad coctură, tremula vel sorbilia, ieiuno ventre deglutiantur, de Galeni sententia tertio de Alimentorū facultatibus, capite vigesimo secundo, cuius item doctrinæ maximè adhæret Princeps Auicenna, in libello de viribus cordis, tractatu secundo, capite de ouis, quo in loco sic dixit; Oua quamuis medicina non sint, ad confortationem cordis tamen recipiuntur, ipsum enim valde confortant, vitella videlicet, dummodo tamen accipiantur ex ouis volatilium laudabilis carnis, sicut gallinæ, ac perdicum, & Starnæ, & Phasiani, ista enim vitella temperatæ complexionis sunt, quibus tria conueniunt, scilicet velociter in sanguinem transmutari, & parum superfluitatis post transmutationem relinquere, & sanguinem genetare conformem sanguini, quo nutritur cor; sic Auicenna: ex cuius vtique verbis inferre consequenter licet, in vitellorum ouorum virtute, eundem sanguinem, quo nutritur cor, esse vitali spiritu præditum, & communicari itidem cerebro, eiusque functionibus, inter quas memoria locum non minimum tenet; Qua nempe de causa recentissima ouorum vitella, sacchari & cinnamomi tantillo condita, atque sorbita, nec non puri syncerique vini pauxillo subinde potato, peculiari sua proprietate, cordis, ac memoriæ spiritibus reficiendis, celerrimè poterunt auxiliari atque succurrere, nec non tanto melius vnà cum dictis vitellorum condimentis, aptissimis vtpote vehiculis, ad id quod requiritur, citissimè impetrandum: Quapropter subtilitas sanguinis ad intellectum; crassities autem ad corporis robur efficacior redditur, ex Philosophi sententia, secundo de Partibus animalium, capite secundo: Ex præfato igitur Galeni loco, est sine dubio decernendum, recentia nimirum oua, veteribus plurimum præstare, ac optima quidem esse recentissima, vetustissima verò pessima, sed ea, quæ in horum medio sunt, proportione recessus ab extremis, bonitate, aut prauitate inter se magis, minusuè differre: de ouis autem hæc satis, & ad fructus interim deueniatur.

Ouorum virtus ex Auicenna.

Oua quo modo, memoriæ prosint.

Sanguinis subtilitas ad intellectum, crassities autem ad corporis robur ex Philosopho

Ouorum inter se differentia quo ad temporis distantiam.

Fru-

Fructus omnes iuxta propriam cuiusque naturam, succei prauitatem, magis, minusue retinent, Galeno teste, secundo de Alimentorum facultatibus, capite octauo, quæ scilicet qualitas aut prauitas, ex molli & humida eorundem consistentia flatibus permista, persæpe cognoscitur, ac manifeste apparet, propterea magni roboris nutrimentum, & ad memoriam aptum, polliceri minime possunt; Veruntamen quia inter fructus, quidam vtique cæteris innocentiores non desunt, idcirco in gratiam memoriæ incumbentium, ex iisdem met fructibus non nulli poterunt aliquantisper concedi, quorum in numero autumnales habentur ficus bene maturæ atque recentes, pro vt etiam caricæ, vna cum amygdalis dulcibus, aut nucibus in cibo sumptæ; Quæ autem ficus æstiuum circa, vel paulò post solstitium reperiuntur, ab Hippocrate tamen secundo de Diæta, numero decimo quinto prorsus reijciuntur, obscuris quidem verbis, videlicet, Primæ ficus pessimę sunt, quia succulentissimæ, optimæ autem postremæ, sic Hippocrates. Ex cuius item verbis, nempe dum dixit, (optimæ autem postremæ) notandum postremas ficus, id est autumnales, non absolute, sed comparatiue tantùm, respectu primarum ficuum, quæ circa, vel paulò post solstitium æstiuum reperiuntur, esse intelligendas, quoniam vt paulò inferiùs dicetur, autumnales ficus minimum quid prauitatis Galenus etiam retinere fatetur, quo item in genere collocandæ sunt vuæ recentes atque maturæ, vel pensiles dictæ, ac etiam passulæ.

Fructuum omnium qualitas ex Galeno.

Ficus primæ pessimæ, postremæ autem optimæ ex Hippocrate, quales intelligendæ.

Verùm enimuerò pro huius rei confirmatione, intactus non est transeundus Galeni locus, qui secundo de Alimentorum facultatibus, capite nono, hac de re sic loquitur; Ficus, & vuæ, quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent, ita fugacibus omnibus magis nutriunt, minimumque praui succi habent, præsertim cum exactam maturitatem fuerint adeptæ, ita Galenus; a quo nec Auicenna dissentit, dum fen tertia primi, doctrina secunda, circa septimi capitis initium ita dixit, Fructus tamen nutrienti magis similes, sunt ficus, & vuæ maturæ dulces valde, dactili in regionibus, in quibus esse consueuerunt: hæc Auicenna; Ab his itidem parum differunt poma, & pyra, quæ licet ex arboribus fuerint ad perfectam maturitatem collecta, magis tamen cocta, quàm cruda, & in fine cibi tantillo sacchari condita, simulque comesa laudantur: Conueniunt præterea pinearum, & pistaciorum nu-

Ficus, & vuæ, cæteris fructibus meliores, ex Galeno, & Auicenna.

Poma, & pyra, quo modo, & quando comedenda.

nuclei, & eò magis ſaccharo incruſtati, pro vt etiam pruna recentia, & matura, vel ſicca; Sed præcocia, perſica, vel pepones, non admodùm copiosè, & ad libitum ſunt comedendi, quin immo parcus eorum futurus eſt vſus, & initio prandij, vel cœnæ tantummodo, ſuperbibendo vinum illico non valde potens, & aqua moderatè frigida dilutum, pro humani corporis temperando calore, æſtiuo perſæpè tempore ſupra modum vrgente ac dominante, alioquin contrarium exequentibus, poterit ſanè contingere iuxta verſiculum ſcholæ Salernitanæ perbenè monentem.

Autumni caueas fructus, ne ſint tibi luctus.

Sorborum ac meſpilorum uſus, quando, & quomodo.

Fructus quo modo memoriæ ſint profuturi.

Sorba demum & meſpila exactè matura ad tria, vel quatuor ad ſummum in fine cibi, pro ſtomachi corroboratione, ac reprimendis ad caput vaporibus, non rarò tendere conſuetis, poterunt aliquando concedi, præter quàm quòd ex ambobus his fructibus prædicto modo comeſis, vnuſquiſque per ſe, vel per accidens interdum poterit aluum lubricam reddere, & ſic diuerſis vtique modis memoriæ ſimul ac ſanitati conferre; Nam cæteri denique cibi, quibus viuentes vndique veſci conſueuerunt, nullo modo memoriæ ſtudio ſeriò incumbentibus conuenire videntur: Qua de re notandum eſt etiam vniuerſos cibos hoc in ſeptimo Notabili præcisè contentos, & ad animæ functiones vti valde neceſſarios & aptos, ab omnibus memoriæ cupidis nullo modo prætereundos, aut perbellè contemnendos; Etenim ne dum memoriæ, verùm verùm ſanitati quoque maximè profuturos pro indubitato eſt habendum, alioquin ſatis euidens tum memoriæ, tum ſanitati præiudicium fiet, ac tanto magis item, ſi qui valde alienis à prædictis veſcentur cibis.



De

De saluberrimis memoriæ remedijs, quouis ferè anni tempore innocenter assumendis.

NOTABILE VLTIMVM.

PRiùs quàm de hisce remedijs vlteriùs agere pergam, quidam sanè demendus est scrupulus, mentem aliquantulùm vrgens, videlicet, quæ nam differentia inter memoriam, & reminiscentiam se se offerat: Nam quò ad memoriam, & quomodò item fiat, in Primo, & Quarto etiam notabili satis dictum apparet; Porrò de acquirendæ simul memoriæ præceptis, eiusque detrimentis, ac requisitis demum cibis, & aptis ad memoriæ spiritus conseruandos, ac respectiuè reficiendos, non inutiliter est ante descriptum. Nunc verò de memoriæ, ac reminiscentiæ differentia breuiter disserendum superest, cuius nimirum difficultatis cognitionem magnus Philosophus Aristoteles in libro de memoria, & reminiscentia, capite quarto, non prorsus intactam reliquit, dum dixit, Differt autem ipsum memorari ab ipso reminisci non solùm secundum tempus, sed quod ipso quidem meminisse & aliorum animalium participat multa, ipso autem reminisci nullum, vt ita dicam, quæ cognoscuntur animalium, nisi homo, hæc Aristoteles, qui, per ea scilicet verba (ipso autem reminisci nullum quæ cognoscuntur animalium, nisi homo) sanè intelligendus est sine obiecti præsentia, siquidem cum obiecti præsentia, quibusdam in brutis etiam reminiscentia datur, præcipuè tamen in Equo, Leone, Cane, Simia, & Cercopithecis, vulgò (gatti maimoni) prout experientia notum est, & ex dicendis iam dilucidè apparebit. Etenim sicuti Quintus Curtius primo, & sexto in libro de rebus gestis Alexandri Magni mirificè narrat, Equus nomine Bucephalus, forma spectabilis, ac ferocissimus, a nullo præter quàm à Rege Alexandro poterat equitari, quin immo spõte sua genua submittens, excipiebat eum, credebaturque sentire quem veheret; ita Q. Curtius.

Memorari ac reminisci, in quo differant ex Aristotele.

Equus Bucephalus Alexandri Magni cuius naturæ.

Milo item Crotoniensis (antiqua veluti fama est) morte plectendus, ac proinde in claustro à Leonibus dilaniandus, ac de-

Milonis Crotoniensis historia de Leone.

deuorandus expositus, ab vno ex illis fuit inopinatè defensus, atque incolumis restitutus, quod nempe contigit ob reminiscentiam beneficij tantummodo recepti ab eodem Milone vix penè viso, atque recognito, scilicet ob spinam in syluis extractam ex prædicti Leonis pede, præ dolore rugientis.

Canis verò, & simia, vel Cercopithecus, animalia cuiuis notissima, intellectus, & iudicij perspicacitate mirum in modum sunt naturaliter prædita; siquidem canis ipso in intuitu sui met domini, per reminiscentiam & recognitionem propriam, illico quàm lætus, & obediens est? quæ non peragit? & quæ itidem signa non præbet? sicut etiam Simia, & Cercopithecus, quæ ambo propriè animalia velut humanæ semper æmula naturæ, quæcunque vident, vel sibi offeruntur, tam lepidè imitantur, & aptè allectantur, vt præter humanum sanè verbum, nil amplius in ijsdem exoptari, atque requiri posse videatur, ideoque ad hanc vtique rem, admiratione non minima dignam, antiquissimus poeta Ennius pulcherrimum posteris reliquit versiculum, nempe.

Simia quam similis turpissima bestia nobis.

Quamobrem ex prædictis naturalibus animalium effectibus, & expertis iam exemplis, patet etiam bruta, per obiecti repræsentationem tantummodo, prout hominem reminisci.

Qui demum scientiam existimarunt esse reminiscentiam, Pytagoreorũ siquidem Philosophorum vanã sequuti sunt opinionem, qui animarum transmigrationem de humano corpore in aliud iterum, atque iterum corpus, post mortem pro veritate crediderunt; Reminiscentiæ verò causam inesse potatis lethæi fluminis vndis, præteritorum obliuionem a proprietate inducentibus, firmiter, ac insipienter sibi persuaserunt; Quæ vtique opinio, non fabulosa tantùm, verùm etiam absurda, & inconueniens est, videlicet quia non solùm arguit impotentiam in Deo nouas creandi animas, sed coactam quoque necessitatem, præter rationem vtendi semper ijsdem met animabus, ex morientium deinceps corporibus, in alia pariter oritura corpora transmittendis, impudenter ostendit: Hæc autem sint obiter dicta:

Attamen quo ad memoriæ, & reminiscentiæ differentiam ab initio tactam, quid tandem concludendum? Dicendum quidem est, (præter optimam Aristotelis opinionem superiùs expressam) potissimam inter vtranq; differentiam, in eo proba-

bi.

biliter consistere, propterea quòd per memoriæ effectum, tenaciter retinemus ea, quæ semel, & rectè didicimus, nimirum quia memoria est hominis tantummodo propria, per reminiscentiæ verò causam, non ita sanè conseruamus eadem, quæ memoriæ mandauimus, nihilominus quia iterum per cogitatiuæ virtutem subinde recordamur, hinc igitur est, quòd sequitur reminiscentiæ effectus, vicissim ex obliuione productus.

Memoriæ, ac reminiscentiæ differentia, & ratio ex Aucto. re.

Quamobrem ad subueniendum huiusmodi necessitatibus, ex vtraque parte non parum vrgentibus, maximæ vtilitatis erit ea rectè perpendere, quæ pretiosæ memoriæ quoquomodo obesse consueuerunt, quamuis de his circa Tertij Notabilis finem, nec non in Sexto etiam Notabili satis dictum appareat, quibus item in locis est præcisè demonstratum cerebri frigiditatem vel humiditatem, vel vtranque permistam, præ caliditate, vel siccitate respectiuè tantùm memoriæ functionibus non minimùm aduersari: Prædictis itaque de causis rectus omnino modus, qui possit vtrique prospicere, non immeritò censetur ille, qui frigiditatis, & humiditatis pariter causas & signa declarat, iisdemque salubria simul adhibere remedia docet, veluti patefaciendum nunc est.

Cerebri frigiditas vel humiditas, vel vtraque simul, præ caliditate, vel siccitate, magis obest memoriæ.

Causæ igitur, & signa, quibus dicta cerebri constitutio dignosci facilè possit, ab humani corporis temperamento met ipso capiuntur, videlicet, frigiditatis cerebri causa, denotatur ex proprijs item signis, quæ dictam sequuntur causam, sicut vmbra corpus, verbi gratia, frigiditatis cerebri signa, sunt partes capitis parum calidæ ad tactum, facies alba in aspectu, ac diù item imberbis, oculorum languor & somnolentia, animi tandem facultas ociosa, stupida & iners, ex quibus demum signis frigidæ complexionis causam cognosci, & per consequens cerebrum frigiditate abundare difficilis iudicij non est, nempe quia frigidi est condensare, ac pati: Quamobrem prædicto temperamento præditi, laboriosæ, ac tardæ commemorationis existunt, propterea quòd dicta frigiditas necessarium recordationis effectum impedit, & quodammodo sistit, ac tanto magis, etiam cum humiditate coniuncta; Qua de re Philosophus, secundo in capite libri de memoria, & reminiscentia, sic scriptum reliquit. Alijs autem, propterea quòd frigida sunt sicut antiqua ædificiorum, & propter duritiem accipientis passionem, non ingignitur figura, quapropter, & valde

Cerebri frigiditatis signa.

Senes decrepiti & valde iuuenes cur immemores ex Philosopho.

iuuenes, & senes immemores sunt, fluunt enim illi quidem propter augmentum, hi verò propter decrementum; hæc Philosophus.

Cerebri humiditatis signa.

Humiditatis item cerebri causam ex proprijs quoque signis indicari minimè dubium est, videlicet quia satis apparet ex multa somni cupiditate, planisque capillis absque caluitie, nec non ex frequenti sputo, & narium excremento, prout ex lenta viscidaque pituita oculis in somno hærente, ac demum hebeti corporis motu, quibus vniuersis de causis non est mirum, si humidi cerebri complexiones, licet rerum formas primò suscipiant, easdem tamen diù retinere nequeant, siquidem propter valde fluidam, in qua recipiuntur materiam, facilè dilabuntur, ideoque rarò, & difficilè recordantur, ijsdemque sanè contingit tanquam vtique in aquam fluentem incidente motu atque sigillo, ex Philosophi libro de memoria, & reminiscentia, capite secundo non longè ab initio; Porrò si etiam contigerit vt cum humiditate frigiditas copuletur, præter irreparabile memoriæ damnum, pertimescendum est item, ne ijsdem abundantibus, ad Lethargum, vel apoplexiam, ne dum epilepsiam pro subiecti scilicet dispositione transitus quàm celeriter fiat.

Lethargi, & epilepsiæ causa.

Cerebri caliditatis signa.

Caliditatis verò cerebri signa sunt caliditas capitis ad tactum vnà cum rubore, nigrisque capillis, & crispis, vel subrufis, at oculi ad omnia sunt prompti & inconstantes, eorumque venæ magis perspicuæ, somnus leuis potiùs, quàm profundus, corporis item robur, & ad motum velocitas, ac memoriæ simul facilitas, dummodo dicta caliditas moderatam temperiem non excedat, etenim omnis caliditas ad memoriam apta non est; Verùm si tandem accidat, vt pura non solum caliditas, nuda cum siccitate iungatur, sed cum bilioso humore, vel eodem perassato permisceatur, tunc offensio memoriæ magis, magisque augetur, ac demum horrendos, & perniciosos minatur morbos, videlicet phrenitidem, atque maniam.

Phrenitidis, a maniæ origo.

Cerebri Siccitatis signa.

Siccitatis cerebri tandem notæ, se se palam offerunt ex ipsamet capitis caluitie, cum pauco leuique somno, cauisque oculis, nec non rarissimo palati & narium excremento: Hos igitur quatenùs ad memoriam, & suspiciendas rerum formulas, parum idoneos esse constat, quoniam siccitas impedit ne imprimi formulæ in memoria possint; Dum tamen eiusdem cere-

bri

bri ficcitas fuerit cum caliditate permiſta, eiuſdem memoriæ detrimento non obſtante, prædictos etiam morbos poterit quandoque producere; Moderata tamen ſiccitas atque durities, aptæ ſunt ad memoriam, pro vt etiam temperata mollities ad eiuſdem receptionem neceſſariò requiritur, quarum vtraque conditio, eſt veluti præuia diſpoſitio ad memoriam, tanquam ad ſimilitudinem formæ, in cera ſigillo imprimendæ, quæ facilè quidem recipit, ac ſimul etiam retinet.

Memoriæ aptitudo in quo cõſiſtat, & naturaliter dependeat.

Veruntamen quo ad memoriæ remedia quid dicendum? Reſpondetur animaduertendum priùs eſſe an cerebri intemperies quoquomodo memoriam lædens, ſit vnica tantùm & pura, vel cum aliquo humore permiſta; Etenim ſi eſt ſola, & pura, per moderatam victus rationem intemperiei oppoſitam eſt corrigenda, nec alia indiget curatione, exempli gratia, frigida cerebri conſtitutio, per calida eſt temperanda, humida verò, per alimenta ad ſiccitatem vergentia, & è contra, quæ tamen regula eſt cum adæquata proportione facienda: Porrò circa debitam victus rationem pro memoriæ functionibus aptè requiſitam ad Sextum & Septimum Notabile prorſus eſt confugiendum, ibi enim hac de re ſalubris vtique modus eſt præcisè narratus.

Cerebri qualibet intemperies quomodo curanda.

Attamen ſi cerebri intemperies adhuc fuerit cum humore coniuncta, reſpiciendum tunc erit pituitoſus ne? an biliofus, vel melaucholicus prædominetur humor, poſtmodum verò abundantis humoris exceſſus erit quouis modo purgandus. nec non per auertentia quoque remedia, ne iterum generetur, erit ſimiliter præcauendum.

Sed antequam ad conuenientem purgationem deueniatur, quia ſẽper viri ocio litterario dicati, plerunque naturæ inſtinctu, vel ſunt debilis complexionis, ac præcipuè ſtomachi, vel ſunt melancholici, nec non perſpicacis ingenij, ſanguiniſque ſubtilis, cuius præcipua qualitas intelligẽtiam excitat, & quoniam ſubtilitas ſanguinis ad intellectũ, craſſities autem ad corporis robur, pro vt aliàs dictum eſt ex magno Philoſopho Ariſtotele, de partibus animaliũ, capite ſecundo, non igitur mirũ, ſi prędicti viri ex propria natura forti cõplexione prædit eſſe non poſſint, cum virium robur in ſanguinis craſſitie conſiſtat; Qui verò ſunt melancholici, licet ex dicto Philoſopho, primo in problemate ſectionis trigeſimæ, ſint multis in rebus cæteris alijs præſtantiores, quod iterum confirmat in fine dicti proble-

Sapientes uiri ſunt debilis ferè complexionis, & quare?

Sanguinis ſubtilitas ad intellectum, quare ex Ariſto. e. c?

Melancholici ſunt omnibus alijs præſtantiores multis in rebus, ac etiã ingenio ſingulari, ex Philoſopho.

blematis, ita sanè loquentis: Hinc efficitur porrò, vt melancholici omnes, non per morbum, sed per naturam sint ingenio singulari; hæc Philosophus. Nihilominus melancholiæ natura talis est, vt si grauioribus curetur remedijs, persæpè indignetur, si verò leuioribus, contemnat, difficultates itaque hinc, inde non desunt, quibus nempe de causis ijdem, tam ob inualidam tenuemque naturam, quam ob humoris melancholici pertinaciam, medicamentis ægrè se se subijciunt; & quamuis ex eodem Philosopho septimo Ethicorum, capite vltimo, melancholici semper medicamentis indigeant, propterea quòd eorum corpora perpetuò mordentur: Notandum tamen ex dictis Philosophi verbis, nimirum circa medicamentorum vsum, quamuis melancholicus humor sit crassus atque terrestris, & ad hoc, vt ex humanis corporibus expelli ac extrahi possit, vehementibus indigeat omnino remedijs, id multis profectò de causis, potissimùm verò ob complexionum diuersitatem, non semper ad actum posse reduci, quandoquidem melancholicus idem humor, natiuò calori est adeo infestus, vt ipsum semper melancholicis quibuscunque plùs, minùsue languentem reddat: Porrò litterati viri, dum fuerint melancholici, sicuti non rarò contingit, ac stomachi quoque calorem aliquantulum debilem retinuerint, vel hypochondriacæ naturæ accesserint, & crudos proinde succos, ichoresque copiosós magis, minusnè congesserint, quibus porrò de causis dum assiduè torquentur, si medicamentis postmodùm vti persæpè cogantur; ex vltimo citato Philosophi loco, quid inde mirum? in hoc igitur casu, præfati studiosi viri; quorum in gratiam hæc scribuntur, semper sunt prudenter, ac blandè pro virium ratione purgandi; Veruntamen quando ex humore melancholico, quibusuis in hominibus pessimi generantur vniuersaliter morbi, tunc validissima procul dubio medicamenta requiruntur, quorum in numero præcipuè sunt helleborum nigrum, & antimonium, vtrunque tamen arte perfectè correctum, & pro recto complexionum iudicio, iuxta Medici arbitrium prudenter exhibitum.

Melancholiæ natura quo ad remedia qualis vtique sit.

Melancholicus humor natiuum calorem imbecillem reddit.

Melancholici qua causa assiduè torquentur.

Melancholici morbi quando sunt blandè purgandi, & è contra.

Nihilominus vt verum fatear, hoc in loco mea potiùs mens est per quandam veluti regulam, vnà cum mitioribus, tutisque remedijs, iam tum constitutis anni temporibus innocenter assumendis, eosdem studiosos memoriæ viros ita præcauere, vt hoc sanè modo magis incolumen, quàm fieri possit vi-

tam

tam in futurum ducant, nec non imbecillis præſertim ſtomachi vires, meliorem in ſtatum redigant, quandoquidem debili exiſtente ventriculo, corporis vniuerſi robur corruit, qui demum ventriculus, aut ſtomachus, rectè cibum concoquens, à Quinto Sereno totius corporis Rex, fuit non temerè iudicatus, carminibus nempè ſequentibus.

Stomachus Rex humani corporis fuit a Q. Sereno uocatus.

Qui ſtomachum regem totius corporis eſſe
Contendunt, vera niti ratione videntur.
Huius enim firmat tenor omnia membra.
At contra eiuſdem franguntur cuncta dolore:

Qua certe de cauſa Galenus etiam quinto in capite libri de bonitate & vitio ſuccorum, hac de re dixit nihil æquè ad ſucci bonitatem facere in cibis omnibus, quàm ſi probe in ventriculo concoquantur, vt qui ſecundam & tertiam concoctionem faciliùs admittant, ita Galenus. Ex cuius item verbis neceſſariò ſequitur ſtomachum optimam ciborum concoctionem perficientem, bonam ſanguinis diſtributionem vniuerſum in corpus tranſmittere, cuius item cauſa, vera itidem ſanitas cum hilaritate perſiſtit, quæ nempe firma eſt veluti conditio, ſine qua procreari ſpiritus ad memoriam vitamque longæuam apti neutiquam poſſunt; ſanitatis denique conſeruationem eſſe, comedere citra ſaturitatem, non refugere laborem, ſcriptum reliquit Hippocrates ſexto in libro de morbis popularibus, ſexione quarta.

Galeni ſententia de uentriculi cōcoctione, in quolibet cibo.

Sanitatis conſeruatio qualis ex Hippocrate.

Quatenus autem ad purgationem inchoandam, qua mediante præfati viri memoriæ detrimentis, ac ſtomachi debilitati, nec non melancholicis quoque moleſtijs commodè ſubuenire poſſint, mihi fortuitò ſe ſe obtulit in mentem notabile Platonis dictum, Charmidis initio de Medicorum doctrina, hiſce verbis expreſſum, nempe; Quemadmodum ſæpè ex peritis Medicis audiuiſti, qui, quoties aliquis dolore oculorum affectus eos conſulit, aiunt non poſſe oculis mederi, niſi priùs capiti medeantur, neque caput abſque totius corporis medicina poſſe curari, hæc Plato. Similiter etiam plurimis ante ipſum ſeculis, diuinus ſenex Hippocrates, in libro de ſtructura hominis, numero quarto, ſapientiſſimè dixit, quaſcunque paſſiones, quæ in capite fiunt, a ſtomacho primitiuam originem ducere; Hoc idem profectò nec ignorauit Galenus, dum tertio de locis affectis, capite quinto, ventriculum cerebro, & cerebrum ventriculo, ſibi inuicem affectus tranſmittere ſcripſit;

Platonis dictum de oculis curandis.

Capitis morbi, a ſtomacho oriuntur ex Hippocrate.

Quam-

Quamobrem pari modo, vniuersaliter loquendo, quando inquam humores, memoriæ functiones quouis modo lædentes, aut lædere consueti, fuerint subtrahendi, ab vniuersi corporis purgatione capiendum tunc erit initium, quo demum in casu à magno Hippocrate nequaquam est recedendum, sexto Aphorismorum quadragesimo septimo ita dicente, Quibus venæ sectio, aut purgatio prodest, his vere secanda vena est, aut purgatio imperanda; Quàm sanè doctrinam secutus est etiam Galenus in libello inscripto; Quos purgare conueniat, quibus medicamentis, & quo tempore, vbi præcipuè sic loquitur; At sanè quidem adhuc, sed nisi euacuati fuerint ægrotaturi, præueniendi sunt, & ineunte vere inaniendi, vel misso sanguine, si ex multitudine, vel data potione, si ex humorum corruptela morbis capi soleant, Nos etenim podagram, & articulorum dolores inter initia tamen, qui non adhuc circum articulos nodum fecerant, eiusmodi euacuatione complures annos inhibuimus, ita Galenus.

Podagræ inhibitio ex Galeno.

Verùm quia in prænarratis affectionibus litterarum studio specialiter incumbentium, non idem vtique remedium cuiuis naturæ prodesse, vel conuenire videtur, scilicet quia vt ait Princeps fen prima primi, doctrina tertia, circa primi capitis medium, Associare complexionem sibi similem propter indiuiduorum diuersitatem, impossibile est, vel rarò contingit: Cuius expertam Auicennæ sententiam empirici quidam, nec veri medici physici non respicientes prout deberent, quid inde mirum, si cuilibet ægrotanti remedium ferè semper idem, & ad propriũ libitum suppeditare non desinant, nec erubescant? contra rectam Celsi doctrinam primo in capite libri tertij prudenter expressam, nimirũ; Alterum illud ignorari non oportet, quod non omnibus ægris eadẽ auxilia conueniunt; sic Celsus. Qua nempe de re dum vniuersaliter considero morbos, eos met profectò vel curat natura, vel ars, aut fortuna; Natura quidem, vel ars, sæpissimè suum consequitur sanitatis videlicet finem, fortuna verò rarissimè, pro vt dictis empiricis fortuitò, nec sine ratione, ac certa simul experientia medentibus euenit, qui per hominum mortem interdum experientias agunt, nescientes Aristotelem Ethicorum decimo, dixisse medicos ex libris minimè fieri, nec non Hippocratem quoque multis ante ipsum seculis id meliùs cognouisse, quemadmodum patet in libro de locis in homine, numero quinquagesimo,

Complexio similis sibi, raro reperitur ex Auicenna.

Empiricorum error.

mo, vbi scripsit: Medicinam citò discere non est possibile, propterea quòd impossibile est statam, ac certam doctrinam in ipsa fieri, veluti verbigratia, Qui scribere didicit, iuxta vnum modum, quem omnes docent, nouit, & scientes omnes similiter nouerunt, propterea quòd idem, & similiter factum, & nunc, & non nunc, non potest fieri contrarium, sed semper exactè simile est, & non opus habet occasione: Medicina verò & nunc, & statim non idem facit, & ad eundem contraria facit, & hæc etiam contraria sibi ipsis; Primum aluum subducentia non semper hoc faciunt, & aluum subducentia vtrunque faciunt, fortassis autem neque sic se habent aluum subducentia, velut aluum sistentibus contraria; hæc Hippocrates, qui licet de medicamentorum difficultate & ambiguitate doctus, eorum dubium nihilominus exitum, nec semper certum euenire cognoscens, idcirco de se met ipso conqueritur, quemadmodum in epistola ad Democritum sui familiarissimum scriptum reliquit his verbis, Et ego sanè mihi videor maiorem reprehensionem, quàm honorem artis me assequutum esse, ego enim ad finem Medicinæ non perueni, etiam si iam senex sim, hæc Hippocrates.

Medicinam citò discere non est possibile ex Hippocrate, & ratio quare.

Hippocratis conquestio de se metipso quo ad Medicam artem.

Nihilominus hæc obiter: Et quo ad id, de quo agitur, optimè perpendendum priùs est, vtrum naturalis cuiusque complexio, sanguinea sit, an biliosa, vel phlegmatica, seu melancholica: Nam vbi sanguinea dominatur abundè natura, de communi Medicorum cõsensu venæ sectionem requirit, ex cubiti dextri communi vena detrahendam, vel si tantummodo grauetur caput, ex cephalica, pro virtutis, ac ætatis ratione, lenita priùs aluo communi clystere, ni die met ipso sponte fluxerit aluus: Et pro capitis corroboratione, vnica quoque vncia conseruæ rosarum, aut violarum erit à cœna capienda, deinde verò per salubrem victus rationem in Sexto, Septimoque notabili rectè descriptam, res bonum sortietur effectum, sicuti sperandum est, nec erit ad vlteriora remedia procedendum; scilicet quia plethorica iam dicta complexio cum sanguinis prædominio, sine humorum peccantium permistione supponitur.

Naturæ sanguineæ curatiuum regimen pro memoria.

Veruntamen si humoris biliosi valdè superemineat feruor, ea ipsa vrgente necessitate, ante medicinæ exhibitionem per triduum saltem vehemens erit cohibendus, ac temperandus feruor syrupis videlicet endiuiæ, lupulorum, acetosæ, oxysac-

Naturæ biliosæ curatiuum regimen pro memoria.

 cha-

chari, rosati simplicis, limonum, vel acetosi simplicis, vnà cum stillatitijs aquis, nimirum acetosæ, endiuiæ, plantaginis, cichorij, sonchi, vel portulacæ ad libitum permistis, vel ijsdem met herbis, in iuribus castrati, vitulæque lactentis, aut paruæ pullæ similiter ebullitis, postea verò cum cassiæ flore, manna, vel syrupo rosato nec non item aureo solutiuo, atque rhabarbaro, seu pilulis aggregatiuis cum tamarindorum pulpa respectiuè alterutris inuicem permistis, ad iustum patientis, ac Medici arbitrium, erit noxius humor ex aluo benigniter expellendus; At ni satis hæc fuerint, propterea quód eiusdem vtique bilis feruor vlteriorem præparationem postulet, atque requirat, tunc iteratis per aliquot dies vt supra syrupis, vel iuribus alteratis, erit compescendus, ac veluti demulcendus, nulla tamen sanguinis missione permissa, vtpotè puræ bilis feruori nimis prædominanti aduersa, sed vno potiùs, vel altero ex dictis medicamentis, humor peccans per secessum meliùs, quàm per vomitum, ac etiam faciliùs erit educendus, magisque precipuè cum sero caprino ad libram circiter depuraro, additis item vncijs quatuor syrupi rosati, vel aurei solutiui, nec non rhabarbaro ad drachmam vnam & semis, in aqua endiuiæ secundum artem infuso, ac diligenter expresso, quæ inquam singula simul mista, & actu potiùs calida, quam frigida, per horas quatuor ante prandium exhibita, progressum non minimum reddere consueuerũt: Attamen si remedia prædicta non adhuc efficacia fuerint, ad aquæ Noceræ, seu Ficuncellæ potum, tanquam ad sacram anchoram erit sine dubio confugiendum, eodem tamen seruato victus regimine, in Sexto, Septimoque Notabili perfectè descripto: Post absolutam verò purgationem, maximæ vtilitatis erit, comedere cochlearium vnum, siue alterum conseruæ acredinis citri, vel sacchari rosati, atque illico potare aquæ per instillationem extractæ, ex carduo benedicto, seu plantagine, vel acetosa, quatuor, aut quinque circiter vncias, alterutrius per tres horas ante prandium ad quinque saltem dies, & ad libitum plures, dum erit opus, pro vt canicularibus quoque temporibus, tepido aquæ dulcis balneo per horam ante cœnam bis, vel ter in hebdomada vti, atque in eo per mediam circiter horam commorari, maximè profuturum censendum est.

Natura phlegmatis & curatiuum regimẽ pro memoria.

Vbicunque tamen pituitosum redundare humorem apertè cognoscitur, vtpotè qualitate frigida & humida viscidaque

præ-

prædictum, inconueniens profectò non erit, eundem prius veluti crudum & crassum, incidere atque concoquere, nec non aliquantulum præparare ad recipiẽdam faciliùs purgationem, iuxta mentem Hippocratis, primo Aphorismorum, vigesimo secundo dicentis: concocta medicari, & cruda non mouere, neq;in principijs: Quod vtiq;fieri poterit mediãtibus melle rosato simplici, syrupis betonicæ, stœchados, aut oxymelle simplici,de quibus æqualiter permistis poterunt deinde sumi duo vel tria cochlearia, duas circiter horas ante prandium, saltem per triduum, quarta verò die, manna, & melle rosato solutiuo ad duas vtriusque vncias cum dimidia, in prædictarum carnium iure, secundum artem dissoluta, & percolata priùs manna, melleque rosato solutiuo permisto, postremòque additis vncia dimidia extractæ ex cinnamomo aquæ,spiritusque chalcanthi semi scrupulo, aluum placidè fluentem reddere, maximæ vtilitatis erit; si quis tamen pilulari medicamento magis oblectaretur, tutò etiam, & cum progressu poterit vti pilulis de hiera cum agarico, de tribus cum rhabarbaro, & alephanginis ad mediam vsque drachmam pro qualibet, de omnibus simul mistis, addito quoque melle rosato solutiuo quantum satis, reformentur secundum artem pilulæ septem, itemque deaurentur, & in aurora degluti antur, posteaque si superuenerit somnus, hora vna, vel altera concedatur, dummodo per horam ante prandium ius columbi syluestris, aut domestici parcè salitum, ad quinque circiter vncias absorbendum nullo modo negetur; Animaduertendo tamen, vt modica semper cœna præcedat, quotiesqunque postridie medicamentum purgans tam in forma potabili, quàm pilulari, vel alio quouis modo summo mane fuerit accipiendum.

Circa sanguinis missionem verò, quia in supposito casu pituitæ dominium valde recedit a sanguine, venæ sectionem prorsus derelinquendam iudicaui,& ad infra dicenda satis copiosa, & vtilia remedia intrinsecùs, & extrinsecùs applicanda, necessariò deueniendum decreui. At quando pituitosus huhumor aliquo in corpore non multum a sanguinis natura differret, tunc ad copiosam pituitæ humiditatem vnà cum sanguine aliquantulum exiccandam,simulque diminuendam,posset sine vlla controuersia mitti sanguis ex communi, vel cephalica dextri cubiti vena, pro ætatis, ac virium robore: Porrò prædicta quoque remedia, donec opus fuerit, poterunt in-

ter annum salubriter iterari (summa tantùm æstate, hyemeque exclusa) veruntamen à prædicta viuendi regula in Sexto, Septimoque Notabili prænarrata, non erit vllo modo discedendum.

Sed quoniam frigiditas & humiditas, licet sint facultates, vel qualitates pituitoso humori propriè inhærentes, nihilominus memoriæ functionibus præ cæteris humoribus aduersantur,& eò magis quando minima quauis de causa non nihil augentur, vel a naturali statu recedunt: Quapropter celebrata purgatione iam dicta, nec non iuxta necessitatem repetita, optimum erit deglutire specierum diamoschi dulcis, aut aromatici rosati scrupulum dimidium, vel vnum, in vncia media, vel vna, mellis rosati simplicis, aut Syrupi betonicæ, siue stoechadis, paulo ante cœnam, tota saltem hyeme, duobus, vel tribus interpositis persæpè diebus, vel dimidiam pariter vnciam, siue vnam conseruæ florum rosmarini, vel saluiæ,aut betonicæ, immediatè post cœnam, seu ieiuno item stomacho, per vnicam circiter horam ante prandium,ad multos quandoque dies, pout etiam ad eandem intentionem toto vere, vel autumno, leuem interdum post cœnam, Theriacæ bolum drachmæ vnius pondere, vel dimidio cum scrupulo diamoschi dulcis, semel aut bis in hebdomada deglutire, memoriæ maximè conferet; Quemadmodum etiam in prandio & cœna, si tota hyeme temperabitur vinum aqua ligni visci quercini, seu lentisci, pro superflua cerebri humiditate siccanda, non inutiliter fiet.

Memoriæ remedium conferens.

Animaduertendum præterea localia quoque remedia sequenti modo dicenda,non minimo esse memoriæ adiumento futura, videlicet.

Memoriæ vnguentum conferens

Recipe pinguedinum galli indi, vrsi, vnciam dimidiam vtriusque, succorum betonicæ, saluiæ, rosmarini, cuiuslibet drachmas duas, misce prædicta, postea que lento igne ad succorum consumptionem æreo in vasculo, seu terreo efferuesci to, addendo præterea ceræ citrinæ, oleique nucis moschatæ drachmas duas cum dimidia pro qualibet, quibus liquefactis, & ab igne remotis, iterum adde balsami artificialis,olei castorei, semiunciam vtriusque, seruetur deinde vnguentum in vase vitreo rectè custodito, de quo accipietur quantitas ciceris super digitum, quæ vix appropinquata igni, perfricabitur illico super tempora, frontem, & occiput, a cœna, paulo ante som-

ſomnum, inuoluta poſtremò calente ſupra frontem faſcia, hæc autem vnctio diebus alternis, vel biduo ſolùm in hebdomada permitti vtiliter poterit ab initio nimirum octobris, ad totum vſque martium.

Similiter inquam, ſi oleo terebinthinæ, ſeu caryophyllorum etiam oleo, vtroque tamen chymicè parato, vel terebinthi ſpiritu, vel quinta eſſentia roſmarini, ſiuè alterutro ex ijs tepido, paulò poſt cœnam frons, occiput, ac tempora, vno, vel altero digito mediocriter perfricetur, frictio maximæ vtilitatis erit, ſeruato pariter modo, ac tempore iam dicto. *Memoriæ olea valde conferentia.*

Attamen quia nimia cerebri frigiditas, atque ſupeflua humiditas valdè ſunt perniciosæ memoriæ, veluti ſignificatum eſt aliàs, & nil æquè ac ſuperflua humiditas obliuionem inducit, ſenibus præcipuè maximè familiarem ac propriam, cum irreparabili prorſus damno, nec non item pituita, ſeu phlegma, dum ſuo in ſtatu connaturali perſiſtit, licet ſupra modum frigida, & humida non ſit, quando tamen per immodicam frigiditatem, & humiditatem accidentaliter acquiſitam paulatim a naturali temperamento recedere cœpit, eandem ſcilicet priſtinum in ſtatum reducere, multi ſudoris eſt, ſicut accidit quando quis facilè obliuiſci, ſeu recordari difficulter incipit, propterea tantò magis eſt in eiuſdem curatione laborandum. *Obliuionis cauſa qualis.*

Qua de re præter ea, huc vſque dicta, ſi quis demum non obſtante capite bene tecto, diligenterque cuſtodito, nihilominus euidenti capitis frigiditate ac humiditate, præſertim verò hyeme ſe ſe affici perciperet, quarum vtranque memoriæ functionibus moleſtam adhuc apertè cognoſceret, eo quidem in caſu ad capùt moderatè calefaciendum, paulòque ampliùs exiccandum deueniendum eſſe indubitatum eſt, quod vtique tentandum erit mane videlicet manibus ſuis caput leniter perfricando, ac etiam quotidie pectendo ex Celſi auctoritate quarto in capite libri primi, ſiue aliqua deinde lotione caput calefaciente ſimul, & exiccante, memoriam ſtrenuè corroborante, itemque oleis poſt lotionem vtendis, vtpotè hoc in caſu præſtantiſſimis: ſed circa lotionem notandum priùs eſt duobus fore modis præparandam.

Primus itaque modus erit ſequens.

Recipe foliorum lauri, ſaluiæ, thymi, rutæ, betonicæ, roſmarini, ſtœcadis, amaraci, calami aromatici, ſiue acori pugillum *Memoriæ lotio conferens.*

lum vnum de quolibet, nucum cupressi siccarum, & leuiter contusarum numero quinque, caryophyllorum contusorum, agarici, drahemas duas pro quolibet, lixiuij non admodum fortis libras quinque, vel sex, ebulliantur postea simul omnia in sufficienti vase prope ignem ad semilibræ consumptionem, inde verò per stamen percoletur lixiuium sequenti modo vtendum, videlicet lixiuio ita præparato, mediocriterque calente, per horam ante modicam cœnam calido in cubiculo prius abluendum est caput, quo nimirum a sordibus vnà cum pectine si opus fuerit expurgato, rectèque abluto, lixiuium illico est proijciendum, & ad nouam lotionem deueniendum.

Secundus autem lotionis modus (lixiuio tantummodo excepto) a prima lotione nihil differt, quoniam ijsdem met herbis, cæterisque ingredientibus iterum innouatis, & eadem in quantitate, ac pondere, totidemque generoso in vino, lixiuij loco, simul vt supra ebullitis, erit postea per colum transmittendum huiusmodi vinum, in quo adhuc aliquantulum calente duæ nouæ & amplæ mergendæ sunt spongiæ, quibus fortiter expressis caput vniuersum erit contegendum, atque fouendum, præcipuè tamen circa tempora, frontem, & occiput, idque modicum per interuallum erit quater, vel quinquies iterandum, nec vllo modo prædicta super loca spongias refrigerari permittendum, quin immo purissimis calidisque linteolis erit postea caput accuratè siccandum, ac subinde philosophorum oleum, aut etiam petroleum, alterutrum tamen vix tepidum super tempora, frontem, & occiput duobus tantum digitis perfricandum, calefacta demum fascia, tenuissimique lini panniculis, caput met ipsum vnà cum temporibus circumuolutum, tota nocte coopertum erit custodiendum, dummodo præter modum non incalescat; Postridie verò a dicta lotione matutinum frigus erit omnino cauendum; ne vice optati antea remedij, maius vtique detrimentum, vel aliud subsequi posset incommodum, ad quod scilicet euitandum non minimum conferet, si quis hyemis tempore summè frigido, subsequenti saltem die post factam lotionem, ex propria domo nullo modo discesserit: Hæc denique secunda lotio vnà cum dictis oleis, occasione prædicta vehementer vrgente, nec non præcedentibus item conditionibus, quouis anni tempore, semel, aut bis in hebdomada repeti commodè poterit, Etenim prima lotione lixiuio facta pro sordibus capitis detergen-

gendis, non ſemper vtendi neceſſitas vrget.

Verùm ſi quis lotionem ſecundo modo præparatam tandiù innouare non libenter admitteret, ſemel tamen, aut bis in menſe perſeuerare non deſinat, vel alterutro ſaltem ex dictis oleis præfata vngere capitis loca non derelinquat, cum ambo hæc olea in memoriæ detrimentis eadem prorſus virtute polleant; Oleum enim petroleum eſt ita vocatum, propterea quod ex mineræ petroſæ montibus præcipuè ſcatere, ac ſuper aquæ fontes inſtillare dicatur, velut in Mutinenſi ciuitate maniſeſtè videtur, Matthiolo, & Caleſtano digniſſimis teſtibus, vbi de oleo petroleo dilucidè ac mirificè narrant, eligendum tamen eſt album, aut flauum, nigrum verò reijciendum: Oleum item philoſophorum, & ſapientiæ, perfectique etiam magiſterij non immeritò denunciatum, frigidis & humidis cerebri affectionibus, nec non obliuioni mirificè confert ex Meſuæ auctoritate in ſuo Antidotario.

Oleum pe oleum, in memoriæ detrimẽtis ex frigida & humida cauſa facti s. oportunum.

Obliuioni remedium ex Meſue.

Pro perfectiori demum cuſtodiendæ memoriæ diſquiſitione, non ſufficientibus tot expoſitis hucvſque medicinæ præſidijs, nihilominus quia ferè ſemper humiditas cerebri, atque frigiditas, quoquomodo ſimul non benè conueniunt, memoriæ functionibus non leuiter obſtant, idcirco medica, quæ ſequũtur auxilia, hoc in caſu maximè opportuna cenſentur, quorum in numero iam nunc dicendum vtique remedium, guſtui non eſt ingratum, ac mediocriter euacuando humiditatem memoriæ aduerſam, benigniter exiccat, ſimulque cerebrum roborat, illudque proinde ad memorandum magis idoneum reddit, veluti profectò eſt ſequens.

Recipe ſalappæ drachmas duas, mãnæ electæ vnciam vnam, ſacchari fini vncias tres, cinnamomi, nucis moſcatæ, angelicæ odoratæ, galganæ, diachridij, medium pro quolibet ſcrupulum, puluerizentur puluerizanda, & cum aquis ex cinnamomo & floribus aranciorum deſtillatis, de ambabus tamen quantum ſufficit ſecundum artem pharmacopœam conficiantur rotulæ duarum drachmarum pro qualibet, quarum duæ, vel tres erunt mandendæ ieiuno ventre, ac immediatè ſuperbibendum ius columbi ſylueſtris, aut domeſtici parcè ſalitum, deinde verò ad tres, vel quatuor horas, erit modicè prandendum: Hæ ſiquidem rotulæ ſingulo quoque menſe, ſemel tantùm poterunt frequentari, (æſtiuo tempore dempto) quandoquidem prædicta de cauſa erunt veluti præſeruatiuum memo-

Memoriæ conferens remedium.

riæ

Memoriæ remedium præseruatiuum.

riæ remedium, per accidens tantummodo eueniens, tantòque magis iisdem, qui naturaliter aluum stypticam retinent.

Memoriæ linimentum conferens.

Nec item prætermittendum linimentum sequens, memoriæ summopere conferens.

Recipe oleorum castorei, rosmarini, balanini, seu ben, cuiuslibet drachmam vnam & mediam, fellis perdicis, olei nucis moschatæ, vtriusque drachmas tres, vitreo deinde in vasculo simul ponantur, ac prope cineres calentes mediocriter liquefiant, ibique intincto paulò post digito, liniantur illico tempora, & nuca, bis vel ter in hebdomada, per vnicum, siue alterum mensem, statim vt a somno mane surrexerit homo quod item linimentum intra annum, erit per interualla repetendum præter æstatem.

Memoriæ conseruandæ confectio vtilis.

Item pro conseruanda, & augenda memoria, quæ sequitur confectio valde vtilis est.

Recipe zingiberis melle conditi, vnciam vnam, pulpæ citri sacchato conditi, vncias duas, calami aromatici, macis, galangæ, nucis moschatæ, cubebarum, angelicæ odoratæ, rosarum rubearum, caryophyllorum, cuiuslibet drachmam vnã, balsami albi, florum stœchadis, rosmarini, saluiæ, persæ, cuiuslibet drachmas duas, croci semiscrupulum, cum syrupis item de pomis & corticibus citri cum moscho, melleque anacardino, iuxta Romanum Antidotarium præparato, nec non singulis æqualiter mistis, pharmacopœa tandem arte fiat confectio, de qua erit comedenda semiuncia mane, duas vel tres circiter horas ante prandium, bis, vel ter in hebdomada, sed hyeme tantummodo, frigidiori tamen, ac humidiori existente causa memoriæ aduersa.

Quando autem vniuersa huc vsque descripta, rectèque suppeditata remedia, ad id quod quæritur impetrandum, alicui non admodum satisfecerint, propterea quòd aliqua in complexione particulari nimis frigida, & humida, superfluis quoque cerebrum redundet humoribus, valde necesse tunc erit eosdem iterum euacuare, & a cerebro paulatim deflectere, quod aptè masticatorijs ex cera, & mastiche, secundum aromatariorum artem æquali portione paruulis in rotulis compositis, atque ad horam circiter ieiunè factis, vel cauterij beneficio, externa in parte sinistri brachij rectè locati, poterit progressu non minimo fieri, siquidem cauterium in occipite factum, non valde probarem, cum locus ille preciosæ iudicetur

tur memoriæ ſedes. Etenim per partem affectam ita nobilem, vniuerſum caput euacuare, perniciosum potiùs, quam vtile iudicarem.

Verùm enimuerò hac de re vnum mihi tantùm ſupereſſe videtur, nimirum, vt pro nimia cerebri frigiditate atque humiditate, memoriam perſæpè vexante, Anacardina inquam confectio nullo modo intacta prætereatur, vtpotè quæ pro adipiſcenda memoria, omnino excogitata, inuenta, cæterisque remedijs præferenda videatur; Hæc item fuit dicta confectio ſapientum, intellectum acuens, ac memoriam præcipuè reparans, proptereaque Meſues de huiusmodi confectionis virtutibus, ita ſanè ſuo in Antidotario meminit.

Electarum Anacardinum ad ventris totius inferioris, & cerebri affectus frigidos, ſanguinem reddit puriorem, & inde ſpiritu animali reddito purgatiore, & tenuiore, ſenſus omnes, apprehenſionem, intellectum, & memoriam iuuat, coloremque viuidum corpori tribuit: Eiuſdem verò compoſitionis formam ſequenti modo deſcripſit: Recipe piperis nigri, & longi, mirabolanorum cepularum, emblicarum, indarum, caſtorei ana drachmas duas, coſti, anacardi, melanthij, ſacchari boni ana drachmas ſex, cyperi drachmas quatuor, tere anacardos per ſe, deinde alia excipe butyro vaccino, & melle ſimul coctis portione æquali; Datur poſt ſex menſes ad drachmas duas cum aqua fœniculi & appij, quo ſumpto vitabis laborem, iram, coitum, ebrietatem, hæc Meſues.

Anacardinæ confectionis virtutes pro memoria ex Meſue.

Meſuæ admonitio de Anacardina confectione ſumenda.

Notandum eſt igitur ex Meſuæ verbis videlicet (Datur poſt ſex menſes cum cæteris requiſitis paulò ante dictis) Anacardinæ confectionis vſum, ante ſex menſes nullo modo conuenire, propterea quod recta anacardorum præparatione non obſtante, in fermentationis iterum virtute, ſex menſium interuallo faciendæ, poſſit eorundem vitium ſeu detrimentum perfectè, ac tutò corrigi; Nec denique mirum, ſi Meſues tot ibi conditiones, & admonitiones omnino requirat, ſiquidem valde imminens vitæ periculum per varios fortunæ caſus, ex indebito eius vſu euenire poſſe prudentiſſimè cognouit: Etenim hac de re ſecunda in parte obſeruationum Hieronymi Caleſtani, pagina centeſima vigeſima ſexta de confectione anacardina loquentis, non eſt prætereunda ſilentio formidabilis hiſtoria ſequens, nempe, filius Baptiſtæ Maſſari Narnienſis, auidè cupiens memoriæ mandandi bonam comœdiæ partem, vtque ci-

Anacardinæ confectionis ſequutæ ex Meſue.

Anacardinæ confectionis non præparatæ, horrenda & lethalis hiſtoria.

tiùs impetrare id posset, ad incautum pharmacopolam nimisque præcipitem se se celerrimè transtulit, qui confectionem prædictam absque anacardorum præparatione, ac fermentatione imprudenter componens, dicto filio sua mala sorte inconsideratè obtulit, qua deuorata confectione, miser adolescens fuit postridie mentis alienatione correptus, breuiq; tempore infelix obijt.

Anacardi venenosa qualitate non carent ex Auicenna & Matthiolo.

Quamobrem valde solerti iudicio magnaque prouidentia huiusmodi confectioni est incumbendum, quandoquidem Princeps Auicenna secundo Canonis libro, tractatu secundo, capite quadragesimo primo, de anacardo sic ait, Est ex summa venenorum, & adurit humores, & interficit, calidus est & siccus in quarto; Matthiolus etiam sexto in Dioscoridem libro, capite quinto, Anacardos venenosa qualitate præditos esse confirmat, qua nempe de causa, diligenti, ac perfecta præparatione, nec non fermentatione definita iuxta Mesuem, & Calestanum, præcitatis in locis potissimùm indigent, Praetereaquè a peritissimo quoque aromatario dicta est conficienda confectio, quæ cum sit immodicè calida, frigidis & humidis cerebri vitijs conuenire tantummodò potest, licet Brassauolus in libro de omnium simplicium examine, pagina guadringentesima quinquagesima quarta, de anacardo sic referat; Existimant calidum & siccum ordine quarto, tamen non possum induci vt credam ad ordinem illum peruenire, quamuis calidissimus sit anacardus; hæc Brassauolus.

Anacardina Confectio est immodice calida.

Calestani obseruatio super confectionem Anacardinam Mesuæ.

Notandum præterea secunda in parte obseruationum prædicti Calestani, pagina centesima vigesima sexta, dum super Mesuæ Anacardinam confectionem, aut Electarium Anacardinum diligenter examinat atque perpendit, a se met ipso apertissimè confirmari, præ cæteris confectionibus, a diuersis Auctoribus hac de re descriptis, hanc Mesuæ præcipuè cuilibet anteponi, & ab omnibus celebrari, & vbique obseruari, sed vnicam ferè difficultatem in eiusdem confectionis compositione tantummodo reperiri, nimirum circa præparationem anacardorum, æquali portione butyri, ac mellis, à Mesue confectam, quam sanè butyri quantitatem, non solùm prudentissimorum Medicorum consultatione, diligentique disquisitione, sed euidenti ratione cognitum est esse superfluam, breuique tempore vnum quid etiam fœtoris contrahere, gustuique præterea iniucundam fieri, quod & veridica quidem experientia

tia

tia se se vidisse, prædictus testatur Calestanus, qui rerum magistram pro se, quo ad artem, fatetur experientiam, ideoque anacardos ad septimum vsque diem aceto præparatos, aliquanto meliores esse concludit, & butyri loco, mel totidem esse ponendum, eiusque confectionis vsum ante sex menses, pariter iuxta Mesuem non conuenire; Præterea quoque dicta Confectio ita preparata, non solùm gustui iucundior suauiorque redditur, sed bonum præter effectum, ipsis met anacardis butyro præparatis, diutiùs custoditur, ac præseruatur, quem sanè modum, & ordinem, Romanum etiam Antidotarium sequitur; Id autem (vt opinor) minimè fecit Mesues, quia Confectionis virtutem & effectum potiùs adamauit, quàm diuturnam eiusdem conseruationem respexit: Quæ ambo penitùs contemnenda non sunt, iuxta Hippocratem secundo Aphorismorum, trigesimo octauo dicentem, paulò deteriorem potum & cibum, sed suauiorem, meliori quidem, sed ingrato præferendum.

Anacardi aceto præparati iuxta Calestanum, & Antidotari in Romanum.

Porrò Arnoldus Villanouanus item hac de re, in Praxi Medicinali, vbi de bonitate memoriæ peculiariter agit, Confectionis Anacardinæ virtutem quibuscunque remedijs valde præesse fatetur: Propterea que duas ibi Confectiones memoriæ conferentes maximè celebrat, magnique facit, quarum vna cum anacardis componitur, & a Mesuæ confectione, tam in compositione, quàm in virtute, valde parum differt. Altera verò absque anacardis perficitur, ac tantæ existimationis fuit apud Arnoldum, vt ipse met pro acquirenda memoria eius vsum nullo modo dimiserit: Veruntamen eos, qui ipsa vti voluerint (si opus tamen fuerit) purgandos priùs esse decernit, ideoque pro studij, ac memoriæ cupidis; quorum in gratiam hic scriptus est liber, Alteram Arnoldi confectionem hùc sanè transferre non recusaui, cuius nempe forma est sequens.

Arnoldi Villanouani confectio pro acquirenda memoria.

Recipe maioranæ, melissæ, betonicæ, saluiæ, desiccatarum in vmbra ana drachmas tres, balsamitæ, squinanti, marathri, ana drachmam vnam, baccarum lauri, seminum peoniæ, anisi, anthos, ana drachmas tres, seminum ocimi, seminum sinapis, sileris montani ana drachmam vnam, cyperi drachmas tres, tormentillæ, cubebarum domesticarum, nucis moscatæ, florum cinnamomi, piperis longi, caryophyllorum, zedoariæ, cardamomi, zingiberis electi ana drachmas duas, coriandri præparati in aceto pallulato, vnciam dimidiam, liquiritiæ ra-

sæ,

ſæ, mirabolanorum chebulorum, citrinorum, indorum, belliricorum, ana drachmas duas, folij, maſticis, been albi, & rubei, coralij, ana drachmam vnam, moſchi fini, ſcrupulum vnum, ſacchari vncias duas, fiat puluis, & poterit fieri media pars, vel minùs, & ad libitum, & de hoc puluere ſumatur vncia vna, ſacchari libra vna, conſeruæ anthos, conſeruæ citri, ana vncia vna, carnium cydoniorum, carnium vuarum paſſarum, ana vnciæ duæ, fiat Electuarium ad lentum ignem cum aqua meliſſæ, & maioranæ, eſt optimum valde, & vtile ad confortandam memoriam, & cerebrum, & omnes virtutes corporis: hæc Arnoldus Villanouanus, qui dum tacuit, omiſitque doſim, ac tempus accipiendi confectionem prædictam, cauſa fortaſſe fuit, quia pro vſu met proprio tantummodo ipſam componere voluit; Attamen vtcunque id contigerit, idcirco memoriæ ſtudioſis omninò ſatisfacere profectò non deſinam; Modus itaque Arnoldi confectione vtendi, erit ſequens videlicet a drachmis duabus, ad ſemiunciam, quæ demum Confectio, bis, vel ter in hebdomada, mediocrem poſt cœnam poterit deglutiri, aut etiam comedi, quandoquidem guſtui valde ingrata non eſt, ſumpto nimirum principio ab ipſo met ſeptembris ingreſſu, ad præteritum vſque aprilem, purgato priùs corpore (ſi erit neceſſe) vti monuit Arnoldus.

Anacardorum præparatio melior, quæ iudicetur.

Attamen redeuntes iterum ad Anacardinam Meſuæ confectionem, & Caleſtani obſeruationem, circa ipſam ſuperiùs non ſine iudicio comprobatam, quid inquam decernendum? Hac de re ſiquidem, ſi quicquid verè ſentio, mihi exponere liceat; quamuis anacardorum præparatio butyro compoſita, iuxta Meſuem, & aceto confecta, quo ad Caleſtanum, Romanumque Antidotarium ſuis in locis paulò ante dictis, vtraque profectò ſit in compoſitione reſpectiuè diuerſa, nihilominus ambas in virtute pares eſſe negari non poteſt, prædictis demum rationibus, a Caleſtano deductis; eiuſdem præparatio, atque Confectio; mihi magis arridet, ſequenti denique modo ſumenda.

Anacardinæ cōfectionis doſis, tempus, & ordo, pro memoria.

Recipe anacardinam Meſuæ Confectionem, eo modo præparatam, pro vt ſecunda in parte obſeruationum Hieronymi Caleſtani, pagina centeſima vigeſima ſexa deſcribitur; De hac inquam, tam ſcrupuli, quàm ſemidrachmæ, aut ſcrupulorum duorum ad ſummum quantitas, leuem poſt cœnam, vel ſummo mane ad libitum poterit deglutiri, ſuperbibendaque ſtatim

tim erit vini, vel aquæ fœniculi vncia, semel, aut bis in hebdomada, sumpto a mense Octobris initio, ad perfectum vsque Martium, quantumuis in valde frigidis humidisque præcipuè naturis maior etiam dosis posset aliquando concedi, seruatis propterea conditionibus a Mesuæ descriptis, nimirum de labore, coitu, ira, ebrietate, similibusque incommodis euitandis, pro vt etiam de se se cauendo, a frigidæ tempestatis iniuria, ciborumque crassorum, vel phlegmaticorum consuetudine, ambobus vtpote valde memoriæ aduersis, quandoquidem recta vitæ custodia, hilarisque animi quies, pro felici memoriæ progressu, quibuslibet alijs medicinæ subsidijs quàm longissimè præsunt.

Memoriæ consequendæ regula.

Mel item ancardinum iuxta Romanum Antidotarium præparatum, Anacardinæ Confectionis virtutibus paulò minus æqualis esse videtur, ideoque necessarijs memoriæ functionibus quouis modo subuenire conatur, dummodo a mense octobris ad totum vsque martium, circa duas, vel tres denique drachmas, bis, vel ter in hebdomada, ieiuno ventre sumi nullo modo prætereatur.

Anacardini mellis virtus, dosis, ac tempus propriam ea.oria.

Animaduertendum denique pro vltima, valdeque necessaria consequendæ memoriæ contemplatione prorsus non contemnenda, nec non pro periculis euitandis, præcipuè in ijs valde memoriæ cupidis, ne vehementi quo tenentur desiderio ducti, in dictæ confectionis anacardinæ, aut mellis anacardini, vel cuiusuis alij remedij vsu, iusto audaciores fiant, sed tantummodo quantitatem dosis, ac dierum numerum iam ante descriptum, vnà cum dictis Mesuæ conditionibus adamussim exequantur, & quamuis ad duas vsque drachmas ascendat Mesues de Anacardina confectione differens, nihilominus duas vtique drachmas omnibus propinare non auderem, ob summam nempe huius confectionis caliditatem ex Auctoribus paulò ante citatis, quemadmodum etiam in Syluij, Costæ, Manardique annotationibus super Mesuem de prænarrata confectione loquentem, videri facilè potest, ac etiam dilucidè patet; Mel verò anacardinum duarum drachmarum pondere, vel paulò plùs, frigidioribus, & humidioribus quidem naturis postulante vsu, poterit summo manc concedi, modo tamen ac tempore superiùs dicto.

Anacardina confectione, seu melle anacardino, quo modo vtendū.

Præterea in ijs, qui naturaliter obliuiosi, vel omnino sunt immemores, aut ex graui aliquo morbo, vt pote paralysi, epilepsia,

lepsia, mania, pro vt etiam ex aliquo lethali super caput vulnere, vel percussione, lapsu, similibusque de causis cerebrum persæpè ledentibus, infelici suo tandem euentu, dum tamen superuixerint, memoriam amiserunt, fieri minimè potest vt pristinæ memoriæ iactura quouis arcano medicinæ remedio recuperari iam possit, quemadmodum contigisse narrat Galenus in libro de symptomatum differentijs, capite tertio, nec non tertio quoque in libro de symptomatum causis, capite vltimo, vbi horrenda in illa pestilentia, priùs a Thucydide, subinde verò a Lucretiò decantata, ægros nimirum illius pestilentiæ vi, rerum omnium amisisse memoriam scriptum reliquit: In alijs verò plùs minusue ingenio memoriaq; naturaliter præditis, ac eiusdem exercendæ, vel augendæ memoriæ cupidis, quælibet prænarrata medicinæ præsidia, & nempe adhibita conditionibus vt supra requisitis, iuxtà propriæ naturæ dispositionem, magis, minùsuè locum habere posse, nullum est in dubium retorquendum,

Quamobrem rectè animaduertant omnes, nec item existiment, ac iudicent ea necessariò addiscenda, se se posse faciliùs, ac citiùs memoriæ mandare, tam per dictam confectionem, quàm per mel quoque Anacardinum sæpè sæpiùs prædicto æquo modo, & ordine iteratum, propterea quòd Anacardina confectio, quouis etiam meliori modo præparata, cum sit valde calida, frequentior eiusdem vsus quàm par sit, aliquibus respectiuè naturis non admodum frigidis & humidis, posset nimis excalefacere tum cerebrum, tum etiam iecur, calidamque intemperiem aliquando introducere, prout calidioribus item complexionibus diariam febrem, interdumque putridam, temporisque processu tandem hecticam præter expectationem accendere, & hæc pro admonitione sufficiant, siquidem iuxta notissimos vndique versiculos.

An cardinæ cõfe ionis frequencior vsus, periculosus.

Est modus in rebus, certi sunt denique fines.
Quos vltrà, citràque, nequit consistere rectum.

Quorsum igitur Anacardina confectio debitis perfecta conditionibus, & iuxta dosi, temporeque opportuno exhibita, nec non frigidis humidisque applicata naturis, a prædictis doctissimis Medicis, tot assiduis quidem laboribus, vigilijs, studijsque sollicitis inuestigata, vel demum inuenta fuisset? ni optatum potuisset ac posset exitum de se feliciter polliceri.

Anacardina confectio pro memoria, quando conueniat ex Auctore.

Ad maiorem denique huius rei intelligentiam doctissimus no-

nostra ætate Hieronymus Mercurialis, qui difficultatem huiusmodi prægustauit, nostræ item opinioni assentiri videtur, dum in Prælectionum libro versus decimi octaui capitis finem, Anacardinæ Confectionis virtutem, & laudem hisce verbis expressit; Intrinsecus complura proponuntur a medicis, quæ tum manifesta, tum arcana qualitate conferunt memoriæ; Auicenna, & Arabes omnes; immo verò plerique Græci recentiores commendant Confectionem anacardinam, quam ignorarunt Galenus, & Dioscorides, apud quos Anacardus arbor ignota fuit; Notate hìc non in omni memoriæ labe huiusmodi confectionem esse exhibendam, sed in illis tantummodo, quorum caput maximè repletum est frigidis, & crassis humoribus, cum enim valenter exiccet, atque calefaciat, nisi in capite humores inueniat, in quos facultatem suam exercere possit, sanè cerebri substantiam destruit; hæc Mercurialis, qui conditionibus vt supra requisitis, & a Medicis prudenter adhibitis, Anacardinæ confectionis vtilitatem pariter pro memoria commendat, cuius nempe memoriæ vtilitas, atque necessitas pro rebus hac in vita gerendis tanta est, vt verbis met ipsis explicari non possit, quod optimè cognoscens Plinius, idcirco septimo in libro Naturalis historiæ capite vigesimo quarto ipsam his laudibus effert; Memoria est necessarium maximè vitæ bonum, & cui præcipua fuerit, haud facile dictu est, tam multis gloriam eius adeptis: Ex cuius Plinij sententia eximios inter viros nostra tempestate viuẽtes, qui hoc mirificè dono floruerunt, non minùs nouum, & insigne, quàm admirandum memoriæ, doctrinæque exemplar, duo potissimùm fuere libri excellẽtissimi Doctoris Iohannis Antonidæ Vander Linden, de scriptis Medicis inscripti, & Amstelredami nouissimè in lucẽ editi, in quibus de celeberrimis, & valde singularibus Mundi vniuersi Medicis, qui ab Hippocrate, & ante, vsque ad millesimum sexcentesimum, & quinquagesimum primum annum doctrinæ fama claruerunt, ita curiosè, ac dilucidè scripsit, vt Medicorum eorundem non solùm nomina, cognomina, & patriam, sed librorum quoque numerum, de quibus vnusquisque priuatim agit, ac tandem quo quisque in loco fuerit impressus, tam solerti iudicio, tantoque labore inuestigare conatus est, vt nil ampliùs ab humano ingenio felici memoriæ adiuncto prærequiri, nec etiam exoptari vnquam posset; Hic idem nominis item fama Romanis Medicis non ignotus, librum

Anacardina confectio pro memoria, quãdo conueniat ex Mercuriali.

Iohannis Antonidę Vander Linden, admirandum nostra tempestate memoriæ doctrinęque exemplar

brum quoque nostrum Notabilium Medicinæ titulo iamdudum impressum in prædictorum Medicorum catalogum inserere sponte dignatus est, sicuti suo primo in libro de scriptis Medicis, pagina quadringentesima decima quarta euidenter apparet: Propterea huiusmodi gratis in me officij benignitas æterno silentio committi, ac derelictæ memoriæ mandari nullo vtique modo poterit.

Hactenùs de memoriæ defectu, tam a sanguinea, seu biliosa, vel pituitosa intemperie producto, quàm etiam superfluo cum humore specialiter coniuncto, pro vt etiam de necessarijs et opportunis priuatim remedijs dictum iam satis apparet, idcirco de melancholico adhuc humore breuiter agēdum superest, quamuis in Quinto etiam Notabili, nec non longè ab initio huius Vltimi Notabilis, de melancholicis viris omnino datus non fuerit silentio locus.

Melancholia dupliciter consideratur.

Attamen pro necessario huius instituti sermonis complemento, notandum pariter est, melancholiam siue humorē melancholicū, duplici modo intelligi, atque considerari posse, nimirùm vti morbosam ac præter naturam affectionem, nec non extra sanitatis latitudinem, vel vti naturalem melancholici humoris complexionem, & intra sanitatis latitudinem quouis in homine residentem.

Si primo modo consideretur huiusmodi melancholiæ character, definitur esse delirium sine febre, genitum ab humore melancholico in cerebro existente, iuxta Paulum Aeginetam decimoquarto in capite libri tertij; Aretæus autem libro tertio, capite quinto, scripsit melancholiam esse quoddam veluti principium, ac ipsius met propriæ maniæ partem: Hæc eadem porrò melancholia est symptoma in genere actionum principum deprauatarum ex Galeni sententia secundo de symptomatum causis, capite septimo: Hæc item

Melancholiæ præter naturā effectus diuersi.

ab insita naturæ proprietate, pro cuiusque complexionis ratione, cum diuersis effectibus, ac pessimis quidem Symptomatibus copulari non desinit, vtpote solent esse mœror, timor, stupidas, luctuosa suspiria, horrenda insomnia, importunæ vigiliæ, mentis alienatio, imaginatio, vel ratio, alterutra saltem deprauata, pariterque destructa prorsus memoria, prout maniacus etiam furor cum oberrationibus, cæterisque consuetis infortunijs, infelices ac miseros huiusmodi melancholicos non nunquam præcipiti cum vitæ pernicie concomitantibus:

bus: Qua de re licet de omnibus hisce prędictis causam & rationem reddere facile non admodum sit, nihilominus ex dicendis difficultates vtique prędictas modus enodandi est omnino tentandus; Melancholia siquidem pręter naturam dum cerebrum inficit, continuò perturbat & obnubilat spiritus, eosque nigros & extraneos, ac veluti syluestres reddens, animę potentias confundit, mentisque corruptionis potissima causa est, ex qua postmodùm corruptiones diuersas, itemq; diuersis in partibus fieri necesse est; Nam profectò imaginatiua, quę versus anteriorem cerebri partem obtinet sedem, aliquando corrumpitur sine vllo rationis, & memorię detrimento, aliquando tamen lęditur solùm ratio, quę medium capitis locum tenet, imaginatiua pariter ac memoria illęsis, interdū verò redditur memoria lęsa, quę in posteriori capitis parte sita est, saluis tamen alijs duabus animę potentijs, quamuis demum in confirmata diù melancholia valde rarò contingat, quin cum imaginatione simul etiam lędatur discursus ex Galeni sententia quarto de locis affectis, capite secundo: Quamobrem iuxta diuersas animę potentias vario modo lęsas, an prędicta quoque possint oriri vario modo symptomata, quid mirum? Propterea mens vtique mea non est, quouis valido fortique medicamento huiusmodi desipientibus mentem restituendi, ac persanandi, quod licet ad impossibile in aliquo reduci aliquando non posset, id tamen difficillimè, ac valde rarò contingeret, pręterquāquòd etiam aliquem interdum sanatum, non minimo temporis interuallo, pristinum in morbum iterum incidisse, veridica non semel experientia est obseruatum.

Imaginatiò qua in parte capitis stat.

Imaginatiò simul & discursus, quando lædantur ex Galeno.

Hac demum occasione tacere non possum Paulum Zacchiā nostra tempestate Medicum Romę satis celebrem, valdeque insignem, qui de curandis melancholis omnibus nempe morbis, tam per essentiam, quàm per consensum, secundo in libro Quęstionum Medico legalium, specialiter ac disertissimè scripsit, pro vt etiam vltimo in libro, vulgari sermone inscripto (De Mali Hipochondriaci libri tre, della Terza Impressione) Quibus pręcipuè in libris, causas, & effectus, non minùs accuratè, quàm ingeniosè, non solùm inuestigauit, ac difficultates tetigit omnes, quę circa pertinaces, & horrendos huiusmodi morbos valde vrgere consueuerunt, sed eas tam perspicaci iudicio atque doctrina ita dilucidauit, enucleauit, sapienterque curare docuit, vt ab humano ingenio (meo quidem iudicio) hac de

Pauli Zacchiæ virtus, quæ?

H re

re nil amplius exoptari posse videatur; Quin immo diuersas antiquorum ambiguas interdum opiniones, & obscura pariter dogmata se se prudenter non rarò superasse, fortasse etiam dicere non immeritò auderem: Quicunq; tandem uniuersos melancholicos utique morbos legendi, uel discendi, uel item curandi est auidus, ad prędictos Zacchię libros omnino cõfugiat.

Melancholia naturalis virtus, & dignitas propria.

Si uerò secundo modo melancholia naturalis consideretur, nempe ut intra sanitatis latitudinem existens, hęc inquam prudentię potiùs, atque sapientię nomen sibi vindicare videtur: Etenim de hac agens Aristoteles trigesimæ sectionis problema, tum primo, multis ibi rationibus probat quãdam esse melancholiam, quæ propria, & peculiaris est sapientum, ait enim, Cur homines, qui ingenio claruerunt, vel in studijs philosophiæ, vel in Republica administranda, vel in carmine pangendo; vel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuisse videamus: subditque præterea in dicti problematis fine, ac tandem hac de re concludit his verbis. Hinc efficitur porrò, vt melancholici omnes, non per morbum, sed per naturam sint ingenio singulari; hæc magnus philosophus Aristoteles, Hos itaque omnes, & huiusmodi alios, rationibus vt supra narratis, anacardina confectione, aut melle anacardino minimè indigere censendum est: Ratio autem esse videtur, quia naturalis eorum complexio ex adæquata cerebri temperie prouenien s, dum frigida, & moderatè humida, vel sicca, sicuti ad animæ functiones necessariò requiritur, adhuc etiam persistit ac remanet, luminosi profectò, & clari tunc adsunt spiritus, qui ad rectam imaginationem, iustamque rationem, firmamque memoriam, tam in vigilia, quam in somno, apti perfectè redduntur, siquidem vt dixit Aristoteles libro secundo de partibus animalium, capite secundo, subtilitas sanguinis ad intellectum, crassities autem ad corporis robur; rectè igitur Auerroes inter animæ operationes atque potentias, maximè omnium spiritalem esse memoriam protulit secundo Colliget, vigesimo; Cuius item ratio satis euidens est, nempe quia non solum spiritibus perfectissimis mẽmoria constat, verùm etiam quia per ipsam animus, tum imaginationis, tum discursus operationes diligenter etiam custodit, atq; conseruat; Hæc autẽ profectò nisi a perfectissimis cibis vnà cum recto vitæ regimine fieri, aut cõtingere neutiquam posse indubitatũ est, pro vt in Sexto, Septimoque Notabili non est inutiliter demõstratũ.

Intellectus subtilitas vnde?

Ho-

Homines igitur melancholici, secundo modo considerati, non alia de causa possunt sapientum in numero collocari, nisi quia ab Aristotele in prædictæ sectionis trigesimæ problematum primo, non per morbum, sed per naturam ingenio singulari esse dicuntur; ex cuius Aristotelis item verbis iudicandum quidem est, huiusmodi singularis ingenij, atque sapientiæ vim, non aliter, quàm ipsi met insitæ melancholicæ naturæ proprietati esse tantummodò tribuendam; Qua porrò de causa non est vtique nouum, ac mirum, si tam quibuslibet in scientijs, quàm in liberalibus etiam artibus præter modum alijs omnibus præsint: Quam Aristotelis demum sententiam, in hijs præcipuè melancholicis, cum aliquo sanguinis prædominio existentibus, locum naturaliter habere censendum est: Quamobrem hi inquam quò ad corpus, & animæ potentias, nullis medicinæ præsidijs indigere videntur, propterea quòd fuerint corporis, & animæ bonis ex priuilegio naturæ donati atque dotati; Veruntamen si rectè perpendatur Galeni locus, non longè ab initio primi libri de sanitate tuenda: hisce verbis expressus, nimirum, si nostrum corpus impatibile, omnisque affectionis expers esset sicut adamas, aut quiduis id genus, minimè artem nullam requireret, quæ ei tuendo præsideret, ita Galenus. ex cuius nempe doctrina satis patere videtur, difficile admodum esse, humanum corpus, licet perfectè sanum eodem in statu posse diù permanere, quin ætatis cursu, vel assiduo substantiæ fluore, seu mostruoso viuendi regimine, intrinsecis, aut extrinsecis quandoque causis afficiatur.

Melancholicis in viris ingenij subtilitas, prudentia atque sapientia cæteris alijs maior vnde.

Humanum corpus an impatibile sit.

Sanitas perfecta quare d à non permanens est.

Statim vt igitur quiuis ex huiusmodi melancholicis postremò dictis, aliqua molesta corporis, vel mentis perturbatione quauis de causa vexari cœperit, quam vtiq; sanitati, siue nobilissimis animæ potentijs, imaginationi videlicet, discursui, atq; memoriæ aduersari, & paulisper incipere obesse perciperet; Respiciendũ, & obseruandũ tunc erit, paucus, ne'an multus fuerit a sanitate, animæq; potentijs recessus, si enim paucus, vnica tãtummodo victus ratione tempestiuè ac moderatè adhibita & aliquantulum perseuerata, remotis item incipientibus animi curis, libenter vtisufficiet, sicuti docet Galenus de attenuante victus ratione, capite primo, siquidẽ præstat (inquit) sola victus ratione, sine medicamentis persanare: & vt ait similiter Celsus quarto in capite libri tertij, Optimũ verò medicamentũ est cibus opportunè datus; Verum si multũ fuerit a sanitate recessus,

animaduertendum eſt item, an melancholici ſanguinis euidẽs appareat copia, ſiue inſita potiùs humoris eiuſdem perturbet qualitas, animæ potentijs peculiariter obſtans, vel vtraque demum cauſa moleſtet; ſi vtraque tandem cauſa moleſtat, vidẽdum pariter eſt, quæ nam vehementiùs vrgeat, quandoquidem ab ea eſt dirigenda curatio; Attamen ſi concedatur, verbi gratia, magis vrgere imminentem, vel obnoxiam qualitatem, ab humoris melancholici alteratione, mala cum diſpoſitione pẽdentem, ſicuti non raro contingit, tunc ſiquidem à purgatione primordium eſſe capiendum, non eſt in dubium retorquẽdum; Verùm ni purgationis occaſio eſſet ita coacta, vt ad vernum vſque, vel autumnale tempus poſſet prorogari, ſanè opportunum vtrunque iudicarem.

Melancholicus humor quauis vrgente occaſione quo modo purgandus in viris ſtudio deditis debiliſque complexionis, exterisq; liberalibus artibus incumbentibus.

Erit igitur melancholicus humor, quauis vrgente occaſione, ſequenti modo purgandus; Recipe corticum citri, tamarindorum, & coriandorum præparatorum, vniuſcuiuſque pugillum vnum, decoctionis cordialis factæ ſecundũ artem in aquis borraginis, bugloſſi, & florum aranciorum, cuiuſuis quantum ſatis, poſtea recipe huius decoctionis vncias duas vel tres, cui adde ſyrupi Sabor Regis Medorum, ſyrupi de polypodio, vtriuſque vncias duas & mediam, vel vncias tres, miſce, fiatque potus mane capiendus quatuor per horas, vel quinque, modicum ante prandium; Lenita igitur mediocriter aluo, melancholicus præparetur humor ſequentibus hiſce ſyrupis; Recipe ſyrupi de lupulis, de borragine, de pomis, oximellis ſimplicis, cuiuslibet ſemiunciam, aquarum meliſſæ, borraginis, lupulorum, ac florum aranciorum, de ſingulis vnciam vnam, miſce pro cordiali ſyrupo manè capiendo, tres, vel quatuor per horas ante prandium, ad ſeptem, ſeu nouem vſque dies; Quarta verò die tres poſt horas ab aſſumpto ſyrupo, vrgente mittendi ſanguinis neceſſitate, baſilica ſiniſtri cubiti erit vena ſecanda, ſeruata quidem in ſanguinis exitu, conditione Galeni, primo ad Glauconẽ, in curatione Quartanæ, videlicet dum niger apparebit ſanguis, & craſſus, tunc temporis poterit ad ſemilibrã detrahi, plùs, minùſue pro virium robore; Dum autem tenuis, rubeus reſpicietur ac floridus, erit parcè mittendus, vel obturanda potiùs illico vena, poſteroque die hæmorrhoidalibus internis præcipuè venis, erunt quatuor, vel quinque applicandæ hirudines, cum ſanguinis extractione ad vncias octo, vel decem pro vt etiam minùs, & ad arbitrium, quandoquidem verus me-

di-

dicinæ doctor Hippocrates, sexto Aphorismorum, vndecimo, scriptum reliquit Melancholicis, & nephriticis, hæmorrhoides superuenientes, bonum. Cuius nimirum præceptum tantò magis conueniet ijs, quibus euacuationes per hæmorrhoidas cõsuetæ, fuerint suppressæ; Hæmorrhoidales etenim fluxus diù per interualla redeuntes, crassum & fœculentum humoris melancholici sanguinem, instar fœcis in vini dolio residentis, vtiliter profundere solent, sicuti diligentissimus experientiæ medicæ obseruator Hippocrates, sexto in libro de morbis popularibus, circa sectionis tertiæ finem, dilucidè narrat his verbis; Qui hæmorrhoidas habent, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedæna, neque furunculis, neque tuberculis terebinthi figuram habentibus corripiuntur, fortassis autem neque lepris, fortassis neque vitiliginibus; multi autem intempestiuè curati, talibus morbis non tardè correpti sunt, & sic perniciosæ fuerunt: Quarto pariter in libro de morbis popularibus, numero trigesimo sic loquitur, Alcippus cum haberet hæmorrhoidas, à curatione prohibebatur, curatus insanijt, febre acuta succedente, cessauit, hæc Hippocrates. Melancholico igitur purgato humore à natura, vel ab arte, in ijsdem eruditis disertisque viris, pro vt etiam in ijs, liberalibus artibus affabrè ac seriò deditis, eò magis promptos & aptos, vitales & animales postmodũ spiritus futuros esse ad corporis & animæ functiones peragendas, minimè dubium est; Misso igitur sanguine, alterutro ex predictis conditionibus modo, poterit idẽ syrupus ad septimum, vel nonum vsque diem perseuerari, postea verò eandem iterum medicinam potare, valde conferentẽ iudicarem; si quis autem potionem recusaret, ac medicamentum in forma solida libenter appeteret, sanè optimum erit sequens. Recipe Electarij lenitiui drachmas sex, electarij rosati Mesuæ, Pilularum aggregatiuarum, vtriusque drachmam vnam misceantur, & fiant boli numero quinque, & in hostia inuoluti deglutiantur per quatuor, vel quinque horas ante prandium dummodo elapsam post horam ab assumptis bolis, paruæ pullæ, seu castrati ius parcè salitum, nec admodum pingue, potãdum non denegetur, ad faciliùs atque celeriùs ventrem subducendum, postea verò tempestiuè, moderatum poterit prandiũ celebrari.

Hæmorhoidas habentes, multis alijs carent morbis, ex Hippocrate.

Porrò virtutem cordis, & cerebri substantiam vtpote in melancholicis viris vtranque maximè necessariam corroborare,

va-

validamque reddere non erit inutile, sic enim faciliùs atque velociùs animæ potentiæ reducentur ad actum, ad quarum etiam effectum specialiter consequendum, non minimū præstant diuersa, quæ sequuntur remedia, quæ omnia præterea quouis anni tempore poterunt innocenter, & ad libitum iucundè concedi, veluti sunt conserua florum borraginis ad semiunciam, vel vnam, pauló post cœnam comesa, vel conserua violarum dimidiam ad vnciam cum semiscrupulo iuleb gemmati, paulisper à cœna pariter sumpta, vel conserua florum buglossi ad semiunciam, cum granis quinque smaragdi puluerizati, horaque prædicta exhibita, pro vt etiam aquæ ex cinnamomo, ex rosis, & aranciorum floribus extillatæ, simulque ad mediam vnciam pro qualibet mistæ, ac duas circiter horas ante prandium potatæ, similiter quoque confectio Hyacinthi ad auellanæ quantitatem ieiuno ventre deuorata.

Melancholicis arcanum remedium, præcipuè verò studio dedidis. Præter hæc, dicendum sanè remedium, non solùm est gustui gratum, sed etiam pro cordis, cerebrique functionibus, in prædictis melancholicis arcanæ virtutis est, videlicet: Recipe conseruæ acredinis citri, conseruæ florum borraginis, cuiusuis vnicam vnciam & mediam, specierum cordialium temperatarum, vnciam dimidiam, margaritarum præparatarum, drachmam vnam, iuleb gemmati, seminum citri, & acetosæ, cuiuslibet drachmas duas, lapidis bezahar orientalis veri, & puluerizati, smaragdi similiter puluerizati, vtriusque semidrachmam cum syrupo de pomis quantum satis, fiat confectio secundum aromatariorum artem, de qua duæ tantùm drachmæ, bis, vel ter in hebdomada, mediam circiter horam ante prandium, aut cœnam, poterunt feliciter sumi, prout etiam quouis anni tempore.

Melancholici nocturno indigent somno. Melancholicis alui stypticitas nocet. Hæc alia demum quæ sequuntur auxilia, tam ijs conferent melancholicis, qui dormitum euntes, præsepè tamen vigilem, & incommodam noctis partem inuiti pertransire coguntur, quàm ijsdem pariter stypticam præter consuetudinem retinentibus aluum, quæ ambo nimirum incommoda, melancholicos viros vt plurimùm torquere non desinunt.

Ad somnum igitur necessariò quouis tempore benigniter conciliandum, Recipe conseruæ florum borraginis, aut violarum, vnciam dimidiam alterutrius, pilularum cynoglossæ grana septem, permisce, libenterque paulo post cœnam comede, ac melius ea nocte quiesces: Ad eundem etiam effectum con-

fe-

ſequendum, Recipe ſeminum melonum recentium, & mundorum ſemiunciam, ſeminum papaueris albi drachmas duas, Aquarum lactucæ, violarum ana vncias duas, Aquæ roſaceæ vnciam dimidiam, miſce, & fiat emulſio ſecundum artem, & a cœna capiatur frigida præter hyemẽ, ſi quis autem amet dulcia ſacchari tantillũ addat; vel etiã Recipe Cõfectionis Hyacinthi ſemidrachmã, Nepenthes Quercetani granum vnũ, miſce, fiatq; bolus auro inuolutus, & à cœna deuoretur: Mitridatica itẽ cõfectio ad mediam vtiq; drachmã, vel vnam, eadem hora exhibita, magnæ virtutis eſt, ac introducit placidẽ ſomnum, prout etiam Nepenthes, licet ſanè maiorem Nepenthes efficiat quietem, & omnes è corde languores, & ægritudines tollat, atque hilaritatem, lætitiamq; ſe inducat; propterea quòd Helenæ remedium fuiſſe dicatur, ſicuti ſcriptum reliquit in ſua pharmacopœa Quercetanus, pagina ducenteſima trigeſima ſexta, circa primæ columnæ principium: Narratis igitur de cauſis, melancholicis prædictis præter modum poterit quandoque conferre.

Nepenthes Quercetani virtus pro melancholicis, & conciliando etiam ſomno.

Ad ſubducendam verò leuiter aluum, Recipe ſyrupi acetoſi ſimplicis, oximellis ſimplicis, vtriuſque vnciam vnam, vel vnã & mediam, miſce, & accipe ieiuno ventre ſaltẽ per horas duas ante prandiũ, immediatẽ tamẽ ſuperbibẽdo tres, aut quatuor vncias iuris caſtrati, ſeu columbi domeſtici, vel ſylueſtris parũ ſaliti, hoc enim remedium ſæpè iteratum, non eſt ingratum, & melancholicum incidendo humorem, naturã tenacem, & craſſum, emollit ſubinde paulatim ventrem, ac præterea quouis anni tempore ſaluberrimum eſt. Item pro eadem intentione, Recipe pilularum maſticinarum ſcrupulum vnum, vel alterum cum ſyrupo de ſtœchade quantũ ſatis, reformentur pilulæ duæ vt artis eſt, quarum vna, vel vtraque in hoſtia inuoluta, paulò ante leuem cœnam cum ſacchari tantillo deglutiatur; etenim cibum, neque ſomnum turbat, ſed poſt ſolis ortum fluidam paulisper aluum reddere conſueuit. Propterea vexante corporis aſtrictione, ſine incommodo melancholicis prædictis vniuerſo libenter conceditur anno.

Aluus lubrica quibus remedijs leuiter fiat.

Ad effectum etiam prædictum vltimò conſequendum, Recipe ſenæ orientalis recentioris, vnciam vnam & mediam, corticum citri drachmas duas, caryophillorum leuiter contuſorũ ſcrupulum vnum, cinnamomi, & coriandorum præparatorum craſſo modo contuſorum, vnicam de quolibet drachmam, omnia

Melancholicis vinum cum ſena præparatũ optimum eſt, & modus conficiendi.

nia prætcrea misceantur, atque in vase vitreo ponantur vnà cũ sexdecim vncijs vini albi, clari, atque subdulcis, ac stomacho grati, neque potentis, obturetur denique vas, & calentes prope cineres per horas quatuor & viginti diligenter custodiatur, ac deinde coletur vinum, quod vtique frigidum quatuor circiter horas modicum ante prandium ad quinque, vel sex vncias poterit cum vtilitate potari, prædictaque aliàs vrgente occasione iterari: Vinũ autem quod remanet, in vasculo vitreo rectè obturatum collocetur, ac frigido in loco pro dicto vsu conseruetur, hoc nempe modo custoditum, eò vsque perdurat, donec acidum gustui non fuerit redditum; Attamen si contigerit vt fiat acidum interea vinum, tunc veluti perniciosum erit illico proijciendum, & alterum innouandum: Porrò sena quamuis non omnino sit stomacho grata, itemque in commouendis, & expellendis crassioribus alui excrementis, leuem interdum, ac breuem pariat molestiam, nihilominus quia mundificat cerebrum, cor, & hepar, & splenem, & membra sensuum, & iuuentutem conseruat, gaudiumque generat, propterea quòd tristitiæ causam amputet, referente Mesue in libro de simplicibus, circa decimi quinti capitis finem, idcirco prædictis melancholicis, tum ocio litterario deditis, atque memoriæ cupidis, nec non admodùm fortibus, atque robustis, tum liberalibus item artibus affabrè, & exquisitè incũbentibus, procul dubio (præter æstatem) poterit omnino conferre; Quandoquidem sena prædicto in vino, cum cæteris vt supra ingredientibus infusa, prudenterque correcta, nullum, vel minimum saltem potest afferre detrimentum.

Senæ qualitas, & virtus pro melancholicis ex Mesue.

Lælius Zaccagnius Romanus, Notabilium Medicinæ Librum Tertium sexagenarius compleuit, ac spe diuturniorem adhuc ætatem consequendi, ad honorem, & Dei Gloriam, ac studiosorum in gratiam, & commodum, huiusmodi laborem libenter suscepit.

Amen.

INDEX NOTABILIVM

Hoc Tertio in Libro breuiter expressorum.

A

ADmirationis effectus, & causa. 14
Anacardinæ confectionis virtus pro memoria ex Mesue. 49
Anacardinæ confectionis requisita ex Mesue. 49
Anacardinæ confectionis non præparatæ, horrenda, & lethalis historia. 49
Anacardi venenosa qualitate non carent ex Auicenna, & Matthiolo. 50
Anacardina Confectio est immodicè calida. 50
Anacardi aceto præparati iuxta Calcestanum, & Antidotarium Romanum. 51
Anacardorum præparatio melior, quæ iudicetur. 52
Anacardinæ confectionis dosis, tempus, & ordo pro memoria. 52
Anacardinæ confectionis frequentior vsus, est periculosus. 54.
Anacardina confectio pro memoria quando cõuenit ex Auctore. 54
Anacardina confectio pro memoria, quando conueniat ex Mercuriali. 55
Animæ rationalis diuersa in homine sedes quo ad Antiquorum opiniones. 5
Animæ rationalis essentia. 4
Animæ rationalis aduentus quãdiù à conceptione homini cõtingat. 4
Anima rationalis, qua in parte corporis humani principaliter resideat. 4
Anima sensitiua, & vegetatiua, & rationalis, quo modo in vnicam recipiantur, & includantur essentiam ex Aristotele. 5
Animi passiones veluti continui sunt animi morbi. 6
Animalia sanguine prædita, veluti sunt omnia bruta, quatuor humoribus constant ex Galeno. 20
Arnoldi Villanouani Confectio pro acquirenda memoria. 51

I Ca-

C

Caleftani obferuatio fuper cõfectionem Anacardinam Mefuæ. 30
Capitis morbi a ftomacho oriũtur ex Hippocrate, 39
Catonis præceptum pro difcipulis circa memoriam. 15
Cerebri frigiditas eft memoriæ humiditate deterior. 28
Cerebri frigiditas, vel humiditas, vel vtraque fimul, præ caliditate, vel ficcitate, magis obeft memoriæ. 35
Cerebri frigiditatis figna. 35
Cerebri humiditatis figna. 36
Cerebri caliditatis figna. 36
Cerebri ficcitatis figna. 36
Cerebri quælibet intẽperies quo modo curanda. 37
Complexiones ad memoriam magis aptæ, quæ? 18
Complexio fimilis fibi, an reperiatur ex Auicenna. 40

D

Difcipulorum quies, & animi relaxatio, qualis. 17

E

Ebrietatis, & crapulæ differentia ex Philofopho. 22
Empiricorum error. 40
Equitatio ftomacho, & coxis vtilis ex Philofopho. 17
Equus Bucephalus Alexãdri Magni, cuius naturæ. 33

F

Ficus, & vuæ, cæteris fructibus meliores, ex Galeno, & Auicenna. 31
Ficus primæ peffimæ, poftremæ autem optimæ ex Hippocrate, quales intelligendæ. 31
Frigidum quibus corporis partibus præcipuẽ obfit. 6
Fructuum omnium qualitas ex Galeno. 31
Fructus quo modo memoriæ fint profuturi. 32
Furoris nomen dupliciter intelligitur ex Platone. 18
Furor bonus, an malus, quomodo ex Platone. 19

G

Galeni fententia de ventriculi concoctione in quolibet cibo. 39
Gaudij effectus, & caufa. 13

H

Hæmorrhoidas habentes multis alijs carent morbis, ex Hippocrate. 61
Hippocratis conquæftio de femet ipfo, quo ad Medicam Artem. 41
Horæ ad ftudium aptę ex Ariftotele. 16
Humanum corpus an impatibile fit. 59

I

Imaginatio qua in parte cerebri, & qua in parte difcurfus, & memoria fiunt. 5 & 57
Imaginatio fimul, & difcurfus, quando lædantur ex Galeno. 57.
Intellectus facilitas, vel tarditas, vnde? 21
Intellectus fubtilitas vnde? 58
Iohannis Antonidæ Vander Linden, admirandum noftra tempe-

pestate memoriæ, doctrinæque exemplar. 55

Iræ effectus, & causa. 13

L

LEthargi, & Epilepsię causa. 36.

M

MEdicinam citò discere non est possibile ex Hippocrate, & ratio quare? 41

Melancholici nocturno indigent somno. 62

Melancholicis alui stypticitas hocet. 62

Melancholicis vinum cum sena præparatum optimum est, & modus conficiendi. 63

Melancholia dupliciter consideratur. 56

Melancholiæ præter naturam effectus diuersi. 56

Melancholiæ naturalis virtus, & dignitas propria. 58

Melancholicis in viris ingenij subtilitas, prudentia, atque sapientia cæteris alijs maior, vnde? 59

Melancholicus humor, quauis vrgente occasione quomodo purgandus in viris studio deditis, debilisque complexionis, cæterisque liberalibus artibus incumbentibus. 60

Melancholicis arcanum remedium præcipuè verò studio deditis. 62

Melancholici ingeniosi, quales intelligendi. 18

Melancholici naturaliter sunt ingenio singulari ex Aristotele. 19

Melancholię naturalis quiuis particeps est. 19

Melancholiæ præter naturam generatio. 20

Melancholiæ præter naturam effectus diuersi. 20

Melancholicorum præter naturam exempla diuersa ex Cælio Aureliano. 20

Melancholicorum præter naturam causæ, & effectus ex Philosopho. 21

Melancholici sunt omnibus alijs præstantiores multis in rebus, ac item ingenio singulari ex Philosopho. 37.38.

Melancholiæ natura quo ad remedia, qualis vtique sit. 38

Melancholicus humor natiuum calorem imbecillem reddit. 38.

Melancholici, quare assiduè torquentur. 38

Melancholici morbi, quando sũt blandè purgandi, & è contra. 38.

Memoriæ definitiones diuersæ. 1

Memoriæ definitio ex Cicerone. 1.

Memoriæ qualitas iuxta Senecam. 1

Memoria quid sit ex Platone. 1

Memoriæ definitio ex Aristotele. 2

Memoria inter animæ operationes maximè spiritalis ex Auerroe. 2

Memoriæ mira exempla. 2

Memoria quo modo à cerebri fri-

frigiditate, ac humiditate lædatur. 5
Memores qui nam esse non possint. 6
Memoriæ qualitas verè naturalis in quo consistat. 6
Memoriæ nimia cerebri siccitas aduersatur. 6
Memoriæ non solùm siccitas cerebri moderata, sed item durities cum temperata mollitie, necessariò sunt aptæ ad memorandum. 6
Memoriam quo modo fieri contingat. 7
Memoriæ acquirendæ principale præceptum ex Cicerone. 7
Memoriæ localis præcepta à diuersis Auctoribus inuenta. 8
Memoriæ localis exemplum ex Cypriano rhetore. 8
Memoriæ localis regula ex Gulielmo Gratarolo Medico. 8
Memoriæ localis forma ex Cicerone. 9
Memoria localis forma ex Philosopho. 9
Memoriæ localis difficultas, atq; iudicium ex Auctore. 9
Memoriæ laudes ex Iasone. 10
Memoriȩ prȩceptum in omnibus necessariò requisitum. 11
Memoria disponitur à recta intelligentia rerum apprehendarum. 11
Memoriæ fundamentum ex Platone. 11
Memoriam ordo dicendorum iuuat. 11
Memoriæ studium qua in re consistat. 11
Memoriæ localis præceptum vtile. 12
Memoriæ ars, qua in re consistat. 12.
Memoriæ adiumenta, & detrimẽta. 12
Memoriȩ summoperè prodest voluptas in rebus agendis. 12
Memoria admirabilis quo modo fiat. 12
Memoriæ inimica, quæ sint. 12
Memoriæ quæ nam ætas magis conferat. 12
Memoria indigent valde iuuenes, & senes, prout multùm veloces, & multùm tardi ex Aristotele. 13
Memoriæ conseruandæ facilis, breuisque regula, per nominũ rerumque similitudinem. 14
Memoriæ præceptum ad discipulos pertinens. 15
Memoriæ studio quot horæ, & quo tempore conueniant ex Auctore. 16
Memoria non fit scribẽdo solùm in chartis. 16
Memoriæ causa principalis, quæ nam? 18
Memoria, in quo naturaliter cõsistat. 21
Memoria fit etiam artificio. 21
Memoriæ localis difficultas. 22
Memoriæ, atque doctrinæ naturale interdum obstat impedimentum. 22
Memoriæ iacturam frequens cõcubitus affert. 23
Memoriæ quæ item noceant. 23

Memoriæ cura specialis ex Auerroe. 25
Memoriæ acquirendæ causæ necessariæ. 25
Memoriæ quæ carnes prosint. 27
Memoriæ qui cibi conferant. 28
Memoriæ causæ magis aduersæ. 28.
Memoriæ necessarius vitę modus conferens. 28
Memoriæ studio deditis vtrum pisces possint concedi. 29
Memorari, & reminisci, in quo differant ex Aristotele. 33
Memoriæ, ac reminiscentiæ differentia, & ratio, ex Auctore. 35.
Memoriæ aptitudo in quo consistat,& naturaliter dependeat. 37.
Memoriæ remedium conferens. 44. 47.
Memoriæ vnguentum conferens. 44.
Memoriæ olea valde conferentia. 45
Memoriæ lotio conferens. 45
Memoriæ remedium præseruatiuum. 48
Memoriæ linimentum conferens 48.
Memoriæ conseruandæ confectio vtilis. 48
Memoriæ consequendæ regulæ. 13.
Mesuæ admonitio de Anacardina confectione sumenda. 49
Milonis Crotoniensis historia de leone. 33
Misericordię effectus,& causa 13
Mæroris effectus,& causa 14

N

Naturæ sanguineæ curatiuū regimen pro memoria. 41
Naturæ biliosæ curatiuum regimen pro memoria. 41
Naturæ phlegmaticæ curatiuum regimen pro memoria. 42
Naturæ melācholicæ curatiuum regimen pro memoria. 56
Nepenches Quercetani virtus pro melancholicis, & conciliando etiam somno. 63

O

Obliuio frigiditatis dicitur filia. 5
Obliuionis causa. 22.45.
Obliuioni remedium ex Mesue. 47.
Oleum petroleum in memoriæ detrimentis ex frigida, & humida causa factis, opportunum. 47
Oua gallinarū, quibuslibet alijs animantibus meliora, ex Galeno. 30
Ouorum virtus eximia ex Auicenna. 30
Oua quo modo memoriæ prosint. 30
Ouorum inter se differentia,quò ad temporis distantiam. 30

P

Panis optimi qualitates. 26
Panis deterrimi qualitas, quò ad cocturam, ex Galeno. 26.
Pauli Zacchiæ virtus, quæ? 57
Plegmatici rarò memores,atque sapientes. 21

Phre-

Phrenitidis, atque Maniæ origo. 36.
Pisces frigidi sunt, & humidi. 28
Pisces cæteris animantibus frigidiores ex Galeno. 28
Pisces cæteris meliores, qui? 29
Piscium electorum alimentum saluberrimum ex Galeno. 29
Piscium præparatio, & coctura, multiplex. 29
Piscium præparatio salubris. 29
Platonis dictum de oculis curandis. 39
Podagræ inhibitio, quo modo ex Galeno. 40
Poetici furoris causa, naturalis melancholia. 19
Poma, & pyra, quo modo, & quando comedenda. 31

R

Risus effectus, & causa, & an lien risum efficiat. 14

S

Sanguinis subtilitas ad intellectum quare? ex Aristotele. 58. 59. 30.
Sanitatis conseruatio qualis ex Hippocrate. 39
Sanitas perfecta quare diù persistens non est. 59
Sapientia memoriæ filia. 1
Sapientia humana vtrum sit vera sapientia. 3
Sapientię definitio ex Cicerone. 3
Sapientes viri sunt debilis fere complexionis, & quare? 37
Seminis humani denominationes pulchræ iuxta diuersos philosophos. 23
Senes, cur, naturaliter sint obliuiosi. 13
Senes decrepiti, & valde iuuenes cur immemores ex Philosopho. 36
Senæ qualitas, & virtus pro Melancholicis ex Mesue. 64
Sorborum, & mespilorum vsus, quando, & quomodo. 52
Stomacus Rex humani corporis fuit à Q. Serenô vocatus. 39
Subtilitas sanguinis ad intellectum, crassities autem ad corporir robur ex Philosopho. 30



V

Vinum memoriæ proprium, & conferens, quale ex Auctore. 27
Vinum oligophoron, quale ex Galeno. 27
Vinum, cibi, & potus vicem gerit ex Galeno. 27

Z

Zenonis sententia de Melancholicis. 19

FINIS.



R O M AE,

Ex Typographia Michaelis Cortellini. M. DC. LV.

SVPERIORVM PERMISSV.

